Bgc.5007
Z 16

Sailly

THESAVRVS
PRECVM
ET
EXERCITIORVM
SPIRITVALIVM,

In vsum presertim SODALITATIS PARTHENIÆ:
Auctore R.P. THOMA SAILLIO
Soc. IESV Presbytero.

Additæ breues APOLOGIÆ, *eidem subseruientes.*

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. IX.

Annos æternos in mente habui.



SODALITATI DEIPARAE VIRGINIS

in Collegio Societatis IESV *Bruxellæ.*

QVEM ante annos ferè duodecim piis omnibus obtuleram ſpiritualem THESAVRVM, vobis (Sodales, Deo & eius Matri beatiſſimę deuoti) iam dedicatum recudo: quibus enim meliùs opus hoc, nouum dicam an antiquum, quàm vobis congregationis antiquæ nouis Sodalibus offeram? Veſtri eſt inſtituti, & virginem Matrem & cælites omnes ritu

peculiari colere, ceteriſque pietatis exemplo præire: vobis ecce THESAVRVM in Deum & Sanctos pietate refertum. Nomen profert ab illo diuerſum, quia & modus & ordo nonnihil immutatus eſt. Inſcribebatur ille LITANIARVM ET ORATIONVM; EXERCITIORVM hic ET PRECVM: non quòd omnes ab eo exulent Litaniæ; habet enim etiam ſuas; ſed eæ numero pauciores EXERCITIIS, vt potiori parti, facilè nomen concedunt. Num quid ergo illæ offenderãt? Nihil profectò prout à me editæ; licet, quod vino etiam præſtantiſſimo ferè euenit, alias in terras deuectæ, inſcio me mixtionem ſatis improbam paſſæ, præter ius faſq. immutatæ, ne dicam violatæ. Et manſiſſent illæ integræ, placebat tamen Sodalibus non nudas vocales, quæ rudium propriæ magis, ſed mentales, vocalibus tamen per-

mixtas,

mixtas, vt progredientibus in via pietatis magis aptas & per se longè vtiliores, proponere. Igitur nec res à Litaniis est diuersa, nec vocales preces desiderantur : tantùm illarum nuda series, suis quasi coloribus cõuestita, in certa Meditationum seu Exercitiorum Spiritualium capita est digesta; quò faciliùs, quem illæ vel occulebant vel motu vehementiori fructu minori concitabant, pietatis affectus sensim meditãdo corda penetret, tota humectet, & fructibus reddat perfecunda.

Opus totum in partes septem distribuo; quarũ priores quatuor suas singulæ Meditationes, de SS. Trinitate, B. Virgine, Angelis, Sanctis, cum suis Orationibus & Hymnis ita fusè prosequuntur, vt volenti hebdomadam totam vna in parte exerceri, satis superque futurum sit, quod in dies partiatur. Quinta, ho-

minis miſerias & nouiſſima ſimili ratione oculis obiicit. Sexta, diem piè & Chriſtianè tranſigendi modum compendio docet. Septima, appendicis loco, quæ Roſariis, Litaniis, Angelis, eorumque picturis opponi poterant, breuiſſimè, & fortè tamen fuſiùs quàm pro inſtituto, ex antiquitate & ratione tutatur.

Iſta meditanti Illuſtriſſimus Cardinalis BELLARMINVS, congregationis Illuſtriſſimorũ Cardinalium nomine, vt pergerem auctor fuit; R. P. CLAVDIVS AQVAVIVA Societatis noſtræ Præpoſitus generalis incitauit, ac tantumnon impulit. Vos ego, SODALES, velim hunc pium Precum & Exercitationum Theſaurum, magno labore è ſanctorum virorum monumentis ceu penu theſaurario deprõptum, non occluſum aſſeruare; ſed inflammati deſiderij claue reſerare, attenta mẽte

perſcru-

perſcrutari; ſtudiosè, cùm res feret, eius opes vobis aliiſque applicare. Sic enim futurum confido, vt Patrona veſtra, mundi Regina, ac cæli quaſi theſauraria, in vos ceu filios ſuos quotidie pergat eſſe profuſior; labores veſtros hîc gratia vberrima è Filij meritorum inexhauſto theſauro deprompta comitetur, & in felici viuorum regione æterno præmio muneretur. Ita voueo,

Veſter totus in CHRISTO

Thomas Saillius

Societatis IESV *Sacerdos.*

Epigramma ad Lectorem in libri Titulum.

THESAVRVS PRECVM.
THVS, AVRVM, PRECES.

QVisquis adis molles collectum THVRA Sabæos,
Sollicitasque AVRI per mare quæris opes;
Cæleſtem quiſquis gazam prudentior optas,
Et dulces gemitus, aut pia thura, PRECES:
Huc age, nil patriis opus eſt excedere terris,
Et nihil externis ſugere mella libris.
En tibi ſacrarũ prędítem SAILLIVS almo
THESAVRVM promit pectore datque PRECVM;
AVRVM auro, THVS thure PRECES meliora Sabæo.
Hinc PIVS atque vno codice DIVES eris.

ALIVD

ALIVD
IN LIBRI TITVLVM.

SOllicitus terras oculis cælumque pererrat,
Dum celante Chremes ceſpite damnat opes.
Hinc procul, hinc famuli, tumido delitigat ore,
Et ſolus nummûm conſcius eſſe cupit.
SAILLIVS aduerſo theſauros more recludit:
Munifico hic animo eſt, alter auarus erat.

ALIVD
IN NOMEN AVCTORIS.

QVid ſtupeas video, video quid figat ocellos
Dum primo dubitas Lector in ore libri.
Ambigua Auctoris feriunt tibi nomina frontem,
SAILLIVS in teneras dum cadit auriculas.
Se nullo ancili leuis hic Saliſubſulus armat.
Exeſto hinc Salius, SAILLIVS auctor erit.

APPRO-

APPROBATIO SVPERIORVM.

EGo *Franciſcus Flerontinus, Societatis* IESV *in Prouincia Belgica Præpoſitus Prouincialis, ex commiſſione R. P.* CLAVDII AQVAVIVAE *eiuſdem Societatis Præpoſiti Generalis, concedo & permitto, vt liber P. Thomæ Saillij, dictus* THESAVRVS Precum & Exercitiorum Spiritualium, *cum Apologeticis quarumdam eiuſdē* THESAVRI *partium defenſionibus, vt qui fuerit à viris grauibus & doctis Societatis noſtræ, P. Franciſco Coſtero, P. Philippo Arentz, & aliis, examinatus & probatus, excudatur. In cuius rei teſtimonium has ſignari, & ſigillo officij mei ordinarij muniri curaui. Bruxellæ, x. Iulij,* 1608.

Franciſcus Flerontinus.

APPROBATIO
Censoris Ordinarij.

THesaurus hic Precum & Exercitiorum Spiritualium cum Apologeticis quarumdam eiusdem Thesauri partium defensionibus Catholicæ & Orthodoxæ Religionis tramitem nusquam egreditur, sed ritum colendi & inuocandi Deum, & Sanctos eius, ab antiquissimis temporibus traditum & vsurpatum, continet. Quare vberrimo cum fructu omnibus communicandus, & in præsentibus Ecclesiæ necessitatibus ad Diuinum numen placandum frequenter recitandus, prælo committetur. Datum Bruxellæ, die 3. Octobris, anno 1608.

Petrus Vinck S. Theol.
Licentiatus.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Priuilegio cautum est, nequis librum R. P. Thomæ Saillij Societatis IESV Sacerdotis, cui titulus est, *Thesaurus Precum & Exercitiorum Spiritualium*, præter voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpiensis, intra sexennium imprimat, aut alibi impressum in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna multabitur: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, v. Octobris, M. DC. VII.

Signat.

de Berti.

Et in concilio Brabantiæ.

Buschere.

PRÆ-

PRÆFATIO
IN QVA
DE MEDITATIONE, ORATIONE, ET SANCTORVM CVLTV, IN GENERE.

QVIA *crebra in* THESAVRO *sequenti horum fit mentio, statui quædam ex doctis & in hac arte peritis in medium proferre: quibus & veterani spiritalis palæstræ athletæ validiores reddantur, tirones excitentur; imbecilliores ingenio, qui haud longos patiuntur discursus, suis etiam orationibus fructum respondere confidant: omnes præter Deum sanctos cælites colere, & rectè venerari condiscant.*

Quid sit MEDITATIO?

MEditatio (*secundùm alios* Oratio mentalis) est pia & affectuosa re-

rum

rum sanctarum consideratio, quæ hominem ad laudandum Deum, ad virtutes Christi Sanctorumque sectandas, ad bonum amplectendum, & fugiendum malum, efficaciter promouet. Affectuosam *dixi, quia non tam in actione intellectus, quàm in affectu voluntatis consistit; cuius beneficio ad amorem Dei, odium peccati, & rerum caducarum contemptum permouemur. Vnde Propheta Regius Psal. 38.* In meditatione mea exardescet ignis. *hoc est, feruor animi excitabitur, quo fugiam noxia, amplectar vtilia; negligam temporalia, & persequar æterna. Hoc commentandi exercitio* CHRISTVS *cum Discipulis noctes insomnes in deserto & montibus duxit. Hoc* B. VIRGO MARIA *apud B. Lucam in corde suo conferebat, quæ à* CHRISTO, *vel de* CHRISTO *dicta audierat. Hoc omne vitæ tempus* S. IOANNES BAPTISTA *in eremo, & post eum innumeri Anachoretæ sine fastidio traduxerunt. Hoc vsi sunt Sancti omnes, Basilius, Hieronymus, Augustinus,* Norbertus, *Benedictus, Bernardus, Franciscus, Dominicus, Ignatius, Xauerius, & quotquot fuerunt insigni sanctitate, & rerum cælestium contemplatione admirabiles.*

Partes MEDITATIONIS, quæ sint.

PArtes Meditationis sunt quatuor: Præparatio, Repræsentatio, Consideratio, & Colloquium *vel* Petitio.

1. Præparatio *est, qua homo se ad meditandum componit. Cuius necessitatem Sapiens Eccl. 18. his indicat verbis:* Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. *Si enim cum Rege, Episcopo, vel alio Principe viro acturus primùm præmeditaris quibus verbis vti velis; quanto magis, quando cum Deo in Meditatione es collocuturus?*

Præparatio *autem hæc duplex est:* Remota & Propinqua. Remota *est, 1. prælegere pridie Meditationis materiam. 2. eam simulatque manè euigilas in mentem reuocare. 3. cogitationes omnes & curas de studiis aliisve negotiis temporalibus excludere. Meditatio siquidem mentem postulat quietam & tranquillam.* Propinqua *verò est; cùm iamiam inchoanda est Meditatio, primùm te aqua benedicta, si præstò sit, & signo crucis munire. 2. vno passu à Meditationis loco, ad spatium Dominicæ orationis Salutationisq; Angelicæ consistere, &*

firmiter

firmiter tibi persuadere, te diuinæ Maiestatis throno, quem omnes Sancti circumstent, vt cum Deo colloquaris, sistendum. 3. reuerenter in genua velut coram Deo prolabi, & mox humiliter postulare ab eo gratiam, omnes vires actionesq; animi ad suæ diuinæ Maiestatis gloriam referendi. Poteris quoque, si velis, B. VIRGINIS, *Angeli Custodis, vel Sanctorum ad quos afficeris, auxilium implorare. Potes etiam Meditationis puncta, si memoria fortè exciderint, relegere.*

2 Repręsentatio *vel* imaginatio *est, qua homo ante punctorum considerationem repræsentat (siquidem materia permittit) id est, ob oculos ponit locum, personas, earumdemq; actiones in mysterio Meditationis expressas. Vt si mediteris de crucifixione Christi, imaginariè tibi repræsenta montem Caluariæ, cruci Christum affigi, infinitam hominum turbam circumstare, sicut à pictoribus depingi solet. Similiter si de morte, finge te aspicere teipsum vel alium in lectulo decumbentem pallidum & morti proximum. Hæc enim repræsentatio valet non solùm ad cauendas animi distractiones, sed etiam ad concitandum affectus do-*

loris, compaßionis, metus, & ſimiles. In hac tamen imaginatione diu hærẽdum non eſt.

3. Conſideratio *eſt operatio intellectus, qua homo ſedulò expendit omnia quæ ſingulis punctis continentur cum deſiderio inde fructum aliquem ſpiritualem carpendi. Maximè autem diſcurſus hic fit circa circumſtantias. Vt in meditatione de aliquo puncto paßionis Domini. Quis ſit qui patitur, nempe, Filius Dei, Conditor cæli & terræ. Quid patiatur, nempe cruciatus maximos. Pro quo, nempe, pro te vili & ingrata creatura. Qua de cauſa, nempe ad te liberandum à damnatione æterna.*

4. Colloquium *vel* Petitio *eſt, qua à Deo ea petuntur quæ inflammatus affectus ſuggeſſerit. Ordinariè autem peti poſſunt maius lumen Deum & ſeipſum cognoſcendi, peccatorum remißio, dolor de iiſdem, perturbationũ animi expugnatio, in ſcientia & pietate progreſſus, demum virtutes omnes, quæ hominem Deo reddant gratiorem. Poteſt autem hoc Colloquium inſtitui vel ad* DEVM, *vel ad ſingulas* SS. TRINITATIS *perſonas, vel ad* CHRISTVM *crucifixum. Ad* B. VIRGINEM *quoque, aliôſve* SANCTOS *patronos:*

imò

imò & ad hos omnes. Schema harum partium initio Thesauri nostri inuenies.

Adiumenta quædam & documenta ad rectè meditandum.

PRimum est locus idoneus, *id est, ab omni strepitu remotus & obscurus.*

2. Tempus certum & stabile, *quod citra iustam causam non immutetur. Horæ autem aptissimæ ad meditandum sunt matutinæ, ante inchoata studia, vel alia negotia. Conuenit autem in Meditatione expendi integram horam, vel certè mediam.*

3. Situs corporis modestus & deuotus, *vt genibus flexis. Quod si diu non potes, pedibus insistas, ita tamen vt ad genuflexionem paulò pòst redeas. Conuenit aliquando ad exemplum* CHRISTI, *maximè si magnus aliquis motus insurgat, prono corpore ad breue tempus meditari. Denique is situs vsurpandus est, qui plus iuuet attentionem, & inflammet pietatem.*

4. *Vt si quo in puncto senseris te spirituali sensu vehementiùs moueri, non ilicò transilias ad aliud, sed in eo nonnihil immoreris, donec gustui satisfeceris. Et si ante percursa tria Meditationis puncta hora*

elabatur, non sis solicitus ad cetera progredi: poteris enim id facere sequenti vice repetitis breuiter iis, in quibus gustum spiritalem sensisti. Imò sæpè vtile est, vnam eamdemq; Meditationem, variato tantùm Colloquio, repetere.

5. Quia vis Meditationis potiùs in exercitatione affectus quàm intellectus posita est, sciendum hunc affectum ordinariè debere esse lenem, quia diutiùs continuari potest, & capiti pectorive noxius non est. Quem diuina gratia adiutus facilè excitabis sedula consideratione personarum SS. TRINITATIS, CHRISTI, B. VIRGINIS, *& circumstantiarum, non verbis, sed cordis affectu dulciter eos alloquendo.*

6. Si autem Deus aliquando immittat etiam te collaborante vehementiorem affectum, v.c. vt prorumpant lacrymæ; humiliter eum admitte, moderatè tamen eo vtēs. Prodest enim plurimùm hic affectus, maximè si confessionem generalem de tota vita, vel de toto anno es instituturus. 2. si quando graui tentatione contra fidem, castitatem, vel vocationem pulsaris. 3. si aduertes te in studio pietatis, vel vocationis tuæ omninò refrixisse. 4 si quando aggrediendum

opus

opus magnum ad Dei gloriam, multis tamen difficultatibus implicitum.

7. Quòd si contingat te inter Meditandum omni gustu solatioq; destitui, non ideò animum despondeas. Sed si tua culpa id acciderit, quia imparatus in Meditationem irruisti; humilia te, culpam agnoscendo, & breui sequetur serenitas. Si verò non tua culpa, cogita permissum à Deo; vel vt discas gustum illum non studio nostro, sed dono Diuino obtineri, vel vt probet an ex puro sui amore sanctum hoc opus, & non consolationis tuæ causa, exerceas. Itaque tempore desolationis dic; Ego non incepi hanc Meditationem meam propter meum solatium, sed ex mero amore Dei: quare eamdem ex eodem amore perficiam.

8. Si multis agiteris distractionibus, nec ideò abrumpe Meditationem: sed cogita, si obrepant te inuito, nullum admitti peccatum. Tantùm vbi aduerteris te distrahi, resiste illis, licet sæpiùs redeant: neque enim minùs grata erit ob hunc laborem Meditatio tua, quàm si cum deuotionis sensu eam perfecisses. Prodest etiam in hac pugna prosilire ad colloquia, & submissè agnoscere virium imbecillitatem, vel etiam grauiter

se accusare, tamquam mortalium ignauissimum, qui non possit etiam ad breue tempus cum Deo colloqui.

9. Denique non parum ad fructuosam Meditationẽ instituendam valet, si Deum in omnibus actionibus tuis (vt verè est) cogites præsentem: si crebrò per diem iaculatorias vsurpes orationes, si libellos spirituales lectites, si frequenter Sacram mensam confessione facta accedas, si familiaritate piorum vtare, si sensus externos ac in primis linguam coërceas, si charitatis & pœnitentiæ exercitia diligas, si bona in Meditatione concepta desideria opere cõpleas.

De Modis orandi.

VT non omnes eâdem oculorum acie solis claritudinem intuentur; ita non omnibus datum est pari mẽtis acumine cælestia contemplari. Quare & illis qui perpetuos in oratione discursus præ interiorum virium debilitate, aut aliis de causis, vt fit, habere nequeunt, vt diutiùs in vna ac sterili hæreant materia: modos aliquot faciliores meditandi (quos ad discrimen Modos orandi vocare solemus) proferam, quibus ex vna sententia, aut paucis verbis,

qualia

qualia sæpiùs in exercitiis sequentibus deprehendent, ad altiores sensus ascendāt, & tempus orationis non inutiliter transigant.

Primus modus *sit, quo discurras circa præcepta Dei aut Ecclesiæ, circa septem peccata mortalia, tres animæ potentias, & quinque corporis sensus; & hoc non tam speculatiuè, quàm practicè. Verbi causa, cogitando in præceptis, quomodo malè ea seruaueris, & proponendo in posterum meliùs seruare. Hic modus non tam habet orationis formam, quàm exercitij cuiusdam spiritualis: per quod & anima iuuatur, & oratio Deo redditur acceptior.*

Si ergo de præceptis, &c paulò copiosiùs discurrere velis, præmissa Oratione præparatoria in hanc formam concepta, Domine Deus illumina oculos meos, & quidquid deliqui aduersus Decalogi aut Ecclesiæ &c. præcepta, da vt agnoscam, & vitam meliorem instituam; intellectis illis exactiùs, & (vt par est) ad tuæ maiestatis gloriam, & salutem meam, solito cautiùs obseruatis. *Compositio loci & cetera fiēt prout materia, & tuus spiritus dictabit.*

Puncta. *In præceptis, consideretur Mandatum ipsum in se, quàm sit bonum, rationi*

consonum, & sanctum. 2. quàm vtilis eius obseruantia. 3. quomodo illud seruaueris. si exactè, Deo gratias age; sin minùs, dole, & veniam pete. 4 propone eiusdem in posterum perfectam & exactam obseruantiam, petendo ad hoc efficiendum gratiam, per colloquium ad Deum. Quo finito, si orationis tempus, quod ad horam aut semihoram extendi potest, non sit expletum; ad aliud præceptum eodem ordine transeatur: memineris tamen illi præcepto diutiùs tibi immorandum, in quod ex assuetudine frequentiùs impegeris. Idem obseruabis, cùm per peccata discurres.

Vbi verò de peccatis discursum instituës; primò excuties singula quàm sint perniciosa, & quam iustè prohibita. 2. quantum noceant si tempestiuè nõ fugiantur. 3. quomodo illa hactenus fugeris, vel in posterum decreueris fugere.

Cùm de potentiis animæ, & corporis sensibus; primò considerabis, quàm nobiles & vtiles nobis sint singulæ: verbi gratia, intellectus, memoria, &c. 2. ad quem finem homini à Deo datæ. 3. quomodo iis vsus sit CHRISTVS, *vel* B. VIRGO, *vel aliqui Sancti eminentiores, quorum vitam per-*

spectam

ſpectam habes, & imitari niteris. 4. quomodo tu iis ſis vſus; dolendo quòd tam malè ac inordinatè.

Quanti hoc orandi genus Chriſtiano homini faciendum ſit, ex eo collige, quòd B. P. Franciſcus Xauerius Indorum doctor, ſolitus referatur omnibus quas tractabat animabus eumdem modum vehementer commendare, imò & pœnitentiæ interdum loco iniungere, vt manè & veſpere aliquod tempus huic exercitio impenderent.

SECVNDVS ORANDI MODVS *ex perpenſa ſingularum vocum orationis ſignificatione ſic inſtituitur. Flexis genibus, vel ſedendo (pro habitudine corporis, & animi deuotione) oculis vel clauſis, vel defixis in partem vnam, neque huc & illuc motis, præmiſſa oratione præparatoria, qua gratiam & motus pios à Deo vel Sancto aliquo, ad quem oratio dirigetur, petes; orationem Dominicam à principio recitabis, & in prima voce, quæ eſt* Pater, *Meditationis figes pedem, quàm diu circa eam variæ tibi ſignificationes, ſimilitudines, ſpirituales guſtus & aliæ commotiones deuotæ incident: & ita deinceps in ſingulis verbis diſcurres. Paradigma huius orationis habes*

infrà fol. 16. *&* 263. *in explicatione Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ. Si fortè vna vox non facit sensum, nec præbeat Meditationis materiam, plures poteris coniungere: vt* Qui es in cælis, *aut* Sanctificetur nomen tuum. *Quod autem hîc dicitur de Orationibus, siue Dominica, siue Salutatione Angelica, idem intelligendum est de aliquibus Scripturæ locis, præsertim Psalmis, è quibus aliqui hoc in libro inserti sunt, vel integri, vel rariores aliquot eorum versiculi: vel de titulis, quibus nunc Deus Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus, nunc B. Virgo, nunc Angeli, nunc ceteri cæli ciues honorantur. Hi enim secundùm hunc modum benè ruminati, vberrimè pascent intellectũ & affectum.*

TERTIVS ORANDI MODVS, *qui fit cum quadam vocum & temporis commensuratione, sic exercetur. Præmissa, vt antè Oratione præparatoria, in singulis vocibus alicuius Orationis tantum temporis insumas, quanto communiter vna respiratio durare solet, considerando rem singulis vocibus significatam. Multùm autem te hic modus iuuerit, vt maiore cum attentione & deuotione vocalem (vt in Psalmorum*

decan-

decantatione vsu venit) orationem instituas, & illud Apostoli impleas; Orabo spiritu, orabo & mente. *Neque hic alios orandi modos excludo, quos quisque in spiritu exercitatior senserit sibi prodesse: sed faciliores tantùm referre volui.* 1.Cor.14.

De modo quo Sancti debent honorari.

PRimò eliget quisque SANCTOS *ex singulis choris, hoc est, aliquos Angelos, Patriarchas, Prophetas: aliquos ex Apostolis, aliquos ex Martyribus, & sic de aliis, iuxta deuotionem & amorẽ suum in illos.*

2. Istos Sanctos quos elegerit, singulis diebus honorabit, recitando aliquas illorum laudes, vt sunt Hymni, Psalmi, aut aliæ id genus Orationes: vel in honorem illorum euitabit certos quosdam defectus, quos in se agnouerit; ac virtutes aliquas, quibus ipsi, dum vixerunt, pollebant, inferet in mores suos, eas opere exercẽdo, faciendo etiam interdum aliquos pietatis actus, vt sunt genuflexio, tunsio pectoris, refrænatio linguæ, fuga dissolutionis, carnis castigatio, & his similes mortificationes volũtariæ. Nam (vt ait Dionysius Areopagita lib. Eccles.

Hier.

Hier. cap. 7) impossibilium superflua spe ille suspēsus, qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit. *Pulcherrimè autem D. Chrysostomus Serm. de Mar. to. 3. modum honorandi Sanctos præscribit his verbis:* Qui Sanctorum merita religiosa charitate miratur, quique Iustorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque iustitiam imitatur: quoniam quem delectat Sancti alicuius meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat; aut laudare non debet, si imitari detrectat: vt qui alium laudat, laudabilem se reddat; & qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. *Non minùs pium suggerit Venerabilis Beda consilium Serm. 15. de Sanctis qui pro Christo occisi non sunt:* Qui coronam in persecutione purpuream pro passione donauit, ipse in pace viuentibus pro iustitiæ meritis dabit candidam. Ad quorum congregatur conuiuium, quisquis fidelis & iustus & laudabilis inuenitur.

Assiduè autem interdiu repetendum est

memo-

memoria, Sanctos esse præsentes, maximè verò eos, quorum festum eo die celebratur. Quare reuerentiâ illis exhibitâ, defensio & tutela eorumdem exposcenda.

3. Præter iam dictam electionem Sanctorum, iuxta affectum cuiusque erga illos, possunt aut omnes simul quotidie honorari & peculiari modo coli, aut certi aliqui. V.g.

Die Dominico, Sanctissima Dei Genitrix Maria.

Feria 2. Sancti Angeli cum SS. Patriarchis & Prophetis.

Feria 3. SS. Apostoli cum SS. Euangelistis, Discipulis Domini & Innocentibus.

Feria 4. Sancti Martyres.

Feria 5. Sancti Confessores, Pontifices, cum SS. Doctoribus.

Feria 6. Sancti Religiosi, cum SS. Sacerdotibus, Leuitis & Confessoribus laicis.

Sabbato, Sanctæ Virgines cum SS. Viduis & Mulieribus.

Faciendum opus aliquod particulare, vt dictum est, in honorem singulorum.

Die Dominico, exempli causa, decebit in honorem B. Virginis aliquid facere, quod aut nutriat, aut conseruet, vel augeat humili-

militatem & candorem animi, &c.

4. Vt autem hæc omnia ordinatè, & cum maiore præstentur feruore, conferet plurimùm, non solùm diem præscribere, quo Sanctis veneratio impendatur, sed certam quoque horam ad id quotidie designare.

De requisitis ad Sanctorum cultum.

PRimò requiritur, contritio & dolor de peccatis, quæ longè ab omni sanctitate, Beatorum gloria, & Diuina separant maiestate.

2. Ad acquirendam animi confusionem, conferenda est Sanctorum vita cum nostra: quantum nimirum hæc flagitiosa sit, & differat ab illorum pia conuersatione; ponderando ita ex vna parte virtutes eorum & mores sanctos, & ex alia multitudinem nostrorum peccatorum.

3. Excitatio ad amorem Dei, considerando eum esse auctorem & principium cælestis illius & æternæ felicitatis.

4. Ponendi ob oculos Sanctorum labores & ærumnæ, quas in hoc mundo pro Christo Domino assiduè pertulerunt; & illorum

beati-

beatitudo & gloria, nullum vmquam finem habitura.

5. Agendæ Deo gratiæ, de gloria tanta Sanctis concessa. Quod sine dubio gratum illis erit, quandoquidem ipsi quamcumque creaturam ad benedicẽdum Deo, & gratias illi referendas pro tantis beneficiis, adhortantur & inuitant. Si enim tres illi pueri liberati ex fornace Babylonica Deo in suis creaturis benedicebant, quantò magis Beati erepti ab incendio æternæ damnationis?

6. Excitanda spes acquirendi gloriam illam, in qua Sancti sunt collocati. Nam & idem Deus est, & misericors qualis tunc fuit: & nos, & ipsi homines; solùm requiritur vt illorum vitam imitemur.

7. Excitandus animus ad exercitationem virtutum, in Sanctis maximè qui illo die colendi erunt, extirpando molestiores defectus. Sancti iidem rogandi, vt in vincendis & eradicandis vitiis nostris, acquirendisq; suis virtutibus, sint adiumento: quò & comites huius peregrinationis, & in hora mortis fidi sentiantur aduocati.

THE-

INRI

THESAVRI PRECVM ET EXERCITIORVM SPIRITVALIVM PARS PRIMA

De Deo.

CAPVT PRIMVM
De Sanctissima Trinitate.

EXERCITIVM I.
De cultu Sanctissimæ Trinitatis.

VEMADMODVM Christianis omnibus, sic potissimũ religiosioribus Dei amatoribus curandum, vt intimum quemdam affectum & obseruantiam sibi excitent erga SANCTISSIMAM TRINITATEM; qua nihil debet coli religiosiùs, nihil amari ardentiùs, nihil in memoria versari frequentiùs: idque non modò veterum Patrum (quos lon-

gum esset recensere) sed modernorum quoque exemplo. E quibus vnum pro multis habetote B. IGNATIVM, Societatis IESV Parentem: qui primis conuersionis suæ ad Deum initiis, cùm magna erga tres SANCTISSIMÆ TRINITATIS personas pietate teneretur, singulisque statas quotidie preces persolueret, die quadam in gradibus templi Dominicanorum consistens, & horarias B. VIRGINI preces recitans, cœpit ita in Deum intellectu ferri, quasi SANCTISSIMAM TRINITATEM, specie quadam visibili id significante exteriùs quod interiùs percipiebat, cerneret; ea diuinæ consolationis magnitudine & copia, vt sibi à suspiriis fletuq. etiam inter ipsas publicas supplicationes, (quas deinde prosequutus est) ad prandium vsque temperare nequiuerit, aut verò à prandio aliud omnino vel cogitare vel loqui, quàm de SANCTISSIMA TRINITATE, tanta tamque varia rationum, similitudinum, atque exemplorum copia, vt admirationi omnibus audientibus esset. Quæ res ita in eius mente hoc ineffabile mysterium inscripsit, ac veluti impressit, vt illo ipso tempore, homo legendi scribendique tantùm sciens, de eo librum scribere sit aggressus, & ad totam vitam insculptæ illius veritatis vestigia extarent. Semper enim cùm ad SANCTISSIMAM TRINITATEM orationem funderet, (quod frequenter, & diu faciebat) eximiam diuinæ consolationis suauitatem percipiebat, & aliquãdo quidem singularem quãdam in DEVM

PATREM, totius diuinitatis fontem, & reliquarum personarum originem atque principium. Pietatem sentiebat deinceps etiam in FILIVM: postremò in SPIRITVM SANCTVM: singulis se personis commendans & tradens, & simul ex omnibus, quasi ex vno atque eodem gratiarum omnium plenissimo fonte, virtutes omnes abundanter hauriens. Vide P. Ribadeneiram lib. 1. c. 7. de Vita B.P. Ignatij.

Hoc vobis, Sodales, sit velut præludium, quo maiori fiducia atque alacritate sequentia Exercitia ingrediamini.

ORATIO PRÆPARATORIA.



SACROSANCTA & indiuidua TRINITAS, Deus meus, & omnia, ego puluis & limus terræ, coram Maiestate tua prostratus supplico, vt mihi gratiam largiri digneris, qua vires atque operationes meæ omnes sincerè ad tuam gloriam & cultum tendant; maximè verò in hoc mētis exercitio, quod hodie pro mea tenuitate, non ob curiositatem vel vanitatem, aut alium minùs ordinatum affectum, sed ad amorem tuum augendum præparo.

Compositio loci, seu PRIMVM PRÆLVDIVM, *modo sequenti fieri potest.*

INtellectui obiicias cælum empyreum; in eoque thronum aliquem magnificentissimum, in quo SANCTISSIMA TRINITAS consideat, omnibus cælestibus ordini-

bus comitata; atque hac vel alia ratione vagabundam memoriam officio suo continebis. vel
Exod. 3. montem Dei Horeb, in quo Moyses vidit ardere Rubum, & non comburi, quia apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio eius: nec permissus est accedere propiùs, nisi soluisset calceamentum de pedibus suis: imò abscondit faciem suam, non audēs aspicere contra Deum: vt & tu discas, solutis tuæ mentis prauis & sordidis affectibus, Deum tuum alloqui, & puriore oculo aspicere.

SECVNDVM PRÆLVDIVM sit, in quo petas à Domino gratiam, qua altiora te non quæras; sed augustam illam Dei Maiestatem humili semper corde verearis, & vbicumque versatus fueris, præsentem tibi statuas; di-
Rom. 11. cens cum D. Paulo: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!

PRIMVM PVNCTVM.

COnsidera primò, quomodo Dominus Deus noster, qui est SANCTISSIMA TRINITAS, solus sit qui ab æterno à se, & non ab alio aliquo essentiam suam habuit. Tu verò à te aliud non habes, quàm ipsum quod dicitur NIHIL: in cuius abysso profundissima obrutus perpetuò atque sepultus māsisses, si diuina bonitas per creationem non te inde eripuisset. Humilia te ergo, & coram SANCTISSIMA TRINITATE, totus præ pudore liquescens, dic cum Propheta Dauid:

Sub-

Substantia mea tamquam nihilum est ante te. *Psal.38.*

Secundò, ex natura æternitatis diuinæ, cuius ESSE nec habet principium, nec est vlli mutationi subiectum; considera ESSE TVI, vilitatem & corruptionem, cùm quotidie deficias, & vita tua sit breuissima, ac plena mutationibus inueniatur, vt benè sanctus Iob clamat, dicens: Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet. *Dan.6.* *Iob 14.*

Ex hac Dei tui immutabilitate disces tu quoque perpetuò in virtutibus vniformiter stare, cùm scriptum sit: Homo sanctus in sapientia manet sicut sol; nam stultus vt luna mutatur. *Eccl.27.*

SECVNDVM PVNCTVM.

COnsidera primò, SANCTISSIMAM TRINITATEM esse purissimum & simplicissimum spiritum: & tamen non dedignari te aspicere, qui vas es immunditia plenum, innumeris necessitatibus, & morti tandem ipsi, tamquam stipendio, subiectum. Vnde ergo superbis puluis & cinis?

Secundò, consequenter infinitam Dei tui (cui omne cor patet, omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet vel minimæ naturæ secretum) sapientiam admirare: vt in tua ignorantia, tanto magis confundaris; quam nisi metus, & magistri pepulisset industria, fortasse brutis quàm hominibus fuisses similior. Et vt aliquid assequutus videaris, ita tamen adhuc

ſtupor tuus atque animi hebetudo præualet, vt cum reliquis ſapientibus ingenuè fateri cogaris, maiorem eorum quæ ſcias partem minimam eſſe eorum quæ ignoras. Ergo tantam Dei tui puritatem atque ſcientiam in te ipſo aliqua ratione repræſenta, vt oculus ac intentio tua ſimplex ſit, ac intellectus cum voluntate veram potiùs cordis puritatem quàm vanam ſcientiam aſſequatur.

Tertiò expende Dei tui infinitam bonitatem, quò pudeat malitiæ tuę, & ad malum pro-
Gen.8. nitatis: de qua Scriptura; Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Adde, quòd hac ipſa propenſione ad malum perpetrandum ita vſus ſis, vt iam ipſa tibi dominante, non ſine moleſtia, ad id quod bonum eſt, moueri valeas.

Quartò admirare Dei tui infinitam potentiam, & erubeſce, cùm viribus adeò ſis debilis, vt ſæpè minima infirmitas inutilem planè te lecto affigat; ac animo ita imbellis, vt minimum quod tibi intentatur à dęmone prælium, ac ſæpè in re nihili, te vincat atque deiiciat.

Quintò, offert ſe infinita Dei iuſtitia, quam meritò timebis, cùm eam tuis peccatis (quibus eluendis nondum ſatisfeciſti) aduerſum te prouocaueris. Hanc ergo, in teipſo peccata ri-
Prou.13. gidiùs caſtigando, imitari ſtude. Qui enim parcit virgæ, odit filium ſuum; qui autem diligit illum, inſtanter erudit.

TERTIVM PVNCTVM.

CONsidera paulo attentiùs hoc TRINITATIS mysterium. Ipsa enim est Deus, Vnus, & summè Vnus, Trinus tamen in personis, Pater scilicet, & Filius, & Spiritus sanctus.

Vide hîc primò, quomodo ESSE Dei tui, in infinitum omnium creaturarum essentiam excedat; sic vt hoc ipsum quod tu intelligis esse, ita sit à Dei esse distinctum, vt nihil illi comparari valeat. Nam esse eius, est ipsius essentia; & ipsius essentia, est eius esse. Hunc titulum sibi proprium seruare voluit SANCTISSIMA TRINITAS, cùm ait: EGO SVM QVI SVM. Quare cum Moyse eamdem, vt immensum quoddam omnis ESSE pelagus, reuerenter adora.

Secundò, vt sufficientissimum Deum tuum contemplare, qui extra se nulla re indigeat, qui in se gloria infinita præditus sit; qua fruitur, priusquam vlla creatura subsisteret, nec mundo iam facto vllo modo augetur.

Tertiò, quomodo supremus hic Deus principium & fons sit, ex quo omne esse, omnis vita, omne bonum processit, & quotidie promanat; à quo, vt ab ipso sole solares radij, cetera omnia pendent: vtpote in quo viuimus, mouemur, & sumus. *Act. 17.*

Quartò, quàm liberaliter se omnibus creaturis suis, præsertim verò rationalibus, communicet; quas sola sua & immensa bonitate, ad imaginem suam creauit, & æternæ felicitatis suæ capaces fecit

Quintò, quomodo SANCTISSIMA TRINITAS sit vltimus finis rerum omnium factarum, at particulariter animæ rationis participis; cuius beatitudo consistit in aspectu & fruitione Diuinæ suæ Maiestatis: sic vt nulla re extra ipsam posita, quisquam possit vmquam saturari. Vnde & anima Christiana vnire se debet tam nobili fini: hîc per amorem perfectiorem; in altera verò vita, per claram visionem & charitatem consummatam.

COLLOQVIVM *poterit fieri verbis S. Augustini.*

D. Aug. Medit. cap. 12.

O Summa Trinitas, virtus vna, & indiscreta Maiestas, Deus noster, Deus omnipotens, confiteor tibi ego vltimus seruorum tuorum, & exiguum membrum Ecclesiæ tuæ: confiteor tibi, & honorifico te, debito sacrificio laudis, pro scire & posse, quod mihi tantillo donare dignatus es. Et quia exteriora mihi munera desunt, quæ possim offerre; ea quæ in me sunt, vota laudationis ex dono misericordiæ tuæ, ecce libens atque ouans offero tibi de fide non ficta, & conscientia pura. Credo igitur te toto corde, Rex cœli, & terræ Domine, & oro te: confiteor Patrem, & Filium, & Spiritum sanctũ, in personis trinum, & in substantia vnum, verum Deum omnipotentem, vnius simplicis, incorporeæ, inuisibilis, & incircumscriptæ naturæ, nihil te superius aut inferius maiúsve aliquid habentem; sed per omnem modum sine deformitate perfectũ, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine

tempore

tempore sempiternum, sine morte vitam, sine infirmitate fortem, sine mendacio verum, sine situ vbique præsentem, sine loco vbique totum, sine extensione omnia implentem, sine contradictione vbiq. occurrentem, sine motu omnia transcendentem, sine statu inter omnia manentem, sine indigentia omnia creantem, sine labore omnia regentem, sine tui initio omnibus initia dantem, sine tui mutatione omnia mutabilia facientem: in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inæstimabilem, in consilijs terribilem, in iudicijs iustum, in cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordijs copiosum, erga delinquentes patientissimum, ergapœnitentes pijssimum, semper idipsum æternum ac sempiternum, immortalem atque incommutabilem; quem nec spatia dilatant, nec breuitas locorum angustat, nec receptacula vlla coarctant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec lęta demulcent; cui nec obliuio tollit quidquam, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit; sed ante sæcula, & in sæculis, & per sæcula in æternum viuis: & est tibi perennis laus & æterna gloria, summa potestas & singularis honor, perpetuum regnum & sine fine imperium, per infinita & indefessa & immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Aut poteris EXERCITIVM *finire alloquio S. Bernardi.*

D. Bern. Serm. 11. in Cant.

O Beata & beatifica SANCTISSIMA TRINITAS ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam à te infeliciter exulat. Discedens à te quantis se intricauit erroribus, doloribus, timoribus? Heu me! qualem pro te commutauimus trinitatem? Cor meum conturbatum est, & inde dolor; dereliquit me virtus mea, & inde pauor; & lumen oculorũ meorum non est mecum, & inde error. En quàm dissimilem trinitatem, animę meæ trinitas exulans offendisti? Verumtamen quare tristis es anima, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; cùm error videlicet à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis recesserit, & successerit illa quam speramus mira serenitas, plena suauitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus; vt sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem, consequente memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente.

EXER-

EXERCITIVM II.

De Sanctissima TRINITATE & Deo PATRE.

ORATIO PRÆPARATORIA, *quæ singulis Exercitiis præponi potest.*

ACTIONES nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

LOCO PRÆLVDII PRIMI in hoc Exercitio, pone ante oculos id quod Eliæ magno Prophetæ accidit; qui cùm iussus esset stare coram Domino, ac post transeuntem spiritum grandem veniisset sibilus aurę tenuis, vultum suum pallio operuit, non audens aspicere quanta ibi esset maiestas Domini. Sic ergo tibi in huius augusti mysterij contemplatione satis sit, nosse quòd Deus transit, nec contende eum modò videre sicut est, aut comprehẽdere; cùm Elias suo exemplo, mentis tuæ aciem ad supremam illam lucem caligare ostendat. 3. *Reg.* 19

SECVNDI PRÆLVDII loco à Deo gratiam postula, qua tuæ imbecillitatis conscius, sub potenti eius manu, magna animi demissione viuas; vt eius sublimitas sese ad te inclinet, prouocata tuæ miseriæ agnitione. Scito

etiam

etiam non posse te clariùs cognoscere huius mysterij sublimitatem, latitudinem, profunditatem, quàm firma fide, rara humilitate, & perfecta charitate.

Primò, perpende humili ac pia mente rationem, cur Deus non solùm mysterium hoc ineffabile, & alios quosdam Orthodoxæ fidei articulos, sed etiam non paucas rebus creatis inditas proprietates, voluerit captum nostrum hac in mortali vita excedere. Nimirum, ne omnia percipientes, exemplo Angeli apostatæ, plùs æquo scientia elati, in barathrum ruamus. 2. Vt simus humiles, & ignorantiam confiteamur. 3. Vt cognoscamus nosipsos, & captiuando intellectum, magis subiiciamur Altissimo; Deoque soli tribuendo scientiæ omniumque rerum gloriam, & per humilem subiectionem credendo, plus mereamur: sicut Abraham, qui quo minus scire studuit quid præciperetur, vel cur, hoc gratior Deo effectus est.

Secundò, considera quid sit credendum de SS. TRINITATE: nempe, tres esse in Diuinis personas, re inter se distinctas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; vnam verò numero naturam Deitatis, ac similiter vnam omnipotentiam, æternitatem, immutabilitatem, immensitatem, maiestatem & gloriam, intellectum, voluntatem, sapientiam, bonitatem, & cætera quæ in Symbolo S. Athanasij habentur, & in officio diuino cantantur, cùm dicitur: Vera & vna Deitas, vna & summa Deitas, sancta & vna Vnitas. & alibi; Eumdem Deum semper

eumdem

eumdem esse, viuere & intelligere. Quare tota TRINITAS potest dici vnus Deus in natura, omnipotentia, &c. Trinus in personis. Vnde discis, quanti sit facienda bonorum societas: nam Deus cùm natura vnus sit; tamen societatem habuit plurium. 2. Societatem eo perfectiorem esse, quo maior inter socios est vnio: vt erat in primitiua Ecclesia, quando Christiani accepto Spiritu sancto habebant cor vnum & animam vnam. At in SS. TRINITATE, non est solùm intellectus, voluntas, potentia, sapientia, bonitas; sed etiam natura vna, atque indiuidua.

Tertiò, considera SS. TRINITATEM vocari quoque Creatricem & Gubernatricem rerum omnium. Quanta ergo dignitas animæ Christianæ, vt à qua originem habet, ab eadem quoque perpetua quasi cura ac sollicitudine dirigatur? Vnde & dicitur

Deus Trinus & vnus, spes nostra, salus, honor, liberator, saluator, viuificator noster.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Patrum nostrorum. *Gen.24.*

Deus Israël fortissimus. *Gen.35.*

Altissimus. *Luc.6.*

Dominator, misericors, clemens, *Exod.34.*

Fidelis, & absque vlla iniquitate, scrutans corda & renes. *Deut.32.*

Iudex, iustus, fortis, susceptor, refugium, virtus nostra. *Psal.7.& 8.*

Deus exercituum. *Esa.10.*

Auctor omnis gratiæ. *1.Pet.5.*

Bene-

2.*Mach.* Benedictus per omnia.

*Act.*17. In quo viuimus, mouemur, & sumus.

2.*Cor.*1. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

*Rom.*15. Deus patientiæ, solatij, & spei; Rex sæculorum, immortalis & inuisibilis.

In hoc eodem puncto, quo SS. TRINITATEM Creatricem & Gubernatricem omnium considerasti, descendes peculiariter ad homines, qui creati sunt ad imaginem & similitudinem Dei & SS. TRINITATIS; quia in omnibus vna est anima spiritualis, & tres spirituales potentiæ, intellectus, voluntas, & memoria; imò in omnibus creaturis vestigium eiusdem SS. TRINITATIS relucet, quippe cùm in ijs sit aliqua natura, vis vel potentia ac operatio: insuper & in vilissimis creaturis intimè inest secundùm essentiam, præsentiam, & potentiam. Quòd nisi ita se haberet, omnes in nihilum recíderent, ac penitus perirent. In ipso enim viuimus, &c. vt ex Apostolo dictum est. Quod beneficium non perciperemus, nisi intimo amore Deus omnes creaturas, quatenus bonum aliquod in illis est, prosequeretur. Cur ergo vicissim non amabimus, non complectemur Creatricem omnium SS. TRINITATEM?

*Act.*17.

Quartò, in particulari de DEO PATRE considera, quod vocetur

*Rom.*15. Pater Domini nostri Iesu Christi: Pater misericordiarum.

Symbol. Athanas. Pater qui cum Filio & Spiritu Sancto vnius est Diuinitatis, coæqualis glo-

riæ,

riæ, coæternæ maiestatis.
Pater increatus, immensus, & æternus.
Qui à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.
Ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur.
Qui quærit in spiritu se adorantes. *Ephes. 3. & Ioan. 4.*
Cui omnia sunt possibilia. *Marc. 14*
Pater Christi, qui vsque modò operatur, qui est, & manet in Filio. *Ioan. 5. & 10.*
Pater viuens, qui Filium diligit, & ipsum misit in mundum. *Ioan. 6. & 17.*
Pater iustus & sanctus.
Pater gloriæ. *Ephes. 1.*
Pater spirituum. *Heb. 12.*

Hos titulos vbi perpenderis, subiungere poteris Orationes sequentes, dicendo:

Vers. Benedicamus ergo Patrem & Filium cum sancto Spiritu.
Resp. Laudemus & superexaltemus eum in sæcula.
Vers. Benedicat nos Deus noster, benedicat nos Deus.
Resp. Et metuant eum omnes fines terræ.

Oratio ad SS. TRINITATEM.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei æternæ TRINITATIS gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Dominum nostrum.

ORA-

ORATIO DOMINICA
ad formam prioris modi orandi paraphrasticè explicata.

PAter. Excelsus in creatione, suauis in amore, diues in hereditate: quotidie generans spirituales filios, per amorem viuificatem.

Noster. Iesu Christi per naturam, hominum mortalium per gratiam, Beatorum per gloriam, & totius creaturæ per creationem; vbique diffundens signa tuæ suauissimæ bonitatis.

Qui es. Duratione æternus, substantia infinitus, bonitate optimus. Reliqua omnia ex te, ô Pater clementissime, (qui propriè es) habent esse suum, & subsistunt.

In cælis. Speculum æternitatis, corona iucunditatis, thesaurus felicitatis. Quando ergo, ô Pater benignissime, filius tuus efficiar? quando ita te diligam, vt in me vestigium aliquod tuæ bonitatis appareat? Et cùm in cælis sit requies tua, quando ô anima mea instar cæli speciosa, & virtutum rutilantibus stellis ornata eris, vt Deus in te habitationem suam constituat? Hoc aliquando sperare me iubes, quia pater es, (quis enim pater non audit filium?) & ego opus manuum tuarum. Cùm verò in cælis sit habitatio tua, cur velim diutiùs morari in terra?

Sanctificetur. Sublata omni terrenâ labe, tu solus super omnia diligaris, & honoreris, per fidem viuam, per spem solidam, per charitatem inflammatam.

Nomen. Gloria Filij tui, vt crucem eius

fideli-

fideliter & constanter sequamur.

Maiestas tui sancti Spiritus, vt eius motus & inspirationes audiamus.

Paternitas tua, vt genuini filij tui reddamur.

Tuum. Vt sit mel in ore, melos in aure, iubilus in corde: vt tu solus glorificeris, solus ceu vltimus finis desidereris & ameris.

Adueniat. Supernè à patre luminum, intus ab anima, foris à gratia non natura.

Regnum. Iustitiæ, gaudij, pacis in Spiritu sancto. Regnum, in quo licebit Angelorum choris interesse, & cum ipsis glorię Conditoris assistere, præsentem tuum vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari.

Tuum. Non mundi fallacis, non carnis mortalis, non diaboli impostoris.

Tuum. Iucundum sine afflictione, trãquillum sine perturbatione, securum sine amissione. Tu quidem regnas, ô Pater, in toto vniuerso: sed desidero vt nos, dum viuimus, tãquam benignus Pater gubernes, non vt Iudex seuerus; qui à Filio tuo dilectissimo, potiùs hîc vocaris Pater quàm Iudex.

Fiat. Per tuum mandatum, per tuum consilium, per tuum & cum tuo auxilio.

Voluntas tua. Bona in creatione, beneplacẽs in redẽptione, perfecta in iustificatione.

Sicut in cælo. Ad imitationem Beatorum, ad similitudinem Deiparæ Virginis, ad modum Christi.

Et in terra. Vt quidquid tu non vis, nolimus; quidquid amas, amemus; quidquid iubes, faciamus: nostram autem voluntatem, quę semper ad malũ tendit, perpetuò reprimamus.

Panem nostrum. Panem lacrymarum; panem verbi Dei; panem sanctorum Sacramentorum.

Quotidianum. Quia sine illo morimur; sine illo nihil scimus, sine illo delinquimus.

Da. Quia tibi proprium est dare.
Quia beatius est dare quàm accipere.
Quia nostrum est à te accipere.

Da. Non Angelis, sed filiis.
Non homo, sed Creator.
Non datum, sed dator.

Da. In Incarnatione Verbum tuum.
In Iustificatione Spiritum sanctum.
In Glorificatione te ipsum.

Nobis. Indignis, ingratis, inutilibus; imò & rebellibus seruis tuis.

Hodie. In hoc die malitiæ, in hoc die tenebrarum, in hoc die miseriarum ac tribulationum.

Et dimitte nobis. Tu qui es misericordia, tu qui es fons gratiæ, tu qui in cruce debitorum nostrorum posuisti pretium.

Debita. Contra tuam Maiestatem, contra proximi charitatem, contra nostram salutem commissa.

Nostra. Ea enim contraximus corde, profudimus ore, expleuimus opere.

Sicut & nos dimittimus. Si nos non dimitti-

mittimus illis, tu non dimittis nobis. Si dimittimus, filij tui per imitationem sumus. Si condonamus, verbis tuis paremus.

Debitoribus nostris. Qui leuiter, ignoranter, iustè offenderunt nos, mille gehennas promeritos.

Et ne nos inducas. Tollendo tuam gratiam, remouendo salutis media, tuam dulcem præsentiam subtrahendo, occasionem peccandi permittendo.

In tentationem. Carnis, mundi, diaboli.

Sed libera. Tu qui es liberator, Saluator, & Redemptor.

Nos. Mortis filios, peccati seruos, diaboli mancipia.

A malo. Præterito, præsenti, futuro: à malo scilicet culpæ & pœnæ.

Amen. Fiat, à te, per te, in te, vt fine vltimo.

EXERCITIVM III.

De FILIO seu secunda Persona SS. TRINITATIS.

CONSIDERA hoc loco maximè ea quæ pertinent ad FILIVM secundùm naturam diuinam. Primò, quòd Pater æternus ex perfectione & fœcunditate suę naturæ (quæ propter omnimodam infinitatem non potest vna sola

persona conclu di, sed media origine constituit tres Personas, ab omni æternitate per Intellectum genuerit Filium sibi consubstantialem, & per omnia similem & æqualem: vnde est Deus de Deo, lumen de lumine, & Deus verus de Deo vero, vt in Symbolo Nicæno canitur. est æternus vt Pater: sicut enim lux eodem momento quo est, gignit splendorem, ita vt æterna lux, si quæ esset creata, coæternum sibi splendorem produceret; ita Pater, qui ex naturæ suæ excellentia & altitudine lux est æterna & inaccessibilis, Filium hunc vt candorem lucis & splendorem gloriæ suæ genuit. Simili modo est immensæ & æqualis cum Patre maiestatis & gloriæ, potentię, sapientiæ, & bonitatis, ac cuiusuis alterius virtutis & perfectionis: quia habet eãdem cum Patre naturam ac essentiam, à qua Pater habet omnem suam maiestatem ac dignitatem, potentiam, sapientiam, bonitatem, ac omnem denique perfectionem: quare ei etiam debetur æqualis cum Patre honor ac reuerentia ratione dignitatis, & amor ratione bonitatis. Deinde quia eamdem cum Patre potentiam habet, eadem omnia quæ Pater facit extra se in creaturis, ipse etiam cum illo facit in creatione & gubernatione orbis terrarum: vnde omnia per ipsum facta dicuntur, omniaque dicitur portare verbo virtutis suæ. Imò quia eamdem habet cum Patre voluntatem, qua Pater spirat & producit Spiritum sanctum, ipse etiam simul cum Patre illum spirat, ac nobis dare & mittere dicitur. Considera in

Sap.7.
Heb.1.

Ioan.1.
Heb.1.

his

his dignitatem FILII DEI, qui tanto melior Angelis est effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim aliquando Angelorum dixit Deus: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Quis Angelorum dicitur Deus, cùm de hoc dicatur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? Attende quid illi debeas. *Heb. 1.* *Ioan. 1.*

Considera secundò, quòd quia FILIVS per Intellectum procedit in diuinis, ideò primò vocetur Filius: hinc enim habet quòd procedat per modum similis in eadem natura. nam sicut verbum mentis humanæ, dum quis seipsum contemplatur, est viua quædam repræsentatio sui: ita Pater cælestis seipsum contemplans, viuam sui repræsentationem & imaginem producit; quæ in Deo non est accidens, vt in nobis, sed substantia: nam in Deo accidens esse non potest, & infinita vis intelligendi ipsius facilius substantiam quàm noster intellectus accidens producere potest: & sic intellectio per Patrem producta est verus Filius eius. 2. vocatur Verbum, quia sicut vox significatiua seu rei alicuius repræsentatiua ore prolata est verbum oris, ita conceptio seu repræsentatio rei in Intellectu formata vocatur verbum mentis: & ita diuinus ille Apostolus & Euangelista, In principio, inquit, erat Verbum. *Ioan. 1.* 3. vocatur Imago Patris, quia est viua & expressa similitudo ipsius.

Considera tertiò, quòd sicut Patri in diuinis appropriantur ea quæ sunt potentiæ, & Spi-

ritui ſancto ea quæ ſunt amoris & bonitatis? quia per voluntatem procedit; ita Filio appropriantur ea quæ ſunt intellectus & ſapientiæ; vnde vocatur Sapientia æterna & increata, & in ipſo dicuntur reconditi omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Ex his autem intelliges & conſiderabis titulos, quibus FILIVS vt ſecunda perſona SS. TRINITATIS deſcribitur & decoratur: vt ſunt

Filius Dei.
Filius Patris altiſſimi.
Verbum Patris.
Symbol. Nicen. Deus de Deo.
Nicen. Lumen de lumine.
Deus verus de Deo vero.
Patri conſubſtantialis.
Sap. 7. Candor lucis æternæ.
Ibid. Speculum ſine macula & imago bonitatis diuinæ.
Heb. 1. Splendor glorię & figura ſubſtantiæ Patris.
Col. 1. Imago Dei inuiſibilis.
Pſal. 109 Ante luciferum genitus.
Sapientia æterna.
Sapientia increata.
Spirator Spiritus ſancti.
Ioan. 15. Dator S. Spiritus.
Omnium opifex ſapientia: & per quem facta ſunt omnia.
Col. 1. Primogenitus omnis creaturæ.
Col. 1. Per quem, & in quo, creata ſunt & conſtant omnia.
Heb. 1. Portans omnia verbo virtutis ſuæ.

In

In quo, quod factum est, vita est. *Ioan. 1.*
Purgationem peccatorum faciens. *Heb. 1.*
Principatum tenens in omnibus. *Col. 1.*

Laudabis ergo in his & benedices ac confiteberis FILIO DEI, super omni gloria, potentia ac perfectione sua: & orabis eum, vt ipse qui Filius Dei est naturalis, faciat te adoptiuum per gratiam; qui imago est Patris, reparet in te primogeniam imaginem & similitudinem Dei, in qua conditus fuisti: ipse purget peccata tua, maximè quæ per errorem vel ignorantiam admiseris; Spiritumque sanctum mittat, cum charismatis & donis maximè Sapientiæ, Intellectus, Scientiæ, & Consilij: ipse te candore lucis illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum illuminet, ac in æternum suo splendore gloriæ beatum faciat. Amen.

EXERCITIVM IIII.

De SPIRITV SANCTO, tertia Persona SS. TRINITATIS.

PRIMO considera, quis SPIRITVM SANCTVM in corda hominum miserit: nempe Pater æternus; tribus rationibus motus. 1. Ob infinitam suam charitatem & bonitatem eamdem, qua Filium suum misit, vt esset sanctificator noster, idq. ex gratia, non meritis nostris, qui tam indignè à nobis exceptus est. 2. Ob merita eiusdem Filij sui, qui passione & morte hoc donum meritus est, & discipulis suis promisit. 3. Ob summam miseriam nostram, quę Patrem misericordiarũ permouit, vt post Christum filium, etiam Spiritum sanctum, tamquam omnium malorum nostrorum remediũ efficacissimum, porrigeret. Sic Iustitia & Misericordia obuiauerunt sibi. Iustitia quidem ex parte Christi, qui missionem Spiritus sancti meritus est: Misericordia verò ex parte bonitatis diuinæ, nostram miseriam respicientis. *Psal.* 84.

Secundò considera, ob quem finem. Nimirum, vt quod Christus modo quodam visibili apud discipulos suos officium præstiterat protectoris, aduocati, & consolatoris, idem præstaret Spiritus sanctus, ratione quadam inuisibili, iuxta illud Christi; Et alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. 2. Vt *Ioan.* 14.

succederet Christo in officio magistri, vt Dominus ait: Spiritus sanctus, quem Pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia: quæ scilicet spectabunt ad vestram & aliorum salutem & perfectionem. idque non sicca quadam & ieiuna doctrina, sed impinguante, & deuotionem in cordibus excitante, iuxta illud: Vos vnctionem habetis ab eo, & nostis omnia. 3. Vt in cordibus Apostolorum testimonium de Christo, quis scilicet, & vnde esset, præberet: quo permoti, & ipsi mundo publicè idem nuntiarent. Vnde fit, vt iusti hoc spiritu imbuti, scientes Christum esse Deum & hominem, Saluatorem & vnicum remedium animarum, ipsum magnificiant, ex toto corde ament, & sic imitari studeant, vt per bona opera indies magis magisque cognoscatur, & honoretur, ac Pater eius cælestis glorificetur. 4. Vt reprehendat & mundi vitia corrigat, non solùm generatim, quod per Christum & Apostolos fecit; sed etiam vnumquemque in particulari monendo suorum peccatorum, exhortando ad vitæ correctionem, mentemque illustrando, vt inter vitia & virtutem, inter Christum quem imitetur, & diabolum quem declinet, clarè discernat.

Ioan. 14.

Ioan. 2.

Tertiò, considera excellentiam huius doni. Est enim omnium donorum primum, atque adeò ceterorũ omnium quasi fons perpetuus. Deo siquidem non satis fuit dare nobis gratiam, & charitatem, ceteraque virtutes supernaturales; sed etiam voluit causam horum om-

nium

nium tribuere, quò ea in nobis conseruet, augeat & perficiat; eo ferè modo quo ille faceret, qui non contentus sitienti aquam prębere limpidam, ipsum quoque fontem, vnde illa perpetuò scaturiret, liberaliter donaret. Vnde Christus aiebat: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erãt credentes in eum. & alibi: Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Ioan.7.* *Ioan.4.*

Quartò, considera quibus hoc donum oblatum fuerit. Mirum quidem est, dono hoc, quo nihil præstantius habuit Deus Pater, pauperes piscatores & idiotas, abiectioriſque fortunæ homines ornatos fuisse: sed multò magis mirandum est, omnes mundi nationes idololatras, & quàm maximè à Deo alienas, huius participes fuisse factas. Verè non est acceptor personarum Deus; sed effundit spiritum suum supra omnem carnem, non iam carnaliter viuentem, sed spiritu se mortificantem, *Rom.8.* *Ioël.2.* *Rom.8.*

Quintò, considera, non sine animæ præparatione hoc donum dari. Hæc autem præparatio quatuor continetur virtutibus. Prima est conscientiæ puritas; purgandum enim accuratè ab omni inquinamento peccati vasculum cordis, quò tam nobilis fiat capax liquoris. Secunda est cordis eiusdem humilitas, qua teipsum exinanire studeas, & à contrario, hoc est, inflante spiritu liberare. Tertia, fiducia in Deũ, non propriis, sed Christi Domini meritis ac bonitate freta. Quarta, oratio feruens, qua Spi-

ritus

ritus dona eidem Dei infinitæ liberalitati innixus postules. His præmissis, contemplare vitam primorum Christianorum, tribus primariis virtutum exercitiis fultam. Quarum prima erat perseuerantia in doctrina Apostolica, dum se occuparent in audiendis concionibus, & legendis libris sacris, quibus se in fide sana confirmabant, & contrariam doctrinam velut pestem fugiebant. 2. perseuerantia in communione fractionis panis, hoc est sacræ Eucharistiæ perceptione, qua spiritalis vitæ gratia conseruaretur & augeretur. 3. perseuerantia in orationibus. Exercebant se non in certa quapiam oratione, sed in omni precationum genere, nempe, obsecrationibus, postulationibus, gratiarum actionibus, laudibus, hymnis, psalmis, canticis spiritualibus, orantes in omni loco, puraſque ad Deum manus cum magno affectu leuates. Da operam, vt cum iisdem Christianorum primitiis sedulò audias verbum Dei, piè Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta frequentes, & sine intermissione precationibus & diuinis laudibus insistas: vt his sanctis exercitiis præparatus, Spiritus sancti robur accipias.

1. *Tim.* 2.

Sextò considera, Spiritui sancto proprium esse electis suis vitæ Euangelicæ perfectionem inspirare, quam Christus commendauit, & primitiuæ Ecclesiæ fidelibus ita impressit, vt posteris præclarum reliquerint exemplum vitæ communis, quam summa cum animorum vnione & charitate coluerunt. Omnes enim

qui

qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia, eratque multitudinis credentium cor vnum & anima vna. Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, &c. Possessores agrorum & domorum, ea vendebant, eorumque pretia ad pedes Apostolorum adferebant, paupertatis Euangelicę specimen prębentes, omniumque rerum dominio se abdicantes. Quare si perfectioris vitę æmulator es, &, Spiritu sancto mouente, mundo mori exoptas; hæc primitiuæ Ecclesiæ imitare vestigia, ad Religiosorum familiam propera, & paupertatem Euangelicam non oscitanter sequere. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia; vt D. ait Ambrosius. Quòd si cõmunem Christianorum vitam ducere malis, corde saltem omnibus renuntia; cùm omnibus dictum sit: Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Act. 4.

Ambr. in c. 1. Luc.

Luc. 14.

Pater noster. Aue Maria.

EXERCITIVM V.

De eadem Tertia Persona.



PRIMÒ, pro beneficiis omnibus in te collatis gratias age: præcipuè hoc nomine, quòd te ad sacri Baptismatis gratiam perduxerit, & ex Christianis te nasci parentibus, ac ab ijsdem in fide Catholica educari voluerit: quodque à pristino tuo viuendi genere ad frequentem Sacramentorum vsum traduxerit.

Secun-

Secundò, in vnione meritorum & sanguinis Domini nostri IESV Christi totum te illi offer, præsertim verò voluntatē & cogitationes.

Tertiò, beneficia tibi tuisque proximis necessaria pete: præcipuè vt voluntatem tuam tanto charitatis igne inflammet, vt nulla eum tentationis vel tribulationis procella extinguat: vt tua voluntas, diuinę ipsius voluntati semper sit conformis: tuas item cogitationes castas & puras efficiat, tibique bonitatem ac sanctitatem, & septem illa sua dona largiri dignetur, quò anima tua suum templum effici mereatur: atque hæc omnia per IESV Christi pretiosum sanguinem flagita. Vt verò erga Spiritum sanctum magis afficiaris, & eumdem interno animę palato deguſtes; titulos, qui ipsi in Scripturis tribuuntur, pia mente percurre, & ad tuam vtilitatem eos trahe; vt dicere cum D. Gregorio

Homil. 30. possis: Tergam sordes praui operis, vt Deo præparare valeam domum mentis.

Hoc iacto pię voluntatis & insuper fidei circa SPIRITVM SANCTVM fundamento, nempe ipsum à Patre Filioque procedere, & cum ijsdem simul adorari & conglorificari, perque Prophetas locutum esse; considera quomodo vocetur

2. Reg. 23 Spiritus Domini Dei Israël.
Sap. 7. Dominator hominum.
Replens orbem terrarum.
Sap. 1. Habens omnem virtutem.
1. Cor. 12. Omnia bona operans, & prospiciens.
Sap. 7. Ornās cælos; stabilis & securus permanēs.

Spiri-

Spiritus veritatis, omnia ſuggerens & diſtribuens.	*Ioan.16.*
Spiritus ſapientiæ & intellectus.	*Iſaiæ 11.*
Spiritus conſilij, fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis.	
Spiritus timoris Domini, & prudentiæ.	
Spiritus quo inſpirante loquuti ſunt ſancti Dei homines.	*2. Petri 1.*
Quæ ventura ſunt annuntians.	*Ioan. 16.*
Donum & promiſſio Patris.	
Spiritus arguens mundum.	*Act.2.*
Spiritus in quo dæmonia eiiciuntur, & ex quo homines renaſcuntur.	*Ioan.16.*
Per quem charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.	*Rom.5.*
Spiritus adoptionis filiorum Dei.	*Ibid.4.*
Spiritus gratiæ & miſericordiæ.	*Zach.12.*
Spiritus adiuuans infirmitatem noſtram, & reddens teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei.	*Rom.8.*
Spiritus ſuauis, benignus, ſuper mel dulcior.	*Sap.7.*
Pignus hereditatis noſtræ, ſpiritus deducens nos in terram rectam.	*Eccl.11.*
Spiritus principalis, viuificans, & confortans.	*Pſal.141.*
Spiritus ſalutis, iudicij. & gaudij,	
Fidei, pacis, ardoris,	
Humilitatis, charitatis, & caſtitatis,	
Benignitatis, bonitatis, longanimitatis ac manſuetudinis,	
Lenitatis, veritatis, vnitatis ac cõſolationis,	

Com-

Compunctionis,& promissionis,
Renouationis ac sanctificationis.
Spiritus vitæ, patientiæ,continentiæ, modestiæ,ac denique
Spiritus omnium gratiarum.

Cùm ergo tanta eluceant Diuini erga te amoris argumenta, meritò ex imo pectore ad Spiritum sanctum clamabis,dicendo:

Vers. Emitte Spiritum tuum,& creabuntur.

Resp. Et renouabis faciem terræ.

ORATIO.

DEus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere,& de eius semper consolatione gaudere.Per Dominum nostrum.

Alia ORATIO *ex Meditat.D.Augustcap.*9.

OMnipotens Paraclite Spiritus clementissime, mœrentium consolator, cordis nostri penetralibus potenti virtute illabere, & tenebrosa pectoris nostri latibula coruisci luminis fulgore lætifica,tuiq. roris intima aspersione fecunda: saucia interioris hominis arcana amoris tui iaculo, & torpentis medullas iecoris flammis salutaribus succende. Pota nos torrente voluptatis tuæ, vt nihil iam mundanorum degustare lubeat, aut venenatæ dulcedinis. Veni benignissime dolentis animæ consolator,protegens in oportunitatibus, in tribulatione adiutor: veni mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, humilium doctor, superborum destructor, orphanorum pius pater,viduarum dulcis iudex,spes

paupe-

pauperum; refocillator deficientium, nauigantium sidus, naufragantium portus: veni omnium viuentium singulare decus, morientium vnica salus: Veni sanctissime Spiritus, & miserere nostri.

Alia ex Scripturis diuersis.

SPiritus sancte Deus, ex Patre Filioque procedēs, animarum nostrarum paraclite suauissime, numine tuo omnia fouens & viuificans: adiuua infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus; ideò tu postulare nos fac gemitibus inenarrabilibus. O pignus hereditatis nostræ, deduc nos in terram rectam, & indue virtute ex alto, inducēs nos in omnem veritatem. Veni Auster, perfla hortum tuū, & fluant aromata eius; orna tuis cælestibus donis animas nostras, à quibus obstetricante manu tua educatur tortuosus coluber. Tu corda nostra posside, & mane nobiscū in ęternum.

Hymnus ad S. SPIRITVM.

VEni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.

Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animę, dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

Laua quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. AMEN.

Vers. Repleti sunt omnes Spiritu sancto.

Resp. Et cœperunt loqui.

ORATIO.

VRe igne sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum, Domine: vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

MEntes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet; & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ misericors Deus: vt Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

Oratio ad PATREM.

PAter noster cęlestis, da nobis Spiritũ tuum bonum & suauem, qui deducat nos in terram rectam: aufer à nobis cor lapideum, & da cor carneum; & fac vt in præceptis tuis ambulemus, & iudicia tua custodiamus, ac operemur. Trahe nos ad Filium tuum, quem misisti Iesum Christum, pro nobis crucifixum Dominum nostrum. O Domine messis, mitte operarios in messem tuam, & concede propitius,

vt in tuo diuino seruitio incipiamus, & perseueremus vsque in finem. In nomine eiusdem dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi.

Oratio ad PATREM *&* FILIVM *&* SPIRITVM SANCTVM.

PAter cælestis, qui creasti me cùm non essem, qui per Filium tuum redemisti me cùm perditus essem, qui regis & gubernas me ab infantia mea, & ad vltimum beatitudinis æternæ finem tam multis auxilijs, tanta cum beneficentia deducis, quam ego charitatem huic charitati tuæ rependam? Tribue ipse mihi tu Pater piissime eam, quam ego possem tibi dignè retribuere. Dirige, precor, cor meum in dilectione tui. Da mihi charitatem rectam, vt amem in te quod debeo; congaudeam ex præcordijs meis tibi, de interno bono infinitæ tuæ perfectionis essentialis, de Maiestate, de sapientia, de bonitate, de beatitudine tua superfeliciissima, æterna, independenti, prima, & à qua esse, & perfectio omnium creaturarum procedit, conseruatur & consummatur. Congaudeam de æterno bono, & gloria nominis tui. Concupiscat anima mea incessanter in se, & in omnibus rebus, augeri hunc ipsum honorem tuum, & beneplacitum. Occupa Deus totum cor meum, quod tam multis modis totum tuum est; vt te solum diligam, cetera autem propter te. Tribue Deus meus, vt in omnibus beneplacitum tuum intendam & quæram, nec quidquam nisi propter ipsum amem;

& non solùm statum vitæ meæ, sed singulos etiam actus, ad ipsum dirigam.

Amem & te Domine Iesu Christe, qua intentione debeo, non tantùm propter me, quia protector meus, salus mea, iustitia, sapientia, virtus, beatitudo, & bonum omne meum tu es: sed potiùs diligam te propter te; quia benefactor es, quia prior dilexisti me, quia summè bonus, & summè amari dignus es.

Amem & te Spiritus alme, quomodo debeo. Auge in me lumen discretionis, ad inueniendam & implendam voluntatem tuam, vt te secundùm te diligam, & non aliter quàm vt tibi placet: ne proprium quidem bonum vitæ aut patriæ velim, vt vnus tecum spiritus fiam, vt in te totus per omnimodam voluntatis conformationem transformer, à me prorsus egrediēs, & in te toto corde transiens, qui es summa & perfecta bonitas, & solus amabilis in sempiterna sæcula sæculorum. Amen.

Alia ORATIO *ad inflammandam animum in* DEVM.

OMnipotens sempiterne Deus, conditor cæli & terræ, vniuersorum Domine & conseruator, moderatorque infallibilis, quem nulla latet cogitatio: qui me ad imaginem & similitudinem tuam creasti, & in præsens tempus in esse tam nobili conseruasti, per vnigenitum Filium tuũ laboriosissimè ex mera charitate liberasti, ad nominis tui benedicti agnitionem, & ad sanctam Religionem Christianam peruenire fecisti: à multis animæ & cor-

poris malis, ab innumeris peccatis, & peccatorum voraginibus, à damnatione perpetua sæpissimè liberasti: ad æternam denique beatitudinem elegisti, prout me confidere de tua misericordia iubes. Pro his & innumeris aliis bonis, quæ operatus es in me, & in omni creatura, tibi sit honor & gloria, & gratiarum actio, cordiale seruitium, castus timor, & sincera dilectio in omnia sæcula.

Optime Domine, fac me tandem esse gratum; & pessimæ ingratitudini, & peccatis meis infinitis, tibi (non mihi) perfectè cognitis, clementer ignosce. Vince malitiam meam tua clementia. Dona mihi humilem & discretam erratorum cognitionem, veram pœnitentiam & emendationem. Fac in posterum te non amplius offendam, sed amicitiam tuam perquam dulcissimam, & gratiam tuam pretiosissimam, affectuosissimè diligam, & requiram cum perseuerantia, per tuam infinitam dignationem & misericordiam. Corpus & animam meam ad seruiendum tibi corrobora. Fac me debitè, sobriè, ac tantummodò pro nominis tui gloria, creaturis tuis vti.

Piissime Iesu, tibi & sancto Spiritui gratiarum actiones refero æqualiter, sicut æterno Patri. Dulcissime Iesu, æterna Patris sapientia, doce me sapientiam, vt tu solus mihi sapias, & alia omnia desipiant, prudentiam, recta consilia, discretionem. Fac me strenuum, adiuua me contra pusillanimitatem, errores, phantasias, scrupulositates: aperi mihi intellectum, quò

sacra Scriptura non curiositatem pascam, sed veram sapientiam & charitatem tuam hauriam. Fac me intelligere beneplacitum tuum, & cum gaudio adimplere. Fac me reuerenter stare in oculis tuis sicut oportet. Libera me à cura & sollicitudine superflua terrenorum, vt valeam tibi magis placere, & ad te securiùs & citiùs peruenire. Conforma me tibi in moribus; dona modestiam, humilitatem, obedientiam, patientiam, sobrietatem, castitatem, & quæcumque sunt ad statum meum necessaria.

Benignissime Domine Spiritus sancte, viuifica me, vt odio habeam quæ odisti, & diligam quæ diligis. Proficiam in virtutibus. Confirma me in sancta fide Catholica Romana: in certa spe, vt innitar super te, fac me benè sentire de te. Da semper te colere pura mente & secura conscientia, te castè reuereri & diligere, ardenti affectu ad te anhelare; à te numquam separari. Occide omnes carnales & sæculares affectiones in me. Fac me filium gratiæ & gloriæ tuæ, pro tua liberalitate, & maxima dignatione.

Te Domine Deus, Trinum in personis confiteor, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & vnum in essentia. Et tibi Domino Deo meo, ex cuius bonitate & in cuius potestate omnia subsistunt, quem nihil latet, qui præsens es, & cor meum nunc & semper intueris, me totum commendo; & te, secundùm quod in te ipso es, simpliciter veneror & adoro, optabili beneplacito tuo me totum subiiciens.

Hymnus ad DEVM.

ALpha & Ω magne Deus,
Heli Heli Deus meus:
Cuius virtus totum posse,
Cuius sensus totum nosse,
Cuius esse summum bonum;
Cuius opus, quidquid bonum,
Super, subter, extrà, intrà.
Intrà numquam coarctaris,
Extrà numquam dilataris,
Subter nullo fatigaris,
Super nullo sustentaris.
Mundum mouens, non moueris:
Locum tenens, non teneris:
Tempus mutans, non mutaris:
Vaga firmans, non vagaris.
Vis externa, vel necesse,
Non alternat tuum esse.
Heri nostrum, cras & pridem,
Semper tibi nunc & idem:
Tuum, Deus, hodiernum
Indiuisum, sempiternum:
In hoc totum præuidisti,
Totum simul perfecisti.
Ad exemplar summæ mentis
Formam præstas elementis.

Hymnus ad SS. TRINITATEM.

O Nullis hominum peruia sensibus,
Naturæ penitus sola capax tuæ,
Cuius condita sunt omnia numine,
Æterna & monas & trias.
Nato æquæue Pater, Nateque par Patri,

Et manans ab vtroque inclyte Spiritus,
Circumfusa tuo nubila lumine
Nostro discute pectore.
Da mens per speculum cernere te queat
Nostra, & posthabitis te petat omnibus,
E iussisque tuis pendeat, & tibi
Soli dedita seruiat.
Tu clemens miseris da veniam Pater,
Tu Fili miseris sterne viam ad Patrem,
Tu sanctum miseris Pneuma vagantibus
Præfer conspicuam facem.
Simplex ætherei numinis Vnitas
Quæ distincta manet, veraque Trinitas,
Æternis vigeat semper honoribus,
Et terra simul, & polo. AMEN.

Vers. Domini est terra, & plenitudo eius.
Resp. Orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.

ORATIO

DEus in te sperantium fortitudo, adesto propitius inuocationibus nostris: & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, vt in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus.

DEus virtutum, cuius est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis Religionis augmentum: vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

CO-

COROLLA SIVE ROSARIVM SANCTISSIMAE TRINITATIS.

VM *graue adeò & periculosum contra Turcas bellum annis superioribus gereretur, meritissimò Corolla ista sæpiùs recitabatur, &* Antiturcica *nominabatur. Cùm enim, vt alibi dixit Tertullianus, Diabolus Dei Opt. Max. simia sit, pia Christianorum veterum Rosaria & Corollas imitari, vel deprauare potiùs, Turcæ ipsi iam olim cœperunt. Sua tam frequenti Dei vnius professione nos, quasi (quod absit) in SS. Trinitate Deos tres veneraremur, impietatis damnare student; eamq. ad rem Coronam quamdam, quam* Tespe *vocant, excogitarunt: cuius tres partes sint, & partis cuiuslibet Decades tres, tresque insuper globuli, ceu quæ hisce significãtur precatiunculæ, ita vt omnium summa sit, 99. In prima parte ter & tricies dicunt,* Subhan Allah: *in secunda toties,* Ell hemdu n'illah: *in tertia totidem vicibus,* Allah hecuer. *Et quidem suis in Meschitis, præeunte illo quem* Imam *nominant, quotidie quinquies ista commemorant: quidam domi multò etiam sæpiùs. Contra hominum igitur istorum impias blasphemasque vociferationes,* Deum vnum & Trinum *quàm sæpissimè religiosissimeque profiteatur, laudet ac benedicat, verus piusque Christianus.*

Potest pro cuiusque arbitrio & denotione sæpiùs aut rariùs Doxologia hæc vsurpari, & qui-

dem vel continenter Decades aliquot recitando, vel interruptè vnam tantùm Decadem vel alteram, vel Decadis vnius vnam vel alteram Doxologiam; breuißimarum, & quaſi iaculatarum, vt S. Auguſtinus Epiſtola 121. cap. 10. nominat, orationum inſtar. Corollam tamen orare ſi volumus, intelligendum, fieri hoc poſſe dupliciter; primò propriè ſcilicet orando, ſecundò quaſi metaphoricè.

PRIOR MODVS.

IN modo iſto priore duo ſeruanda. Vnum pertinet ad modum ſimpliciter & piè Corollam iſtam orandi, & quatuor hiſce regulis continetur.

1. *Efformanda ſtatim initio ſancta crux, & dicendum:* In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. *Et hoc materiata crucicula indicatur.*

2. *Dicendum Sacræ Litaniæ initium.*
   1. Pater de cælis Deus
   2. Fili Redemptor mundi Deus
   3. Spiritus ſancte Deus
   4. Sancta Trinitas vnus Deus

   } Miserere nobis.

3. *Dicenda oratio Dominica cum Angelica ſalutatione, quoties ad conſequentium globulorum maiorem aliquem ventum fuerit.*

4. *Ad omnes verò globulos minores dicendum:* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Alterum ſpectat ad modum maiore cum fructu & affectu eamdem recitandi:

& his sex veluti capitibus explicatur.

1. *Quid*
2. *Qua de causſa*
3. *A quo*
4. *Cum quo*
5. *Quibus verbis*
6. *Quibus circumſtantiis*

Tẽplo &c.

1. *Doxologia iſta (præter generalia plurima quæ concurrunt) tria potiſſimùm agere poſſumus.* 1. *Deum laudare, omneſque SS. Trinitatis perſonas.* 2. *iiſdem gratias agere.* 3. *ab iis aliquid petere. Cogita igitur primùm, antequam Corollam incipias, quid horum velis: an omnia ſimul, an duo; an, quod ſæpè vtilius, vnum tantùm. Si tamen omnia velis, potes vel ſimul, vel in vna Decade hoc, in alia aliud.*

2. *Propone tibi cauſam vel communem vel ſingularem, ob quam Deum ſic laudare velis: vel ſi plures vis, potes eodem modo illas ſimul intueri, vel in diuerſis Decadibus. V. G. Volo gratias agere, aut Deum laudare ob Ieſu Chriſti ſacroſanctam natiuitatem, paſſionem, reſurrectionem, aſcẽſionem, deſcenſum Spiritus ſancti, ob conuerſionem meam, vel huius aut illius, ob beneficium aliquod diuinitus priuatim aut publicè acceptũ, &c. Similiter expende quid petere velis, an virtutem aliquam & gratiam, an liberationem à tentatione aliqua, an in ſtudijs tuis opem & auxilium diuinum. In omnibus enim petis, vt ſit Deo gloria.*

3. *Pone tibi ante mentis oculos* SS. TRINITATEM *è ſummo diuinitatis ſuæ throno te aſpectantem, attendentem ad laudationes tuas. Vel*

*vnam saltem personam Diuinam tibi obiice: V.*G. FILIVM *incarnatum, passum, crucifixum;* SPIRITVM SANCTVM *descendentem super Apostolos, &c.*

4. *Putate iam versari cum sanctis Angelis, vel eos tecum iam Deum glorificare: adesse tecum eadem summa humilitate Beatissimam illam Domini ancillam, Dei matrem, cælorum Reginam gloriosissimam, cuius salutationem recitas. adesse sanctos omnes Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, aliosque Beatos omnes; sed maximè eos quos patronos habes, aut quorum festus dies aut memoria agitur: imò & inferiores creaturas, Solem, Lunam, ventos, tempestates, arbores, flores. hæc enim etiam Deum benedicunt, & quantum in se est, laudant.*

5. *Potes etiam, cùm lubebit, maximo cum fructu singula Doxologiæ huius verba expendere, & quasi ruminare. V. G.* Gloria, non mihi, vilissimo peccatori, sed Patri Creatori omnium, & Filio Redemptori meo, pro me nato, & crucifixo, Spiritui sancto viuificanti, in me effuso. Nunc, in hac vita, hoc anno, hac hora, hoc momento, in hoc negotio, lectione. Et semper: post hanc vitam, annum, diem, horam, non tantùm te iam laudem, sed semper. Et in sæcula sæculorum, Amen: ita fiat. *Vide D. Augustinum in Psalm.* 144.

6. *Adiuuabit etiam multùm consideratio. Primò, temporis; V. G. Festi SS. Trinitatis, Natiuitatis, Circumcisionis. Secundò, loci; verbi gra-*

tia,

tia, in templo, schola, musæo, campo. Tertiò, circumstantiarum aliarum; verbi causa, gestus, quo ad pietatis sensum afficeris, vt est genuum flexio, &c.

POSTERIOR MODVS.

Est is, vt dictum est, Metaphoricus: ea scilicet ratione, qua Patrum nonnulli dixerunt, eum semper orare, qui semper benè agit. Lucæ 18. & 21. 1. Thess. 5. Eccles. 18. August. Epist. 121. cap. 9. Basilius in Iulittam.

Si ergo tuæ omnes actiones, totaque vita tua semper ad Dei Opt. Max. gloriam referatur, Doxologia optima fuerit. Sic enim gloriam reddes Deo, glorificabis & portabis Deum in corpore tuo: sic cantabis in viis Domini, quia magna est gloria Domini.

IHS

CAPVT SECVNDVM DE VERBO INCARNATO IESV CHRISTO SERVATORE NOSTRO.

Exercitium de Iesv Christo Domino nostro; *in tres partes diuisum.*

PRIMA PARS.

CONSIDERA primò, sic Deum dilexisse mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: qui vsque eò nostri gratia se exinaniuit, & humiliauit, vt carnem humanamque naturam assumpserit, mortemque infamem pati non sit dedignatus; quin etiam nos alioquin seruos suos, nomine suo ceu nobilissimo quodam honoris titulo insigniri, Christianosque vocari voluerit. Quàm iustum ergo est, vt cælestem illam Dei Patris vocem, quæ, dum dulcissimus Iesus baptizaretur in Iordane, & in monte excelso transfiguraretur, de cælis audita est, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, &c. omni

Ioan. 16.

Matth. 3.

atten-

attentione excipiamus;& prompto ſpiritus obſequio,quæ nobis loquetur, quàm exactiſſimè complere ſtudeamus. Cùm enim infinita bonitate & perfectione ſit præditus;parem honorem ſeu cultum poſtulat,id eſt, nullis terminis limitatum; cupitque vt totis viribus ad perfectionem tẽdamus; adnitendo ex Dei amore, vt mundos nos & immaculatos ab omni flagitiorum impuritate conſeruemus, ac denique illi morẽ geramus, ſana ſemper conſilia ſuggerẽti.

Secundò, conſidera quæ ſint illæ voces ac ſermones, quos vt audiamus ipſemet Chriſtus
Mat.11. pro ſua infinita ſapientia hortatur,dicẽs: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Diſcite à me quia mitis
Mat.16. ſum, & humilis corde, &c. Qui vult venire poſt me,abneget ſemetipſum; & tollat crucem ſuam;& ſequatur me. Quibus verbis non exigitur à nobis vulgaris probitas, ſed totius probitatis & ſanctimoniæ perfectio; vt ipſe Chri-
Matth.5. ſtus Dominus ait:Eſtote ergo vos perfecti,ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Et Diſcipu-
Epheſ.5. lus eius D. Paulus: Imitatores Dei eſtote ſicut
Apoc.22. filij chariſſimi. Et S.Ioannes: Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Quare meritò ad hæc al-
Marci 12 ludẽs Dominus ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima tua, ex tota mente tua,& ex tota virtute,vel viribus tuis.

Tertiò, diſce & labora, vt hoc præceptum pro humanę fragilitatis modulo ex ipſa ratione præcepti adimplere valeas: hæc autem præcedẽtibus verbis exprimitur,cùm dicitur; Quia

Dominus Deus noſter Deus vnus eſt. Si, quod abſit, plures eſſent dij, fortè non iniuria homo diceret ſe implendo huic præcepto parem non eſſe; cùm neceſſe foret, pro diuerſitate deorum, in diuerſas cor partes diuidi: at vnus cùm ſit, toto eum corde diligere haud erit difficile. Architectus quiſpiam vel artifex exemplo ſit, qui nil æquè habet in votis, quàm vt deſideratum operis cernat finem; hic nocte dieque ei verſatur ob oculos, memoriam agitat, ſicque impellit, vt nunc operarios viſat, operas promoueat, de ijs perpetuò & cogitet & ſomniet. Sic qui Deum ex Legis præſcripto diligere cupit, ipſum etiam aliud agendo conatur menti ſuæ obijcere, vt vbi theſaurus eius eſt, ibi & corde verſetur; ſollicitus quomodo illi ſeruiat, quo pacto cum illo maneat, atque familiariter agat. Amor quippe Dei ſanctus poſtulat totam animam, non partem eius, vt ipſam integrè poſſideat ac replere valeat. Contrà fallax mundus, ita cor noſtrum diuidi cupit, vt alteram eius partem ſibi, alteram Deo attribuamus. Saluator autem mundi Ieſus, vt hanc contrarietatem exprimeret, diſceſſurus ad Patrem, voluit diſcipulos in ſui amore eſſe perfectos; oſtendens ſibi ab illis quantumuis amicis ſuis, mundo mortuis, fonti vitæ coniunctiſſimis, recedendum fuiſſe, quòd exiſtimaret illum amorem, quo in Magiſtrum ferebantur, non omnino purum, ſed præſentiæ corporalis affectui, ex dulciſſima illa Chriſti humanitate profecto, nimis permixtum fuiſſe, vt proinde pur- *Deut. 6.*

gari debuerit magisque spiritalis reddi; quò Spiritum sanctum, eius iam velut hospitium facti, mererentur accipere. Cuius hospitij, Christus vt homo, designator esse voluit. Vt ergo metatores, dum magno cuipiam Principi locum parant, non patiuntur vt alij idem tectum subeant, sed ab omni hospite liberum volunt: ita ipse corda discipulorum non solùm à mundano amore, sed ab eo insuper gustu, quem ex hoc dulcissimo suo conuictu sentiebant, libera esse voluit; quò maiore candore & integritate illi seruirent, vtpote ab omni iam externo ac imperfecto amore, nec non passionibus propriis, absoluti. Sic doctus erat Abraham, iussus de terra sua & de cognatione sua egredi, quò illi se Deus perfectiùs communicaret. Vnde & apud Oseam ait: Ducam illam (loquens de anima) in solitudinem, & loquar ad cor eius. Ad hunc solidiorem amorem trahit nos amor ille ardens Filij Dei in cruce pendentis; ex cuius pectore tot amoris processere flammæ, quot erant toto corpore plagæ: Ipse generosam imitatus auem, (quæ altissimis volitando penetratis nubibus prædam iam lassa aucupi defert, solisq; eius visceribus tamquam laboris præmio pascitur) de summo cælo in viscera matris suę descendens, ex ventre in terram, ex terra in desertum, ex deserto in arborem crucis, ex cruce in limbum, ex limbo rursum ad terram; ac inde tandem ad cælum, velut quibusdam gyris, volatu mirifico conscendens, solas animas nostras à Deo separatas ac

Gen. 12.

Osea 2.

perdi-

perditas,& quæ in ipsis interiora sunt, in compensationem tam sanguinolentæ venationis postulat: vt proinde meritò cum Dauide anima quæque dicat: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, &c. &, Cor meum & caro mea exultauerunt in Deo salutari meo. *Psal.* 102 *Psal.* 83.

Quartò considera has voces præcepti: Ex TOTA VIRTVTE TVA. Quasi dicat; Omnes vires animæ tuæ ita seruiant Domino, vt nullæ seruiant mundo, carni, aut diabolo. Non sic desideres cælestia, vt simul ames & terrea. Non sic Deo velis placere, vt nolis mũdo displicere; contra illud Apostoli: Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo? qui ferre nequit vt spiritus cum vanitate misceatur: cùm hæc virtutis siue interiorum virium diuisio, non minùs animæ mortem afferat, quàm corpori viuo in partes diuisio. Quare totum studium tuum sit, dare te Deo, illi soli sedem cordis tui nitidam, & ab omni inordinato amore præbere vacuam. Minùs enim eum amat, qui cum ipso aliquid aliud amat, quod non propter ipsum amat, iuxta D. Augustini dictum. Sed nec temetipsum aliter ames, quàm quòd creatura eius es. Amor siquidem naturalis, quo singula seipsa amant, ac subsistere & conseruare conantur, hac ratione in sanctum Dei amorem commutabitur; imò & natura tua, cælesti adiuta gratia, nihil aliud amare volet, siue in cęlo, siue in terra, quàm solum Christum, vnicum bonum, ac centrum *Iac.* 4. *Aug. cap.* 19. *Solil.*

animæ tuæ. Sic erit cor tuum vacuum & aptum, vt erant vasa illa ab Elisæo viduę prę-
4. *Reg.* 4. scripta, vt præstantissimum diuinæ gratiæ oleum percipiat, ac abundet; quò & omnibus viribus animæ, à fæce mundi liberis, Christum colat, & plurimùm diligat.

His ergo Christi vocibus benè ruminatis, te
2. *Cor.* 11 totum ipsius impende obsequijs: & siue manduces, siue bibas, siue aliud aliquid agas, omnia ad gloriam eius operare; illum inuoca; illum amplectere; ab illius latere numquam recede. In ipso solo voluptatem quære, & nomen eius sanctissimum in ore & opere perpetuò gesta. Quod vt cum gustu præstes, attentè considera, quæ Scriptura sacra & sancti Patres de hoc nomine testimonia adferunt, vt sequenti consideratione videre licebit.

Pater noster. Aue Maria.

SECVNDA PARS.

De varijs titulis ac nominibus, quibus FILIVS DEI *in Scripturis appellatur.*

COnsidera primò, quomodo FILIVS DEI in Scripturis sacris vocetur

Isaiæ 9. Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. quibus nominibus (ait Bernardus Serm. 2. de Circumcisione) voluit exprimere hoc quod continebatur isto nomine IESV.

Isaiæ 9. Agnus Dominator terræ.

1. *Tim.* 6. Beatus, & solus potens.

Clauis

Clauis domus Dauid. In hoc titulo considerabis rationes aliquot. cur vocetur CLAVIS. 1. Quia ipse claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Aperit infernum damnatis, & claudit ingressis. aperit purgatorium purgandis & purgatis, aperit cælum dignis, claudit indignis, aperit Ecclesiam bonis fidelibus, claudit infidelibus. 2. Quia per hanc clauem Petrus, eiusque Successores aperiunt cælum, soluunt & ligant vincula. 3. Quia est Princeps Ecclesiæ, Rex regum, &c. auctoritatem dans Prælatis Ecclesiæ in subditos: ad Principes enim claues spectant. 4. Quia aperiet cordium cogitationes, ac secreta mentium: quæ in cuiusque morte erunt manifesta, maximè autem in die iudicij. *Isaiæ 22.*

Caput corporis Ecclesiæ. *Col. 1.*

Dominus dominantium, *1. Tim. 6.*

Dominus & magister. *Ioan. 13.*

Deus noster & Saluator. *Iob 19.*

Deus fortis. *Isaiæ 9.*

Deus omnipotens. *Apoc. 1.*

Dux noster. *Dan. 9.*

Expectatio Israël. *Ierem. 14.*

Electus ex millibus. *Cant. 5.*

Filius Altissimi & Mariæ Virginis. *Lucæ 1.*

Filius Dauid. *& 2.*

Filius Dei viui. *Mat. 16.*

Flos campi. vtpote pulchritudine placens, odore alliciens, fructum bonorum operum promittens. absque humana opera natus, vt flores hortorum. *Cant. 2.*

Isa.25.	Fortitudo pauperum.
Isa.5.	Gloria Domini.
Mat.11.	Humilis corde.
Isa.28.	Lapis probatus, pretiosus, & angularis.
Luc.23.	Lignum viride.
Cant.2.	Lilium conuallium. quia inter humiles humilitate gratissimus. Corona humilium, ait D. Bernardus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ.
Isa.49.	Lux gentium.
1.Tim.6.	Lucem habitans inaccessibilem.
1.Tim.2.	Mediator Dei & hominum.
Ioan.19.	Nazarenus.
Gen.27.	Odor agri pleni.
Cant.1.	Oleum effusum. & meritò: vt enim oleum supernatat ceteris liquoribus, sic Misericordia & nomen Misericordiæ omnibus nominibus, iuxta illud: Misericordia Domini super omnia opera eius. Sponsa fragrat vnguentis optimis, non suis viribus, sed Sponsi gratia, qui in eam seipsum & sanguinem ac merita sua misericorditer effudit. Totus effusus est in passione, vt quisq. hoc oleum colligat: quod fouet ignem, nutrit carnem, mitigat dolorem. Est lux, cibus, medicina: lucet prædicatum, pascit cogitatum, lenit & vngit recogitatum.
Ioan.12.	Pastor bonus ouium.
Coloss.1.	Primogenitus ex mortuis.
	Primatum tenens in omnibus.
1.Tim.6.	Rex regum.
Psal.23.	Rex gentium.
Zach.9.	Rex mansuetus.

Rex Iudæorum. *Ioan. 19.*
Redemptor viuens & sanctus. *Iob 19.*
Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. *Psal. 105.*
Salus gentium. *Isaiæ 49.*
Saluator in tempore tribulationis. *Ierem. 14.*
Speciosus forma præ filijs hominum. *Psal. 44.*
Speciosior Sole. *Sap. 7.*
Splendor gloriæ. *Heb. 1.*
Suauis,& mitis, & multæ misericordiæ. *Psal. 85.*
Sol oriens ex alto. *Mal. 4.*
Turris fortitudinis; ad superandos inimicos nostros. Hoc nomine munitus Dauid contra gigantem carnis turrim decertauit, & victor euasit; ait enim: Tu venis ad me in clypeo & hasta, ego verò in nomine Dei Israël. Quod nomen vt olim S. Ignatius Martyr in corde scriptum gestans, feras crudelissimas fortiter superauit; ita & secundus Ignatius Loyola Societatis nuper fundator, penetraturus sua Religione mundum vniuersum, eam hac turri fortissima nominis Iesu muniuit, vocans eam SOCIETATEM IESV: quò illud ita sibi insculpat, vt numquam deleatur; & ad illud in omni prælio, ceu propugnaculum munitissimum, semper confugiat. *Prou. 18.*
Via, veritas,& vita. *Ioan. 14.*
Vitis vera. *Ioan. 15.*

His titulis benè ruminatis, & per Spiritum sanctum, sine quo nomen hoc debitè pronuntiare nequimus, pro affectu depromptis, sequentem orationem subiunges.

ORATIO.

ABsorbeat, quæso Domine, mẽtem meam, ab omnibus quæ sub cælo sunt, ignita & melliflua vis amoris tui: vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei mori dignatus es. Amen.

TERTIA PARS.

De nomine IESV *proprio secundæ Personæ.*

PRimò considera admirabilem nominis IESV dignitatem ac energiam; atque illud singulari attentione, cordisque affectu, volue ac reuolue, quandoquidem cetera omnia nomina, quibus ipse colitur, longè antecellat. Hoc est nomen, de quo Isaias: Propter hoc sciet populus meus nomen meum in illa die: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quasi dicat: Cùm humanam naturam assumpsero, tali appellabor nomine, quod populus meus agnoscet; illud enim quo ab æterno vocor, & meam diuinam naturã plenissimè manifestat, mihi soli notũ est, alijs verò omnibus ineffabile, non autem tale nomen IESV: quod ipsemet Deus Pater se manifestaturum promiserat. Manifestauit autem, quãdo ab Angelo dictum est Mariæ, Et vocabis nomen eius IESVM. dignum planè nomen, cui omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Hanc verò genuflexionem siue recognitionem, per Prophetam suum prædictam, & iuramento

Isaiæ 52.

Zach. 9.

Phil. 2.

firma-

firmatam, cõsidera Deum ne quidem in mundi huius exordio ab iis quos creauerat perfectam obtinuisse, quantumuis optimè de omnibus meritum, ac desiderantem nominibus maiestate plenis & ad reuerentiam excitantibus appellari; vt patet in Angelis vixdum creatis, Luciferum sectantibus, quò in monte testamenti sederent, & solium suum super astra Dei exaltarent, vt essent similes Altissimo. Protoplastæ verò, ad imaginem Dei facti, non eum laudauerunt, aut flectendo genua gratias egerunt: at ingrato silentio (vt benè notauit Rupertus) tanta beneficia, vt & alia omnia quæ postmodum (in paradisum translati) acceperunt, turpiter dissimularunt. Posteri quoque infidelium parentum exempla secuti, idolis flexêre genua; mutantes gloriam incorruptibilis Dei, in imaginem corruptibilis hominis, volucrum & serpentum. Quodque magis stupendum, populus quem peculiariter sibi elegerat, & sua lege instruxerat, refractarius fuit; & simulachris falsis, non minori infamia quàm gentes, litauit. Vbi verò tandem semetipsum exinaniuit Deus, formam accipiens serui, ac IESV nomine appellatus est, ad flectendum sibi genu omnem creaturam concitauit; & meritò dicat fidelis quisque: Multa Domine feciſti pro nobis, & non genu fleximus: feciſti nos, & feciſti mundum propter nos; dominos orbis nos constituisti, & non flectentes genu te adorauimus. at postquam te vidimus pro nobis humilia-

Isaiæ 14.

Lib. 2. c. 39. in Genes.

Rom. 1.

tum, plagatum, crucifixum, ſtare non potuimus; ſed tanto pondere amoris victi, in terram proſtrati, adorauimus te: non obſtantibus quibuſcumque tempeſtatibus, quæ non tam ob Dei quàm ob IESV nomen in Eccleſia ſancta iuxta Simeonis vaticinium obortæ ſunt. Hoc nomen IESV adeò potens fuit, vt vicerit omne mundi numen, ac inſtar virgæ Aaronis (quę
Exod. 7. in colubrum conuerſa eſt) maleficorum ſerpentes, falſáque idola, ita deuorauit, vt verè
Pſal. 148. nunc dicere poſſimus: Exaltatum eſt nomen eius ſolius. Hoc igitur nomen tu genu flexo adorabis, hoc ſolum exaltabis. Huius inuocatione omnes diaboli, mundi, ac carnis tentationes ſuperare ſtudebis.

Secundò conſidera, quomodo Diuinitas ipſa, antequam nomen hoc mundo innotuiſſet, in mille quaſi partes diuiſa atque diſſecta fuiſſe videatur: cùm plerique toti orbi certum quemdam hominem planè impium, cælis verò, ſoli, lunæ, inferis alios quoſdam ſumma laborantes infamia viros (quos nominandos haud iudico) præficerent, eoſque ceu deos venerarentur, in anguſtiis & periculis auxilium omne & ſolamen ab iis exſpectantes. IESV autem mundũ ingreſſo, & nomine eius ſancto recepto, illi cœpere mortales proni genua flectere: ſapientiam ab eo qui eſt Sapientia Patris,
Iac. 1. & abſque improperio omnibus affluenter largitur, expoſcere: vitam & ſanitatem ab eo expe-
Pſal. 106. ctare, de quo ſcriptum eſt, Miſit verbum ſuum & ſanauit eos: iter proſperum ab eo cui nunc

mare,

mare, terra, & venti obediunt: fruges ab eo qui quinque panes multiplicauit, & aquam in vinum conuertit: diuitias ab eo qui est diues in omnes qui inuocant eum, in quo omnes thesauri; delicias ac spiritales mentis recreationes ab eo, de quo Dauid, Delectationes in dextera tua vsque in finem; qui torrente voluptatis suæ potat suos; regnum verò & quæ illi annexa sunt, à IESV dicente, Ego dispono vobis regnum; & qui iudicaturus orbem, dicturus est, Venite benedicti, percipite regnum. Hoc enim nomen IESVS, manna est, omnem saporem, omnium miseriarum remedium salutare continens. Meritò igitur solus vt supremus omnium bonorum fons coli ac adorari vult ac debet, iuxta illud: Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo. Quapropter & tu soli IESV genua flectes, illi soli gloriam & honorem summi boni in corde tuo tribues: in eo omnem spem tuam constitues: ad eum cum fiducia in omnibus necessitatibus confugies. Omnia enim IESV sunt tradita à Patre, eique data est potestas in cælo & in terra.

Psal.15.

Isaiæ 42.

Tertiò considera, quomodo & inferi sancto IESV nomini sua exhibuere obsequia. Cùm enim ad perpetuas damnati flammas nũquam desinant nomen illud Dei conuitijs atque blasphemijs proscindere, à dicto tamen nomine IESV sibi temperant, eoque audito obmutescunt. Vt videre est in Energumenis, qui hoc nomine debitis pronuntiato legibus (vt no-

tauit

In Harm. Mundi tom. 2.

tauit Franciſcus Venetus) & ſibi ad veneratio-
nem propoſito reſiſtere nequeunt. vt fidelis
inueniatur qui dixit, In nomine IESV omne
genu flectatur, &c. Hinc fit, vt hoc vnum in-
Zach. 14. uocemus modò, iuxta Prophetam: In illa die
erit Dominus vnus, & nomen eius vnum. Ad
cuius inuocationem in Petro ac reliquis Apo-
ſtolis, & Apoſtolicis viris, varia ad ſalutem ho-
minum Deus patrauit miracula, miſericordia
ac pietate, vt ipſum nomen ſonat, referta. Hoc
nomen ſibi Dominus noſter comparauit ſua
humilitate; nempe, in ſtabulo naſcendo, & in
cruce pro nobis moriendo. Vnde & illi gra-
tiſſimum eſt hanc triumphi ſui glorioſiſſimi
audire vocem; ſed & fideli animæ iucundiſſi-
mum, hanc ipſam frequenter vſurpare, iuxta
Iſai. 26. illud: Nomen tuum, & memoriale tuum, in
deſiderio animæ. Mel ſcilicet in ore, melos in
aure, iubilus in corde. Mel in ore Pauli, qui (vt
nonnulli piè collegerũt) quingenties plus mi-
nus illud in ſuis viſus eſt vſurpaſſe Epiſtolis:
melos in aure & corde S. Ignatij Martyris, quia
aliud non ſonat aut ſapit, quàm amorem in
Chriſto enitentem; quem ſolum reciprocè à
nobis poſtulat, vt nos ſuaui potiùs affectu,
quàm metu (quem nomen illud terribile in-
cutiebat) ad ſe continuò trahat. Tu igitur no-
men IESV dæmonibus tam horribile, ſem-
per in ore & corde habeto, & velut clypeum
omnibus inferorum ſuggeſtionibus fidenter
opponito.

Quartò conſidera, diuino planè conſilio

hoc

hoc nomen nouum, Deo infanti iam facto, die primo anni impositum esse; die scilicet strenarum, quem Romani consecrauerãt Iano duplici fronte signato, quarum priore præsens tempus, posteriore præteritum respiceret. vt Christianos doceret, meliores inter se missitare ac sibi exoptare strenas, nempe circumcisionis sanguine tinctas: deinde quò iam Deo toti mundo clariore facto, eius auspicijs totum anni spatium feliciùs decurrerent, atque eiusdem sanctissimam legem feruentiore spiritu obseruarẽt; quippe qui ex huius notitia altiori quodam modo essent percepturi, quis sit Deus noster qui in altis habitat. Cuius quidem naturam conueniente aliqua appellatione penetrare magnum adfert solatium animæ; cui à natura inditum vides, vt quem amare desiderat, illum ante omnia perfectiùs nosse cupiat. Ita quæsiuit Moyses: Si dixerint mihi, Quod est nomen eius? quid dicam eis? Ita & Iacob: Quo appellaris nomine? Hîc expendere poteris duplex esse nomen hoc. Alterum intrinsecum, quo à se ipso nominatur; extrinsecum alterum, quo à creaturis: quorũ prius ipse solus, vtpote seipsum summa perfectione comprehendens, nouit, & proinde nominare se potest; vt fortè fecit, cùm Filium suum Verbum æternum produxit, & hac ratione Filius in Diuinis erit quasi nomen Dei. Hinc vlteriùs collige, Deum à nulla re creata perfectè nominari posse, sicut nec perfectè cognosci, iuxta illud: Quid quæris nomẽ meum, quod est mirabile. *Exodi 3.* *Gen. 32.* *Gen. 32.*

Omni

De diuinis nominibus.

Omni enim scientia & sermone, Dionysio teste, maior est. Quod ad extrinsecum nomen attinet, aduerte Deum quidem nec hoc egere nomine: quia tamen creaturis suis innotescere dignatus est, atque adeò factus homo in nobis habitare & nobiscum conuersari, voluit vsurpare Nomen, ex quo constaret nobis ipsum non purum esse hominem, sed etiam Deum; qui vbique præsens esset affuturus omnibus inuocantibus illum; cuius nominis imploratione ægris sanitas, mortuis vita redderetur. Vnde meritò dictum fuit OLEVM EFFVSVM: vt suprà ostensum est. Vt enim oleum vulnera lenit; ita nullum vulnus tam difficile factum, nulla plaga tam acerba reputata, quin tanto nomine ceu præsenti medicina curetur.

Quintò considera, hoc nomine mundo nunc manifestato, omnia quæ Dei sunt, mystica quadam communicatione, nostra facta esse. *Isaiæ 9.* Hinc illę voces, Paruulus natus est NOBIS, & filius datus est NOBIS. &, *Luc. 2.* Natus est VOBIS hodie Saluator. Quæ cùm satis indicent IESVM caput nostrum, ac Principem factũ, nos verò membra eius; æquum est, vt de ipsius bonis non secùs ac propriis gaudeamus: offerentes Deo Patri labores omnes ac sudores, quos Filius, dum viueret, nostro nomine sacrificauit in odorem suauitatis; quandoquidem apud ipsum summa valeat gratia, & partes nostras apud eumdem suum Patrem agat, tamquam fidus ac perpetuus Aduocatus. Hinc conclude, has tantas & alias Christi prærogatiuas in nostram

conuer-

conuersas vtilitatem. Hac autem consideratione animus tuus, ni ferreus sit, citò mollietur; eoque perfundetur gustu, qui beatioris quasi vitæ vestigia ac primitias referat. Naturalis siquidem hoc præstat amor, vt illud vehementer animæ sapiat, quod suum aut iam esse, aut paulò pòst futurum credit. Vt ergo omnes Dei tituli quantumuis magnifici in gloriam & gaudium Beatorum cedunt, quorum ipse hereditas & sors dicitur; ita & nobis de iis gloriari & gaudere licet: idem enim qui illis est pręmium, nobis est quoddam medium & intercessor. Quare idem se Vitã vocat, nempe Beatis; Viam bonis, Veritatem vtrisque. & vt ipse per eximiam gloriam, Beatorum est, ita nobis viatoribus per gratiam noster est: vt sicut illorum in gloria per possessionem, ita noster in terris per spem. Nec vllo Beati perfruuntur bono, cuius, qui Deo gratus est, initium & semen non habeat.

Gen. 15.

Eodem spectat, quòd se seruum nostrum vocare non erubescit. Ipse enim instar seruorum (quibus aures ad perpetuæ seruitutis indicium perfodi solent) circumcisionis stigmate inustus fuit; vt nimirum omne suum obsequium, virtutem, ingenium, salutem, & quidquid in ipso erat, nostrũ faceret. Quod D. Cyrillus insinuare voluit, dicens Christum, cùm moriendum esset, vestes deposuisse, vt ostenderet omnia opera & merita sua nobis vt nostra ab ipso relicta. Et ex eo D. Aug. infert dicens: Est in ipso IESV Christo Domino nostro vnicuiusque

Cyril. l. 9. c. 3. in 13. Ioannis.

c. 15. Meditat.

nostrûm

nostrûm portio, caro & sanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi regnare me credo. Vbi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me esse cognosco. Vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio. O quàm suauis hæc capitis cum membris communicatio! quàm singularis heri cum seruo beneuolentia!

Idem clariùs adhuc cernes, vbi IESVM vides animæ tuæ vocari sponsum; qui & Ecclesiam vt sponsam habet, & cum ea, eiusque membris, humanissimè tractat. Hoc enim habet societas sponsalitia (in ea enim omnia prospera & aduersa communia sunt) quam tecum contraxit, illam quidem tibi vtilem & compendioſam, summa nimirum voluptate permixtam, sibi verò caram, ac infinitis laboribus atque doloribus dispendioſam faciens. Quæ omnia, hoc nomine IESV vt decet inuocato & honorato, tua esse gloriari poteris. Hac enim appellatione Christus totus tuus esse cognoscitur, cùm sit omnium depulsor malorum & remedium, omnium bonorum causa radixque efficacissima, qui solus votorum tuorum te compotem faciat. Nam si indigueris patre, IESVM inuocare licebit, qui tibi ceu pater erit; cui fidenter dicas, Pater noster qui es in cælis. si matre, officium matris non negabit, qui dixit: Numquid obliuiſci potest mulier infantem, &c. si fratre, ipse est primogenitus in multis fratribus. si duce, propter nomen suum dux erit. si Rege, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. si medico, en medicum, de quo scriptum est:

Matth. 6
Ierem. 49

Non

Non est opus valentibus medicus. & quacumque necessitate premeris, ecce inuitat te, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c. *Mat. 11*

Hæc & alia infinita quæ in hoc nomine latent bona atque mysteria, tantam consolationem & admirationem excitant, vt eam D. Paulus non modò ineffabilem sed inuestigabilem clamet, dicens: Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, euangelizare in gentibus inuestigabiles diuitias Christi. quas scilicet in Christo habemus & gustamus. Quasi dicat: Non solùm verba desunt ad eas explicandas, sed & sensus & intellectus ad capiendas. Quis enim mente comprehendat, puerum vix natum, & sacri fontis vndis tinctum, sic omnium virtutum ornamentis vestiri; & morientem, sine vllo actu proprio ac merito hereditatem adire cælestem, dum illũ Christus suis extollit diuitiis, suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem? Quis caperet, sceleratissimum quemquam & infernalibus dignum suppliciis, vna lacrymula sincero cordis contriti affectu profusa, omnium noxarum vno etiam momento condonationem assequi? nisi IESV meritum, eiusque infinita satisfactio hanc peperisset facilitatem: & cùm ipse factus sit nobis iustitia, sanctificatio, redemptio, & propitiatio pro peccatis nostris; talis voluisset esse amicus animæ, talis frater, talis medicus, tale refrigerium, talis hospes, vt propter ipsius summam dignitatem, atque agninam innocen- *Eph. 3.* *Ioannis 2*

tiam, omnia nobis crimina condonarentur; & vt nobis famelicis, & in huius mundi exilio peregrinantibus, cibus optimus, ac denique secura requies concederetur. Quare iure optimo hanc meditationis partem cum D. Bernardo concludes, teipsum alloquendo sequentibus verbis.

Bern. Ser. de Circumcis.

Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vasculo vocabuli huius quod est IESVS. Salutiferum certè, quod numquam vlli pesti tuæ inueniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quò tui omnes in IESVM dirigantur sensus & actus.

O Verè delectabile nomen, aurora ac luce meridiana clarius, lacte melleque dulcius, omnibus exercitibus validius, mundo vniuerso capacius, cæle sublimius, inferno profundius, regum sceptris ac coronis nobilius, auro & argento splendidius, cælorum gloria, pauor inferni, spes & salus mortalium. Per te mors ipsa, vita efficitur: absque te omnis voluptas dolor est atque tristitia. Per te omnis ignominia, gloria & splēdor est: absq. te omnis gloria in ignominiam conuertitur. Per te omnis infirmitas sanitas & robur est: absque te omne robur infirmitas. Per te, quod nihil erat, factum est aliquid, imò totum: sine te euanescunt omnia, ac in nihilum rediguntur. Sis ergo semper nobiscum, ô nomen delectabile, insculparis cordibus & memoriæ, charactere indelebili: hoc est, pacis & belli, noctis atque diei tempore. In lætitia & mœrore, in vrbibus,

in

in campis, sis nostra directio & salus; ac tandem gloria nostra futuris sæculis. O dulcis IESV, sis mihi IESVS: da mihi gratiam circumcidēdi superflua carnis meæ desideria, cogitationes & opera, omnium sensuum meorum incitamenta illicita: vt per hanc spiritualem circumcisionem, eius effectus, quem producere solet, particeps fiam.

Et tu, ô Virgo benignissima, quæ octauo ab ortu die Filium tuum chariſſimum ac innocentissimum, in peccatorū numero haberi, atque vt me saluaret, sanguinē suum vt arrham infinitæ suæ erga nos charitatis effundere vidisti; quæq. intrinsecus icta dolore, virgineas illas tuas lacrymas, amoris purissimi indices, emisisti: impetra mihi compassionis & doloris tui copiosum fructum, vt & de hoc glorioso IESV nomine Filio tuo gratuler, & corpus meum ab omni circumcidam iniquitate; quò fiat vt omnes actiones meę puræ sint, & diuinæ subiectæ voluntati. Denique nomen IESV sacrosanctum, aduersus hostes omnes sit mihi armatura, solatium in exilio, vulnerum ac morborum spiritualium peculiare remedium, postremò verò vita atque beatitudo in æternum. Amen.

Pater noster. Aue Maria. ORATIO.

DEus qui glorioso ac mirabili nomine dilectum Vnicum tuum Redemptorem nostrum IESVM appellari voluisti: concede propitius; vt qui eiusdem benedicti Saluatoris nomen venerantur in terris, eius felici consortio perfruantur in cælis. Amen.

Litaniæ IESV CHRISTI *Saluatoris nostri.*

Approbata à Sede Apost. ad instantiam Sereniſſimi Ducis Bauariæ.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sãcta Trinitas vnus Deus, Miſerere nobis.
Ieſu Fili Dei viui, Miſerere nobis.

Ieſu potentiſſime,
Ieſu fortiſſime,
Ieſu perfectiſſime,
Ieſu glorioſiſſime,
Ieſu mirifice,
Ieſu iucundiſſime,
Ieſu chariſſime,
Ieſu clarior ſole,
Ieſu pulchrior luna,
Ieſu ſplendidior ſtellis,
Ieſu admirabilis,
Ieſu delectabilis,
Ieſu honorabilis,
Ieſu humillime,
Ieſu pauperrime,
Ieſu mitiſſime,
Ieſu patientiſſime,
Ieſu obedientiſſime,

} Miſerere nobis.

Ieſu caſtiſſime,
Ieſu amator caſtitatis,
Ieſu amator pacis,
Ieſu amor noſter,
Ieſu ſpeculum vitæ,
Ieſu exemplar virtutum,
Ieſu decus morum,
Ieſu zelator animarum,
Ieſu refugium noſtrum,
Ieſu pater pauperum,
Ieſu conſolatio afflictorum,
Ieſu theſaurus fidelium,
Ieſu gemma pretioſa,
Ieſu armarium perfectionis,
Ieſu bone paſtor ouium,
Ieſu ſtella maris,
Ieſu lux vera,
Ieſu ſapientia æterna,
Ieſu bonitas infinita,
Ieſu gaudium Angelorum,
Ieſu rex Patriarcharum,
Ieſu inſpirator Prophetarum,
Ieſu magiſter Apoſtolorum,
Ieſu doctor Euangeliſtarum,
Ieſu fortitudo Martyrum,
Ieſu lumen Confeſſorum,
Ieſu ſponſe Virginum,
Ieſu corona Sãctorum omnium, } Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis Ieſu.
Propitius eſto, Exaudi nos Ieſu.
Ab omni malo, Libera nos Ieſu.
Ab ira tua, Libera nos Domine.

Ab insidiis diaboli,
A peste, fame, & bello,
A transgressione mandatorũ tuorum,
Ab incursu omnium malorum,
Per incarnationem tuam,
Per aduentum tuum,
Per natiuitatem tuam,
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per dulcissimam Virginem matrem tuam,
Per intercessionem omnium Sanctorum,

Liberanos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis Iesu.
Iesu Christe audi nos.
Iesu Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos, &c.
Vers. Benedic anima mea Domino.
Resp. Et omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.
Vers. Sit nomen Domini benedictum.

Resp. Ex hoc nunc & vsque in sæculum.
Vers. Adiutorium nostrũ in nomine Domini.
Resp. Qui fecit cælum & terram.
Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

OMnipotẽs sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti Filij tui mereamur bonis operibus abundare.

SAncti nominis tui Domine timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum: quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis.

DEus virtutum, cuius est totum quod est optimũ, infere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum: vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias.

ECclesiam tuam Domine miseratio continuata mundet & muniat: & quia sine te non potest salua consistere, tuo semper munere gubernetur.

DEus, qui glorioſissimum nomen IESV Christi Filij tui Domini nostri fecisti fidelibus tuis summo suauitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum atque terribile: concede propitius; vt omnes qui hoc nomen IESV deuotè venerantur in terris, sanctę consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis & interminabilis beatitudinis obtineant in cælis. Per eumdem Dominum nostrum.

Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat.
Vers. Benedicamus Dño. *Resp.* Deo gratias.
Vers. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Resp.* Amen.

Canticum de nomine IESV *Christi Domini nostri, respondens litteris verborum sequentium:*

LAVS IESV CHRISTO MESSIÆ PERBENIGNO, DEO QVE NOSTRO.

L Laudate pueri & serui Dominum, laudate nomen Domini.
A A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.
V Vsquequò Deus improperabit inimicus, irritat aduersarius nomen tuum in finem?
S Sit nomen eius benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen eius.
I Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.
E Et benedictum nomen Maiestatis eius in æternum, & replebitur Maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.
S Sanctum & terribile nomen eius: initium sapientiæ, timor Domini.
V Vt annuntient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Ierusalem.
C Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est, & honor Regis iudicium diliget.
H Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.

Refu-

Refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. R

Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. I

Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. S

Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia. T

O Domine saluum me fac, Domine benè prosperare. Benedictus qui venit in nomine Dñi. O

Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem. M

Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. E

Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad deum alienum, nónne Deus requiret ista? S

Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ. S

In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in sæculum. I

Effunde iram tuã in gẽtes quę te non nouerũt, & in regna quę nomen tuũ non inuocauerunt. E

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. P

Et nomini tuo psalmum dicam. E

Reges omnes terræ timebunt gloriam tuam, & gentes nomen tuum Domine. R

Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. B

E Et tu Domine Domine fac mecum propter nomen tuum.

N Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

I In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.

G Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto.

N Non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos; benediximus vobis in nomine Domini.

O Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.

D Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!

E Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

O Orationem meam quoniam exaudisti tu Deus meus, dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.

Q Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

V Vt notam faceret potentiam suam, saluauit eos propter nomen suum.

E Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.

N Non discedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

O Os meum loquetur laudationem Domini, & benedicat omnis caro nomini sancto eius in sæculum & in sæculum sæculi.

Saluauit nos propter nomen ſuum, vt notam faceret potentiam ſuam. S

Tuo nomini ſic pſalmum dicam, vt reddam vota mea de die in diem. T

Reges terrę & omnes populi, principes & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus, laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen eius ſolius. R

Omnia quæ intra me ſunt, benedicant nomini ſancto eius. O

Gloria Patri, & Filio, &c.

Aliæ petitiones deuotæ

AD DOMINVM IESVM CHRISTVM,

ex S. Auguſtino & Thoma à Kempis.

DOmine IESV, nouerim me, nouerim te:
Nec aliquid cupiam niſi te.
Vt odiam me, & amem te:
Quidquid agam propter te.
Humiliem me, exaltem te:
Nihil cogitem, niſi te.
Mortificem me, & viuam in te:
Quæcumque veniant, accipiam à te.
Perſequar me, ſequar te:
Semper optem ſequi te.
Fugiam me, confugiam ad te:
Dignus ſim defendi à te.
Timeam mihi, timeam te:
Simque de electis à te.
Diffidam mihi, fidam in te:
Obedire velim, propter te.
In nullo afficiar niſi in te:
Aſpice me, vt diligam te.

Voca me, vt videam te:
Et in æternum potiar te.

Tu enim es sponsus amantibus; & qui adhuc in timore tibi seruiunt, metuendus Dominus. Pater es bonis filijs: maleuolis autem districtus Iudex. Infirmis es medicus, & sanis solidus cibus. Doctor ignorantibus, & obtemperantibus tibi salus æterna. Via incipientibus, Veritas proficientibus, & Vita perfectis. Sine via non itur: sine veritate non cognoscitur: sine vita non viuitur. Tu es via quam sequi debemus, veritas cui credere, vita quam sperare. Tu es via inuiolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis. Via rectissima, veritas suprema, vita verè vita, beata, vita increata. Tu es spes pœnitentibus, iustis consolator optimus. Gloria humilium, pœna superborum. Lux in tenebris, lucerna in noctibus. Dans medelã ęgris mentibus, & vinũ lætitiæ multùm tristibus. Stans cum pugnantibus, ambulans cum proficientibus, currens cum feruentibus, volans cum contemplantibus. Præsens orantibus, loquens cum legentibus, quiescens cum meditantibus.

Oratio S. Bernardi ad IESVM.

O Bone IESV, ô pijssime IESV, ô dulcissime IESV, ô IESV fili Mariæ Virginis, plene misericordia & pietate. O dulcis IESV, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime IESV, te deprecor per illum sanguinẽ pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, vt abluas omnes iniquitates meas: & in me respicias miserum &

indi-

indignum humiliter veniam petentem, & hoc nomen sanctum IESVS inuocantem.

O nomen IESV, nomen dulce: nomen IESV, nomen delectabile: nomen IESV, nomen confortans. Quid est enim Iesvs nisi Saluator? Ergo Iesv propter nomen sanctum tuum esto mihi Iesvs, & salua me: ne permittas me damnari, quem de nihilo creasti.

O bone Iesv, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis IESV, recognosce quod tuum est, & absterge quod alienum est.

O benignissime IESV, miserere mei dum tempus est miserendi; ne damnes me in tempore iudicandi. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine IESV, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime IESV, ô desideratissime IESV, ô mitissime Iesv. O Iesv, Iesv, Iesv, dimitte me intrare in numerum electorum tuorum. O Iesv salus in te credentium. O Iesv solatium ad te cõfugientium. Iesv dulcis remissio omnium peccatorum. O Iesv fili Virginis Mariæ, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, humilitatem, vt possim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi seruire, & in te gloriari, & omnes qui inuocant nomen tuum quod est Iesvs. Amen.

IHS

DE AETERNA SAPIENTIA PRECES HORARIÆ.

Has ante annos CC. H. Suso conscripsit. Quas consultissimum foret studiosis Adolescentibus quotidie legere: vt à Christo, qui est fons sapientiæ, & Sapientia ipsa, veræ sapientiæ ac perspicacis intelligentiæ lumen & gratiam obtineant: sine qua omnis scientia non modò vana, sed etiam pernitiosa est.

SALVTATIO MATVTINA AD AETERNAM SAPIENTIAM.

ANIMA mea desiderauit te de nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de manè euigilaui ad te, ô præclarissima Sapientia; petens vt desiderata præsentia tua cũcta nobis aduersantia remoueat, penetralia cordis nostri sua multiformi gratia perfundat, & in amore tuo vehementer accendat. Et nunc dulcissime Domine IESV Christe ad te diluculò consurgo, teque ex intimo cordis affectu saluto. Millia quoque millium cælestium agminum tibi ministrantium te ex me salutent, ac decies millies centena millia tibi assistentium te ex me glorificent. Vniuersalis etiam harmonia omnium creaturarum te ex me collaudet; ac nomen tuum gloriosum, protectionis nostræ clypeum, benedicat in sæcula. Amen.

Singulis horis præmittitur hic versiculus.

Salutem mentis & corporis, donet nobis IESVS, Sapientia Patris.

AD MATVTINAS.

DOmine labia mea aperies:
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adiutorium meum intende:
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Alleluia.

A Septuagesima vsque ad Pascha dicitur,

Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ.

INVITATORIVM.

Æternæ sapientiæ fontem adoremus:
Et pro gloria nominis eius iubilemus.

PSALMVS.

VEnite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei.

Æternæ sapientiæ fontem adoremus:
Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: venite, ado-

remus & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus eius & oues pascuæ eius.

Æternæ sapientiæ fontem adoremus:
Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt, & viderunt opera mea.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, Semper hi errant corde: ipsi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Æternæ sapientiæ fontem adoremus:
Et pro gloria nominis eius iubilemus.

Gloria Patri, &c. Sicut erat in principio, &c.

Et pro gloria nominis eius iubilemus.
Æternæ sapientiæ fontem adoremus:
Et pro gloria nominis eius iubilemus.

HYMNVS.

Ex iubilo S. Bernardi.

IESV dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia:
Sed super mel & omnia,
Eius dulcis præsentia.

Nil canitur suauius,
Auditur nil iucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm IESVS Dei filius.

IESV spes pœnitentibus,

Quàm pius es petentibus:
Quàm bonus te quærentibus,
Sed quid inuenientibus?
Iesu dulcedo cordium,
Fons viuus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Iesum diligere.
Æterna Sapientia,
Tibi, Patríque gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

PSALMVS.

Psal.65. IVbilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.
Dicite Deo, Quàm terribilia sunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.
Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, &c.

Prouerb. 9. *Antiph.* Sapientia ædificauit sibi domum: excidit columnas septem, subdidit sibi gentes superborum, & sublimium colla propria virtute calcauit.
Vers. Ego autem in Domino gaudebo.
Resp. Et exultabo in Deo IESV meo.
Pater noster, &c. Et ne nos inducas in tentationem,

nem,&c. Iube domne benedicere. IESVS Sapientia Patris, depellat cuncta aduersantia nobis. Amen.

LECTIO PRIMA.

O Sapientia æterna, splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris: qui vniuersa de nihilo creasti, & vt hominem ad paradisi gaudia reduceres, in hanc vallem miseriæ descendisti, eique viam redeundi per tuam dulcissimam conuersationem demonstrasti, & pro satisfactione cunctorum, tamquam agnus innocens Patri immolari voluisti: aperi per tuam pretiosam mortem cor meum, vt te Regem regum, & Dominum dominantium, oculis integræ fidei semper aspiciam. Pone meam in tuis vulneribus Philosophiam, in tuis stigmatibus Sapientiam, vt vlteriùs in te solo charitatis libro, & morte tua proficiam, & omnibus mutabilibus rebus deficiam: ita vt ego, iam non ego, sed tu in me, & ego in te, indissolubili vinculo amoris æternaliter maneamus. Tu autem Domine miserere nostri. Deo gratias. *Hebr.* 1.

Resp. Emitte Domine Sapientiam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. *Sap.* 9.

Vers. Da mihi Domine sedium tuarum assistricem Sapientiam. Vt sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.

Iube domne benedicere. Æterna Sapientia illuminare dignetur sensus & corda nostra. Amen.

LECTIO SECVNDA.

O IESV mi dulciſſime, & Sapientia feliciſſima, verbum Patris, principium & finis omnium entium: piis oculis quæſo me intuere, quia puluis ſum & caro, ſciens quòd non
Rom.9. ſit volentis neque currentis, ſed tui Deus miſerentis. Recogita obſecro amariſſimam paſſionem, quam pro me indigno peccatore pertuliſti, & bonam voluntatem à te inchoatam piè cuſtodias. O miſericordia mea, ne derelinquas me. O refugium meum, ne diſceſſeris à me. O liberator meus, intende in adiutorium meum: & me huic mundo mortuum, in ſepulchro tuo tecum ſepelias, & ab omnibus inimicorum inſidiis abſcõdas; vt me à te nec vita, nec mors, nec vlla fortunæ ſors ſeparet, ſed permaneat morte fortior amor noſter nunc & in æuum. Tu autẽ Domine miſerere noſtri. Deo gratias.
Sap.9. *Reſp.* Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: Quoniam ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ.

Verſ. Mitte illam à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret. Quoniam ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ.

Iube domne benedicere. Dono ſapientiæ & intellectus, impleat nos Spiritus ſanctus, Amen.

LECTIO TERTIA.

O Refugium meum, & liberator meus, per immenſum amorem, qui te in patibulo Crucis amariſſimam mortem pro me ſubire

coëgit,

coëgit, peccata quæ ego immundus peccator commisi, misericorditer indulgeas: à committendis, & à cunctis periculis, in vulnere lateris tui piè me custodias: gressus meos in huius vitæ fluctibus ad sanctum finem dirigas, & ad conspectum gloriæ tuæ me peruenire concedas. Tu autem Domine miserere nostri. Deo gratias.

Resp. Super salutem & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam, & proposui pro luce habere illam: Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

Vers. Dixi sapientiæ: Soror mea es, & prudentiam vocaui amicam meam. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.

Ex CANTICO *D. Ambrosij, & Augustini.*

TV Rex gloriæ Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis vterum.
Tu deuicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna cælorum.
Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.
Iudex crederis esse venturus.
Te ergo quæsumus, tuis famulis subueni: quos pretioso sanguine redemisti.
Æterna fac cum sanctis tuis: gloria munerari.
Saluum fac populum tuum Domine: & benedic hereditati tuæ.

Et rege eos : & extolle illos vsque in æternum.
Per singulos dies, benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in sæculum : & in sæculum sæculi.
Dignare Domine die isto: sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine: miserere nostri.
Fiat misericordia tua Dñe super nos : quemadmodum sperauimus in te.
In te Dñe speraui: non confundar in æternum.

Aliud CANTICVM.

TE Christum laudamus.
Te Iesum benedicimus.
Te Regem regum, & Dominum dominantium confitemur.
Te crucifixum colimus, dulcem & amabilem redemptorem.
Qui nos aspersione tui sanguinis redemisti.
Dignus es Domine IESV Deus noster, accipere laudem, benedictionem, gloriam & honorem.
Exultet tibi omnis caro, & omnis viuens glorificet nomen tuum.
Humilietur omnis facies pedibus tuis, & omnis creatura tua seruiat tibi.
Laudet & extollat te, benedicat te & glorificet te in æternum.

AD LAVDES.

SAlutem mentis & corporis, donet nobis IESVS Sapientia Patris.
Deus in adiutorium, &c. Domine ad adiuuandum, &c. Gloria Patri, & Filio, &c.

PSAL-

PSALMVS.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. *Pſal.116.*
Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius:& veritas Domini manet in æternum.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.
Antiph. Sapientia clamitat in plateis: Si quis diligit Sapientiam, ad me declinet, & eam inueniet:& eam cùm inuenerit, beatus erit ſi tenuerit eam.

CAPITVLVM.

HAnc (ſapientiam) amaui & exquiſiuià iuuentute mea, & quæſiui mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. *Sap.8.*
Deo gratias.

HYMNVS. *Bernard.*

IESV Rex admirabilis,
Et Triumphator nobilis:
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.
Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine,
Pulſa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas:
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus feruet charitas.
Amor IESV dulciſſimus,
Et verè ſuauiſſimus:
Plus millies gratiſſimus,

Quàm dicere ſufficimus.
Hoc probat eius paſſio,
Hoc ſanguinis effuſio,
Per quam nobis redemptio
Datur,& Dei viſio.
Æterna Sapientia,
Tibi,Patríque gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In ſempiterna ſæcula.Amen.

Verſ. Sapientia requieſcit in corde eius.
Reſp. Et prudentia in ſermone oris illius.
Ad Benedictus, Antiph. O ſapientia.

CANTICVM ZACHARIÆ.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitauit,& fecit redemptionem plebis ſuæ.
Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo Dauid pueri ſui.
Sicut locutus eſt per os ſanctorum:qui à ſæculo ſunt,prophetarum eius.
Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omnium qui oderunt nos.
Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.
Iuſiurãdum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis.
Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorũ liberati;ſeruiamus illi.
In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo: omnibus diebus noſtris.
Et tu puer,propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Ad dandum scientiam salutis plebi eius: in remissionem peccatorum eorum.
Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitauit nos oriens ex alto.
Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, &c.
Antiph. O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodijsti, attingens à fine vsque ad finem fortiter, suauiterque disponens omnia, veni ad docẽdum nos viam prudentiæ. *Sap.* 8.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus, qui per coæternam tibi Sapientiam hominem, cùm non esset, condidisti, perditumque misericorditer reformasti: præsta quæsumus; vt eadem corda nostra inspirante, te tota mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per eumdem Dominum, &c.
Benedicamus Domino. Deo gratias.
Æterna Sapientia benedicat ✠ & custodiat corda & corpora nostra, Amen.

Ita terminantur omnes Horæ.

AD PRIMAM.

SAlutem mentis & corporis, donet nobis IESVS Sapientia Patris.
Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum, &c.

HYMNVS.

IESVM omnes agnoſcite,
Amorem eius poſcite:
Ieſum ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
IESVS auctor clementiæ,
Totius ſpes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis delitiæ.
IESV mi bone ſentiam
Amoris tui copiam:
Da mihi per præſentiam,
Tuam videre gloriam.
Cum dignè loqui nequeam,
De te tamen ne ſileam,
Amor facit vt audeam,
Cùm de te ſolùm gaudeam.
Æterna Sapientia,
Tibi, Patríque gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

PSALMVS.

Pſal.142 AVditam fac mihi manè miſericordiam tuam: quia in te ſperaui.
Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.
Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia

Deus

Deus meus es tu. Gloria Patri,& Filio, &c. Sicut erat in principio,&c.

Antiph. Ego diligentes me diligo,& qui manè vigilauerit ad me,inueniet me.

CAPITVLVM.

SApientia vincit malitiam: attingit à fine vsque in finem fortiter, disponit omnia suauiter. Deo gratias.

Resp. IESV Christe Fili Dei viui, Miserere nobis. *repetitur,* IESV Christe,&c. *Vers.* Qui sedes ad dexteram Patris, Miserere nobis. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. IESV Christe Fili Dei viui, miserere nobis. *Vers.* Exurge Domine adiuuà nos. *Resp.* Et libera nos propter nomen sanctum tuum. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

COrda nostra,quæsumus Domine, æternæ Sapientiæ splendor illustret, quo mundi huius tenebris carere valeamus, & peruenia-mus ad patriam claritatis æternæ. Per eumdem Dominum nostrum,&c. Benedicamus Domino,&c. *vt suprà.*

AD TERTIAM.

SAlutem mentis & corporis, donet nobis Iesus Sapientia Patris.

Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri, &c. Sicut erat,&c. Alleluia.

HYMNVS.

TVa IESV dilectio,
Grata mentis refectio,

Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.
Qui te gustant, esuriunt;
Qui bibunt, adhuc sitiunt:
Desiderare nesciunt,
Nisi IESVM quem diligunt.
Quem tuus amor ebriat,
Nouit quid IESVS sapiat:
Quàm felix est quem satiat!
Non est vltrà quod cupiat.
IESV decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
Desidero te millies:
Mi IESV quando venies:
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?
Æterna Sapientia,
Tibi, Patríque gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

PSALMVS.

Psal.142 SPiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me, in æquitate tua.
Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.
Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.
Gloria Patri, &c.

Antiph.

Antiph. Fili, concupiſcens Sapientiam, conſerua iuſtitiam, & præbebit eam tibi Dominus.

CAPITVLVM.

HAnc (SAPIENTIAM) amaui & exquiſiui à iuuẽtute mea, quæſiui eam mihi in ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Deo gratias. *Sap.8.*

Reſp. Ego autem, In Domino gaudebo. Ego.

Verſ. Et exultabo in Deo IESV meo. In Domino gaudebo. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Ego autem in Domino gaudebo.

Verſ. Sit nomen Domini benedictum.

Reſp. Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Oremus.

DEus, qui per coæternam tibi Sapientiam hominem, cùm non eſſet, condidiſti, perditumque miſericorditer reformaſti: præſta quęſumus; vt eadem pectora noſtra inſpirante, te tota mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per eumdem Dominum noſtrum Ieſum Ieſum Chriſtum, &c.

Benedicamus, *vt ſuprà.*

AD SEXTAM.

SAlutem mentis & corporis, donet nobis IESVS Sapientia Patris.

Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, &c.

HYMNVS.

AMor tuus continuus, *Bernard.*
Mihi languor aſſiduus,
Mihi fructus mellifluus,

Eſt

Est & vitæ perpetuus.
IESV summa benignitas,
Mira cordis iucunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat charitas.
Bonum mihi diligere
IESVM, nil vltrà quærere:
Mihi prorsus deficere,
Vt illi queam viuere.
IESV mi dilectissime,
Spes suspirantis animæ:
Te quærunt piæ lacrymæ,
Et clamor mentis intimæ.
Æterna Sapientia,
Tibi, Patríque gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In sempiterna sæcula.

PSALMVS.

Psal. 32. ANima nostra sustinet Dominum: quoniam adiutor & protector noster est.
Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto eius sperauimus.
Fiat misericordia tua Domine super nos: quēadmodum sperauimus in te.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.
Antiph. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio, dicit Dominus.

CAPITVLVM.

CAndor est enim lucis æternæ & speculum sine macula diuinæ maiestatis, & imago bonitatis illius. Deo gratias.

Resp.

Resp. Sit nomen Domini, Benedictum. Sit nomen. *Vers.* Ex hoc nunc & vsque in sæculum. Benedictum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sit nomen Domini benedictum. *Vers.* A solis ortu vsq. ad occasum. *Resp.* Laudabile nomen Domini. Oremus.

EXaudi nos misericors Deus, & mentibus nostris Sapientiæ tuæ lumen ostende, & te super omnia diligere concede. Per eumdem Dominum nostrum, &c. Benedicamus Domino. *vt suprà.*

AD NONAM.

SAlutem mentis & corporis donet nobis Sapientia Patris.

Deus in adiutorium meum intende, &c.

HYMNVS.

QVocumque loco fuero,
Semper IESVM desidero:
Quàm lætus cùm inuenero,
Quàm felix cùm tenuero.
Tunc amplexus, tunc oscula
Quæ vincunt mellis pocula:
Sed in his parua morula,
IESVM sequar per sæcula.
Iam quod quæsiui video,
Quod concupiui teneo:
Amore IESV langueo,
Et corde totus ardeo.
IESVS cùm sic diligitur,
Hic amor non extinguitur,
Non tepescit nec moritur,
Plus crescit & accenditur.

Hic amor ardet iugiter,
Dulceſcit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.
Hic amor miſſus cælitus,
Hæret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur Spiritus.
O beatum incendium,
Et ardens deſiderium,
O dulce refrigerium,
Amare Dei filium!
Æterna Sapientia,
Tibi, Patríque gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

PSALMVS.

Pſal.50. COr mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me. Gloria Patri, &c.

Antiph. Necdum erant abyſſi, & ego parturiebar: quando præparabat cælos, aderam, cum eo eram cuncta componens.

CAPITVLVM.

SApiẽtia ſpecioſior eſt ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata inuenitur prior. Deo gratias.

Reſp. A ſolis ortu, Vſque ad occaſum. A ſolis ortu. *Verſ.* Laudabile nomen Domini. Vſque

ad occasum. Gloria Patri,& Filio, & Spiritui sancto. A solis ortu vsque ad occasum.

Vers. Sapientia requieſcit in corde eius.

Resp. Et prudentia in sermone oris illius.

Oremus.

INfunde, quæsumus Domine, cordibus nostris lumen Sapientiæ tuæ, vt te veraciter agnoscamus, & fideliter diligamus, per eumdem Dominum nostrum, &c. Benedicamus Domino, &c. *vt suprà*

AD VESPERAS.

SAlutem mentis & corporis donet nobis IESVS Sapientia Patris.

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum. Gloria Patri. Sicut erat.

PSALMVS.

REdemptionem misit Dominus populo suo: mandauit in æternum testamentum suum. *Psal.* 110.

Sanctum & terribile nomen eius: initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in sæculum sæculi.

Gloria Patri,& Filio:& Spiritui sancto.

Sicut erat in principio.

Antiph. Omnis Sapientia à Domino Deo est, cum illo fuit semper,& est ante æuum. *Eccli.* 1.

CAPITVLVM.

HAnc (SAPIENTIAM) amaui & exquisiui à iuuentute mea, quæsiui mihi sponsam assumere,& amator factus sum formæ illius.

Resp. Deo gratias.

HYMNVS.

Bernard.

IESV sole serenior,
Et balsamo suauior,
Omni dulcore dulcior,
Præ cunctis amabilior.
Cuius gustus sic afficit,
Cuius odor sic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio:
Tu mea gloriatio,
IESV mundi saluatio.
IESVS auctor clementiæ,
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis delitiæ.
Æterna Sapientia,
Tibi, Patrique gloria, &c.

Vers. Ego autem in Domino gaudebo.
Resp. Et exultabo in Deo IESV meo.

Ad Magnificat, Antiph. O oriens.

MAgnificat: anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus: in Deo salutari meo.
Quia respexit humilitatē ancillę suę: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius.
Et misericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos

perbos mente cordis sui.
Deposuit potētes de sede: & exaltauit humiles.
Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.
Suscepit Israël puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.
Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham, & semini eius in sæcula.
Gloria Patri, &c.
Antiph. O oriens splendor lucis æternæ, & sol iustitiæ, veni & illumina sedentes in tenebris, & vmbra mortis.
Domine exaudi, *vt suprà.* Oremus.

DEus, qui per coæternam tibi Sapientiam, hominem, cùm non esset, condidisti, perditumq. misericorditer reformasti: præsta quęsumus; vt eadem corda nostra inspirāte, te tota mente amemus, & ad te toto corde curramus. Per eumdem Dominum nostrum, &c.
Benedicamus, *vt suprà.*

AD COMPLETORIVM.

SAlutem mentis & corporis, donet nobis IESVS Sapientia Patris.
Conuerte nos Deus salutaris noster, & aúerte iram tuam à nobis.
Deus in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, &c. Amen. Alleluia.

PSALMVS.

ILlumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Prævalui aduersus eum. *Psal.* 12.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.
Exultabit cor meũ in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.
Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.
Sicut erat in principio, &c.

Eccli.24. *Antiph.* Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis.

CAPITVLVM.

SObrietatem & Sapientiam docet, & iustitiam & virtutem: quibus nihil est vtilius in vita hominibus. Deo gratias.

Resp. In pace in idipsum, Dormiam & requiescam. In pace. *Vers.* Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Dormiam & requiescam. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. In pace in idipsum, dormiam & requiescam.

Vers. In pace factus est locus eius.
Resp. Et habitatio eius in sancta Sion.

HYMNVS.

IEsvs in pace imperat,
Qui omnem sensum superat:
Hunc mea mens desiderat,
Et illo frui properat.
Te cæli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat:
IESVS orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus:

Et nos donet cæleſtibus
Secum perfrui ſedibus.
Æterna Sapientia,
Tibi, Patriq́ue gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In ſempiterna ſæcula.

Verſ. In pace factus eſt locus eius.
Reſp. Et habitatio eius in ſancta Sion.
Antiphona. O Rex glorioſe.

NVnc dimittis ſeruum tuum Domine: ſecundùm verbum tuum in pace.
Quia viderunt oculi mei: ſalutare tuum.
Quod paraſti: ante faciem omniũ populorum.
Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Iſrael.
Gloria Patri, &c.

Antiph. O Rex glorioſe, qui inter Sanctos tuos ſemper es laudabilis, & lumen ineffabile: tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos: ne derelinquas nos Deus noſter, ſed in die iudicij nos collocare digneris inter Sanctos & electos tuos Rex benedicte. Domine exaudi, &c.

Oremus.

FRagilitatem noſtram quæſumus Domine propitius reſpice, & ſaporem nobis æternæ ſapientiæ benignus infunde: vt eius dulcedine melliflua præguſtata, omnia terrena valeamus deſpicere, & tibi ſummo bono ardenti deſiderio iugiter adhærere. Per eumdem Dominum noſtrum, &c.
Benedicamus Domino, &c.

CAPVT TERTIVM
DE VENERABILI EVCHARISTIA.

Elogia quæ SS. EVCHARISTIAE à sacra Scriptura & Patribus tribuuntur.

AVCTORITATES.

1. *Matth.* 16. 2. *Ambros in Psalm.* 118. 3. *Aug. in Psal.* 98. 4 *Conc. Flor.* 5. *Amb. Orat. funeb.* 6. *Chrysost. Hom.* 83. *in Matth.* 7. *Sap.* 6. 8. *Chrys. in Psal.* 95. 9 *Exod.* 12. 10. *Conc. Trid. sess.* 13 *cap.* 2. 11. *Cyrill. in Ioan. lib.* 4. *cap* 43. 12. *&* 13. *ibidem.* 14. 1. *Cor.* 10. 15. 2. *Reg.* 19. 16. *Conc. Trident. sess* 13 *cap.* 2. 17. *Dionys cap.* 2. *Eccles. Hierar.* 18 *Theophyl in* 6. *cap. Ioan.* 19. *Damasc. lib* 4. *Fid. cap.* 14. 20 *Orig. lib.* 8. *cõtra Celsum.* 21. *Isa. cap.* 45. 22. *Dionys. vt sup.* 23. *Conc. Trid. sess* 22. *cap.* 2. 24. *Damasc. vt sup.* 25. *Clemens de reliq. & vener. Sanct.* 26. *Chrys. de Sacerd. lib.* 5. *cap.* 3. 27. *Psal.* 110. 28 *Iren contra haeres lib.* 5. 29. *Psal.* 80. 30. *Zach.* 9. 31. *Ambros. lib.* 5. *cap.* 3. *de Sacerd.* 32. *Cyril. de lap.* 33. *Chrys. Hom.* 17. *ad Heb.* 34. *Hieronym. cap* 1. *ad Tit. Conc. Ephes.* 35. *Daniels* 12. 36. *Chrysost. Hom.* 49 *in Matth.* 37. *Ambr. Or. prep.* 38 *Cyp. de cœna.* 39. *Matth.* 26. 40. *Psal.* 110. *&* 22. 41. *Num.* 4. 42. *Clem. sup.* 4. *Thom. Aqui.* 44. *Hieron. epist.* 17. *ad Marcel.* 45. *Can. Mis.* 46 *Chrysost. Hom.* 83 *in Matth & lib.* 3. *de Sacerd.* 47. *Cyrill. lib.* 11. *in* 26. *Ioan.* 48. *Conc. Lat. cap.* 1. 49. *Nazianz. in Iulian.* 50. *Bernard. Serm. de cœna.* 51. *ibidem & 1. Cor* 10. 52. *Psal.* 103. 53. *Matth.* 7. *Ioan.* 6. 54. *Eccles.* 34. 55. *Gen.* 49. 56. *Matth.* 6. 57. *Ignat. epistola*

ad Ephes. 58 *Trid.Conc.sup.*59. *Cyril.cap.*5.*in Missa.* 60.*Bas.in Liturg.* 61.*Emiss.hom.*5.*in pas.* 62.*Hilar.lib.*8.*de Trinit.* 63.*Aug,*26.*in Ioan.* 64.*idem.* 65.*Clem.vt sup.* 66. *Dionys. Hier.Eccles. cap.*2.*&* 3. 67.*Aug.vt sup.* 68.*Conc.Trid.* 69.*Clem.lib.*6.*Const. cap.*23. 70.*Theoph.in* 14.*Matth.* 71. *Conc. Later. cap.*1. 72.*ibidem.* 73.*Aug.lib.*10.*de Ciuit.cap.*20. 74.*Paulinus in vita S.Ambros.* 75.*August.*26.*in Ioan.* 76.*Cyril.lib.*4 *in Ioan.cap.*17. 77.*idem.* 78.*Zach.*9.

ON sine grauissima & omni fide digna causa de hoc SANCTISSIMO SACRAMENTO canit Ecclesia:

S.Thom. Aquinas.

O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur!

Vnde & à SS. Patribus variis titulis hoc epulum adornatur & prædicatur, vt cùm passim vocatur

1 Panis Angelorum.
2 Cibus Apostolicus.
3 Adorandum Christi corpus.
4 Adunatio hominis ad Christum.
5 Æternum mysterium.
6 Alimentum spiritale.
7 Angelorum esca.
8 Angelicum, cæleste, summeque venerandum sacrificium.
9 Agnus absque macula.
10 Animarum potus & esca.
11 Benedictio mystica.
12 Benedictio viuificatiua.

Bene-

Beneficium Christi præstantissimum.	
Calix benedictionis.	13
Caro Christi viuificatrix & mundi vita.	14
Cibus in cuius fortitudine itur ad mon-tem Dei.	15
Cæleste antidotum quo à peccatis præser-uamur.	16
Communicatio deifica & mystica corpo-ris & sanguinis Christi.	17
Communis totius orbis victima.	
Consummatio Sacramentorum.	
Corporalis vnio ad Christum, & substan-tialis filij participatio.	
Corpus Christi verum, cor hominis con-firmans.	18
Corpus Domini deificatum, sanctum & sanctificans.	19
Corpus crucifixi viuificatiuum.	20
Deus absconditus & Saluator.	21
Diuinæ affluentia largitatis.	22
Diuinum & propitiatorium sacrificium.	23
Diuinus carbo comburens peccata, & il-luminans corda nostra.	24
Donum transcendens omnem plenitu-dinem.	25
Dulcissimum conuiuium, cui assistũt An-geli ministrantes.	26
Esca timentibus Dominum.	27
Eucharistia corporis & sanguinis Christi.	28
Frumenti adeps satians nos.	29
Frumentum electorum.	30
Gratia Christi salutaris,	31

32 Gratia Christi viuificatiua.
33 Hostia pura & incruenta nos mundans.
34 Incruenta, rationalis, & suauis victima.
35 Iuge sacrificium.
36 Magnum salutis nostræ pretium.
37 Manna absconditum.
38 Medicamẽtum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgãdas iniquitates.
39 Memoria passionis Christi, & mirabilium Domini.
40 Mensa Domini, aduersus eos qui tribulant nos.
41 Mensa propositionis, & dulcissimi conuiuij.
42 Memoriale præcipuum diuini amoris.
43 Mirabile Sacramentum. Quippe quod peccata præterita remittat quæ obliuione exciderunt, confirmet aduersum futura, debilitet vitiosos animi impetus, tentationes minuat, ad pietatis studium incitet, intelligentiam illuminet, accendat affectum, spem confirmet, conscientiam exhilaret, participes nos faciat meritorum Christi, armet fortes vt strenuè cum diabolo decertent, pœnas peccati minuat, nosque Deo coniungat, vniat, incorporet, & Deiferos faciat.
44 Mysterium Christianorum in Saluatoris corpore & sanguine dedicatum.
45 Mysterium fidei & pacis, maximè verendum.
46 Mysterium pietatis terram nobis cælum faciens.

Mysterium nostræ redemptionis & vnitatis quo Christo vnimur.	47
Noui Testamenti noua oblatio.	48
Offerens & oblatio.	49
Panis benedictionis, Deifer, sanctificatus, & cor hominis confortans.	50
Panis filiorũ Dei, in cuius fractione Christus agnoscitur.	51
Panis vitæ, vitam præstans homini, qui de cælo descẽdit, & qui caro est, pro mundi vita.	52
Panis egentium, & vita pauperum.	53
Panis suauissimus omne delectamentum in se habens.	54
Panis substantialis, animæ substantiam fulciens.	
Panis in Dei Verbi corpus immutatus.	
Panis omnipotentia Verbi caro factus.	
Panis pinguis & delitiæ regum.	55
Panis supersubstantialis.	56
Pharmacum immortalitatis.	57
Pignus futuræ gloriæ & perpetuæ felicitatis.	58
Propitiationis hostia.	59
Purum ac immaculatum corpus Christi.	
Rationabile sacrificium, ac victima perennis.	60
Refectio animarum sanctarum.	61
Sacramentum panis, & communicatio carnis & sanguinis Christi.	62
Sacra oblatio & sacrificium omnium sanctissimum.	63

64 Salutiferum & omni ſuauitate repletum conuiuium.
65 Stupendum ſupra omnia miraculum.
66 Sacratiſſima Dominicæ paſſionis commemoratio.
67 Signum vnitatis, & ſpiritalis animarum cibus.
68 Spiritus dulcedo in proprio fonte degu-ſtata.
69 Symbolum gratiarum actionis, diuinorum myſteriorum corporis & ſanguinis Chriſti.
70 Tranſelementatio panis & vini in corpus & ſanguinèm Chriſti.
71 Transſubſtantiatus panis.
72 Tremendum, impollutum, vitaleque Sacramentum.
73 Verum Eccleſiæ ſacrificium.
74 Verè propitiatoriũ pro viuis & defunctis
75 Viaticum animarum, & in Domino morientium.
76 Vinculum charitatis.
77 Viuifica ſanctificatio.
78 Vinum germinans virgines.

Cùm ergo talis ſit hic animarum cibus, & perpetua paſſionis Domini recordatio; rogemus eumdem Dominum Filium Dei viui, ſub hoc velamine Sacramenti tectum;

Vt nos ab indigna corporis & ſanguinis ſumptione,
A concupiſcentia carnis,
A concupiſcentia oculorum,

A ſu-

A ſuperbia vitæ,
Ab omni peccandi occaſione liberet.
Et hoc quidem
Per deſiderium illud quo hoc Paſcha cum Diſcipulis manducare deſiderauit.
Per ſummam humilitatem qua Diſcipulorum pedes lauit.
Per ardentiſſimam charitatem qua hoc diuinum Sacramentum inſtituit.

Rogemus inſuper vt nobis fidem, reuerentiam, deuotionem huius admirabilis Sacramenti augere, & conſeruare, & ad frequentem vſum Euchariſtiæ per veram peccatorum confeſſionem nos perducere dignetur. Ad hoc nos exhortatur D. Petrus Damianus, dicens: Et quia Redemptor noſter de cælo veniens carnem ſuſcepit ex Virgine, hæc eſt terra illa viuentium ad quam debemus intentis ſemper amoris greſſibus feſtinare. Hunc ſponſum venerabilis ſoror veræ charitatis vlnis amplectere ſemper, hoc iugiter delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Huius Corpus & Sanguinem in ore carnis crebriùs ſuſcipe, vt hanc eius vocem meritò poſſis audire: Fauus diſtillans labia tua ſponſa; mel & lac ſub lingua tua. Terretur enim aduerſarius, cùm Chriſtiani labia videt Chriſti cruore rubẽtia. Agnoſcit enim præſtò ſuæ perditionis indicium; & diuinæ victoriæ, qua captiuatus eſt & obtritus, non tolerat inſtrumentum. Chriſtus ergo per myſterium ſuum tibi videatur in ore, & Chriſtus per ſui amoris incẽdium tibi ſemper viuet

Epiſt. ad Blancam cap. 3.

in

Epist. 10. in corde. Item S. Ignatius Martyr sic ait: Festinate frequenter ad Eucharistiam & gloriam Dei accedere. Quando enim hoc ipsum assiduè agitur, expelluntur potestates Satanæ, qui actus suos conuertit in sagittas ignitas ad peccatum. Et D. Ambrosius: Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere cõsueuerunt: Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic viue vt merearis quotidie accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Adde insuper iuxta D. Vincentij sententiam, optimam esse terribiles illas Purgatorij pœnas ac flammas euadendi rationem, si huius Sacramenti pretiosos fructus frequenter percipias; ac in hora mortis, eodem cæleſti viatico conforteris & muniaris.

Lib. 5. de Sacram. c. 4.

Hunc in finem Psalmum, cum Orationibus aliis sequentibus, sæpè, ac inprimis tempore sacræ refectionis adhibe, sensusque eius mysticos diligenter perpende.

PSALMVS.

Psal. 22. DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.

Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.

Deduxit me super semitas iustitiæ: propter nomen suum.

Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Parasti

araſti in conſpectu meo menſam : aduerſus
os qui tribulant me.
mpinguaſti in oleo caput meũ : & calix meus
ebrians quàm præclarus eſt!
t miſericordia tua ſubſequetur me :omnibus
iebus vitæ meæ.
t vt inhabitem in domo Domini : in longitu-
inem dierum. Gloria Patri,&c.
erſ. Panem cæli dedit eis.
eſp. Panem Angelorum manducauit homo.

ORATIO.

DEus,qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti : tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis ii ſacra myſteria venerari, vt redemptionis iæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui iuis,&c.

ORATIONES *ante ſacram* COMMVNIONEM.

AD menſam dulciſſimi conuiuij tui, pie Domine IESV Chriſte,ego peccator de oprijs meritis nihil præſumens, ſed de tua nfidens miſericordia & bonitate, accedere ereor & contremiſco. Nam & cor & corpus abeo multis criminibus maculatum,mentem linguam non cautè cuſtoditam. Ergo,ô pia itas, ô tremenda maieſtas : ego miſer inter guſtias deprehenſus, ad te fontem miſeri-rdiæ recurro:ad te feſtino ſanãdus:ſub tuam otectionem fugio ; & quem iudicem ſuſti-re nequeo,Saluatorem habere ſuſpiro. Tibi

Domi-

Domine plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego: scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo; spero misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice in me oculis misericordię tuę Domine IESV Christe, Rex æterne, Deus & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: miserere mei pleni miserijs & peccatis, tu qui fontem miserationis numquam manare cessabis. Salue salutaris victima, pro me & omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salue nobilis & pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei IESV Christi profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti: pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo à me, clementissime Pater, omnes iniquitates & peccata mea: vt purificatus mente & corpore, dignè degustare merear sancta sanctorum: & concede vt sancta prælibatio Corporis & Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, bonorumque sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animæ quoque & corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

ORATIO *S. Thomæ Aquinatis.*

OMnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad sacramentum vnigeniti Filij tui Domini nostri IESV Christi. Accedo tamquam infi-

infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cæli & terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lauare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: vt panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium, tanta suscipiam reuerentia & humilitate, tanta contritione & deuotione, tanta puritate & fide, tali proposito & intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi quæso Dominici corporis & sanguinis, non solùm suscipere sacramentum, sed etiam rem & virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, vt corpori suo mystico merear incorporari, & inter eius membra numerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, reuelata tandem facie perpetuò contemplari.

Alia ORATIO.

DOmine IESV Christe, qui hoc Sacramento amoris & pietatis infinitæ, memoriam mihi renouas passionis illius & mortis, quam inter dolores & ignominias crucis extremas immaculatus agnus passus es, pro meis & mũdi peccatis ac miseriis tollendis, & pro felicitate æterna mihi communicanda: hauriam ego ex vulneribus tuis, hauriam ex liuore corporis

tui; in quo à planta pedis vsque ad verticem capitis, non erat sanitas; hauriam ex illo sanguine tam affluenter, tanto ardore charitatis effuso, hauriam, inquam, ardentem charitatem, & amorem tui. Inflammet me hoc ipsum præsens beneficium tuum, Domine IESV Christe, qui tanta cum pietate mihi te communicas, tam familiariter & intimè mihi coniungeris: nec solùm domum meã pauperem non dedignaris, & plagas meas non exhorres; sed & corpore etiam & sanguine tuo sanctissimo ad me sanandum, præseruandum & confirmandum, medicinam conficis. O pijssime IESV, an deerant tibi omnipotenti alij modi reparandi & adiuuandi me, & ad vltimum finem deducendi? Non sanè; sed hoc eligere, vt amorem in me & pietatem abundantiùs demonstrares, voluisti. Quem erga amorem, bonitas infinita, quam gratitudinem huic beneficentiæ & amori tuo retribuam? Quid ergo agere, quid pati propter te dignè potero? Auge tu ipse in me precor, dona gratiæ tuæ, vt plus habeam quod impendam seruitio tuo. Deus meus, & omnia, quid ego bonorum tuorum non sperabo à te? cùm etiam teipsum mihi tam amanter donaueris? cùm in te omnia illa esse videam, quæ spem maximam excitare solent. Potes enim & vis mihi benefacere, potes quidem omne bonum conferre, quia omnipotens es, & indigentias meas non ignoras. Quomodo ergo, si ipsi coniungar fonti, imò mari immenso & inexhausto bonorum omnium, non hauriam aquas cum

gaudio

gaudio de fontibus Saluatoris? Vis etiam omne bonum conferre, qui summè benignus es; quia magis quàm ego ipse me diligis; quia magis tu conferre, quàm ego recipere, desideras: & ne defectus meritorum me à tua liberalitate excludat, tua ipse merita mihi donas, qui mihi iustitia factus es in conspectu Diuinę tuæ sanctitatis. Magnanimiter ergo, spes mea, bonorum tuorum communicationem copiosam à te sperabo; & vt meam paupertatem omnium virtutum & gratiarum spiritualium thesauris locupletes, petam per temetipsum. Qui cum Deo Patre, &c.

Aliquot considerationes ad excitandum maiorem affectum erga Venerabile SACRAMENTVM *vtiles, per modum meditationis vsurpandæ.*

1. QVis ego sum, benignissime IESV, vt desiderio apud me manendi tenearis? Num vilissimam originem meam ignoras? Non sum ex numero cælestium illarum legionum. non sum Seraphim, non Archangelus, non Angelus, nec aliquis ex sacratissimis spiritibus. Homo sum, qui antè nihil fui, ex terræ limo ducens initium. Quid igitur reperis in me, quod te tantopere delectet, & ad me inuitet?

2. Sed fortasse, ô speciosissime forma præ filiis hominum, delitiæ tuæ sunt esse cum filiis hominum. Verùm non sum ego Moses, non Abraham, non Iacob. Longè absum à sanctitate Ioannis, à puritate B. Mariæ Virginis, à charitate Apostolorum, à Sanctorum tuorum perfectione. Peccator sum, tua præsentia indignus,

qui te pro fœda voluptate & lucro temporali non semel Iudæis vendidi : & ego te iam cum Iuda deosculabor ? & velut Regem Iudæorum salutans, arundine, hoc est, vacuitate virtutum & leuitate nimia animæ meæ, caput tuum percutiam?

3. Si S. Ioannes Baptista in ventre matris sanctificatus, vir tantus, & tam admirabilis, non reputat se dignum, qui te tangat, aut soluat corrigiam calceamenti tui : si Petrus Apostolorum princeps præsentiam tuam in nauicula sua extimescens dicit : Exi à me Domine, quia homo peccator sum : si Centurio indignum se ducit, sub cuius intres tectum : quomodo ego, totus non solùm in peccatis natus, sed innumeris etiam propriis criminibus opertus, audebo te non dicam tangere, sed etiam in me accipere, & manducare?

4. Si Oza Sacerdos, tantùm quòd Arcam Testamenti attigisset, non ea qua debuit reuerentia & puritate, repentina morte punitus est: si Bethsamitarum 50. millia occubuerũt, quòd curiosè & irreuerenter eamdem Arcam adspexissent : non erit mihi timendum, qui non accedo ad tangendam vel inspiciendam Arcam Testamenti, sed ad diuinissimum corpus tuum, Arcam scilicet veram Testamenti, in qua inclusi sunt omnes thesauri sapientiæ & potentiæ Dei, complectendum & manducandum?

5. Sed tamen, quoniã memini Domine, quia meretricem suscepisti ; quia cum peccatoribus manducasti ; quia gratiores tibi multò fuerunt

Magda-

Magdalenæ lacrymæ, quàm Phariſæi epulæ; quia non indignatus es à muliere, profluuio ſanguinis laborante, fimbriam veſtimenti tangi; quia cæcos, claudos, immundos, leproſos ad te appropinquantes non reieciſti; venio ad te alacris, & bona ſpe plenus. Quare, ô bone IESV, venientem me recipe, ac tibi per hunc myſticum panem, quem in me accipere ardeo, coniunge.

6. Si me, ô ſuauiſſime IESV, ab hac menſa iuſtiſſimus timor, quem magnitudo ſcelerum meorum generat, abducit & abſtrahit; ad eam ſpes & amor, quem cognita miſerationum tuarum immenſitas parit, inuitant & vrgent. Scio te eſſe qui dixiſti: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores; & non eſt opus medico ſanis, ſed malè habentibus. Ideoque Zachæo Publicano tui videndi deſiderio æſtuanti, non oſtendiſti te tantùm, ſed & eum benignè compellaſti; ad eius domum accedere, cum eo agere & manducare voluiſti. Vt quid ergo de tua miſericordia, bone IESV, diffidam? Cur ad menſam tuam inuitatus adire refugiam? imò cur ad eam non prouolem? In ea enim pharmacum ſalutis, antidotum contra infirmitates meas potentiſſimum porriges: in ea propinabis mihi vinum, quod germinare facit virgines, quod ſerpentes interimit, quod vitam mortuis reſtituit: in ea, ſi infirmus ſum, me confido ſanandum; ſi debilis, confortandum; ſi viuus, magis viuificandum; ſi mortuus, ad vitam reuocandum; ſi tepidus, accendendum; ſi cęcus, illuminandum; ſi

elisus, erigendum; si nudus, vestiendum; si sordidus, abluendum; si pauper, ditandum. Venio ergo Domine: ostende mihi faciem tuam, ingredere in domum meam: dic quia salus facta est domui huic: & cur non salus illi fiet, si ad eam Saluator accesserit?

Aspirationes aliquot, spiritualem famem ardensque desiderium huius SANCTISSIMI SACRAMENTI *excitantes.*

1. QVid tibi Domine IESV, vt venias ad me, atq. sic te mihi cõmunices? Quis enim tu, & quis ego? Tu creator, ego creatura: tu Dominus, ego seruus: tu Deus, ego limus: tu qui es, ego nihil: tu sanctitas ipsa, & bonitas & beatitudo, ego impius, flagitiosus, & infelix. Cur ergo ad me properas? cur mortẽ minaris, nisi te accepero? An tu fortassis præ amore mei nescis, quis, qualis, & quantus sis? sed quia scis, ac me tamen adire vis, non refugio, non tergiuersor. Veni ergo Domine, & noli tardare; tui enim amore langueo.

2. Euge anima mea, annuntio tibi gaudium magnum, gaude & lætare; quia venit ad te creator tuus, pater, pastor, sponsus tuus, Deus & homo Christus IESVS, cuius delicię sunt esse cum filijs hominum. Compone te ergo, & dilatare ad tantum hospitem capiendum, euacua locum cordis tui. Ecce nunc ampliſſimo beatissimæ diuinitatis, sanctissimę animæ, corporis glorioſissimi, sanguinis pretioſissimi munere auctam te esse desiderat. Occurre illi cum muneribus: sed quid tibi offeram bone IESV?

Quid

Quid me opus habes, qui omnia habes? si me totum dedero, quantulum id est? si quod aliàs facere assoles, cor meum petis, illud tibi offerre non audeo: est enim immũdum, est frigidum, est asperum, est planè te indignum. Quòd si omnino dari tibi vis; offero penitus, & qualecumque sit dono: si enim immundum est, puriſſimo sanguinis tui balneo, quod mihi paratur in hoc Sacramento lauabis: si frigidum, caritatis tuæ non tam igne quàm incendio, quod in Euchariſtia feruet, accendes: si durum & asperum, benignitatis tuæ oleo, gratiæque vnguento, cuius plena sunt hæc myſteria, lenies: atque sic lotum, accensum, mollitum nec prorsus tua misericordia indignum cor meum accipies, & cor mihi tuum porriges. Accipe me tibi bone IESV, & te totum dona mihi; accipe cum corde meo, totum amorem meum, & porrige amorem tuum.

3. Scio, ô bone IESV, dulcedo cordis mei, vita animæ meæ, æternum bonum meum, quia amas me. Quæ enim alia fuit cauſſa, vt dum se Iudas componeret ad tui proditionem, tu horum quasi neſcius Sacramentum hoc inſtitueres; niſi vt viciſſim parares nobis amoris funes & vincula, quibus nos tibi conſtringeres, & gloriam qua nos æternùm beares? niſi vt paſſionis tuę viuam nobis relinqueres memoriam, qua procuratæ nobis per eã ſalutis, demonſtratæque tuæ admirabilis & planè nimiæ charitatis eſſemus perpetuò memores. Agnoſco myſterium, agnoſco charitatem: de qua veriſſimè

ſcriptum; quia aquæ multæ (Paſſionis ſcilicet) non potuerunt extinguere, nec flumina dolorũ obruere eam. Quocircà vt eo caritatis igne incaleſcam, vt gratam vicem amoris repẽdam, vt à te nullis cruciatibus deſciſcam, venio ad te bone IESV: os meum, per hanc participationem corporis tui, lateri tuo applicare, & ſanguinem tuum exſugere ardeo. Sic enim magnitudinem amoris tui non tantùm intelligam, ſed & palpabo quaſi, & intimis præcordiis ſentiam; vt in me ſemper maneas, & ego in te. Veni ergo Domine, & noli tardare.

4. Scio, amator hominum ſuauiſſime IESV, dum corpori tuo pretioſo communico, fieri me templum viuum Spiritus ſancti; tabernaculum S^mæ Trinitatis, ſepulchrũ viuum tuum, hoſpitem etiam tuum; imò animam meam fieri ſponſam tibi dilectiſſimam: ideoq. quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: vt in me habites, apud me commoreris, in me viuas, & ego in te: ac non iam te conuertam in me, ſed conuertar in te, qui es vita & ſalus mea vnica. Feſtina ergo Domine, ne tardaueris: patent tibi cordis mei penetralia: compoſitum ſepulchrum; in quo non 40. horis, vt in illo lapideo, ſed in perpetuum conquieſcas.

5. Non ignoro, pientiſſime IESV, carnem meam, dum communico, tangi à benedicta carne tua; manus me tuas oſculari, complecti ſacrum caput: tui propterea ſumendi deſiderio exæſtuo. Scio, dum te in me accipio, quem-

am quasi fieri cæleſtem paradiſum : vbi enim)eus eſt,ibi & paradiſus eſt. Cupio ergo ex te ıdire iam glorioſo , quod olim à mortali & rucifixo audiit latro : Fili mi, hodie mecũ eris ı paradiſo . Scio denique,dum communico, eri me aũlicum tuum , aſſidere menſæ regiæ, eſci epulo pretioſiſſimo,pane Angelorum,de- tias cæli præguſtare , gratia compleri , futuræ loriæ pignus accipere , ac denique bonis om- ibus cumulari. Eapropter cor meum & caro nea exultant in te Deum ſuum ; ad tuas deli- as,ad tuum conuiuium anhelant. Ergo,ô bo- e IESV , dulciſſime & amantiſſime IESV, deli- iæ meæ,amor meus, æternum bonum meum, nelliflue & deſideratiſſime IESV,miſerere mei, oniunge me tibi,quia ego ſeruus tuus ſum, & ilius ancillæ tuæ Eccleſiæ & Mariæ . Paratum ibi cor meũ;fiat mihi ſecundùm verbũ tuum.

ORATIONES *poſt ſacram* COMMVNIONEM.

Poſt Communionem agendæ ſunt confeſtim gratiæ,quòd dignatus ſit Deus ingredi in te , & ſuſcipi à te . Quocircà oportunè adieceris Pſalmum ſequentem.

LAudate Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius:& veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri,&c.

ORATIO.

ANima Chriſti ſanctifica me : corpus Chriſti ſalua me: ſanguis Chriſti inebria

me : aqua lateris Christi laua me: Passio Christi conforta me : ô bone IESV exaudi me. Intra vulnera tua absconde me, & ne permittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meæ voca me, & iube me venire ad te : vt cum Sanctis & electis laudem te : in sæcula sæculorum. Amen.

Alia ORATIO *S. Thomæ Aquinatis.*

GRatias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore & sanguine Filij tui Domini nostri Iesu Christi. Et precor vt hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed interceſſio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis : sit vitiorum meorum euacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio: charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio : contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quàm inuisibilium, firma defensio : motuum meorum, tam carnalium quàm spiritualium, perfecta quietatio : in te vno ac vero Deo firma adhæsio : atque finis mei felix consummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris, vbi tu cum Filio tuo & Spiritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata, & felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum, &c.

RYTHMVS *eiusdem sancti Thomæ.*

ADoro te deuotè latens Deitas,
Quæ sub his figuris verè latitas:
Tibi se cor meum totum subijcit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tutè creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius:
Nihil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas,
At hîc latet simul & humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petiuit latro pœnitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis verus, vitam præstans homini:
Præsta meæ menti de te viuere,
Et te semper illi dulce sapere.
Pie pellicane IESV Domine,
Me immundum, munda tuo sanguine:
Cuius vna stilla saluum facere,
Totum mundum quit ab omni scelere.
IESV, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio,
Vt te reuelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

ORATIO *S. Bonauenturæ.*

TRansfige, dulcissime Domine IESV, medullas & viscera animæ meæ, suauissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque, & Apostolica sanctissima charitate, vt langueat & liquefiat anima mea solo semper amore & desiderio tui, te concupiscat, & deficiat in atria tua, cupiat dissolui & esse tecum. Da vt anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem & saporem, & omne delectamentum suauitatis: te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ: te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ & scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, vbertatem domus Dei: te semper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui, cum humilitate & discretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseuerantia vsque in finem: & tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, diuitię meæ, delectatio mea, iucunditas mea, gaudiũ meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, suauitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma & immo-

liter semper sit radicata mens mea, & cor neum. Amen.

Alia ORATIO.

INeffabilem misericordiam tuam, Domine IESV Christe, humiliter exoro, vt hoc Sacramentum corporis & sanguinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicina vitæ, sit memoria tuæ passionis, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meę peregrinationis. Euntem me conducat, errantem me reducat, reuertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, & perseuerantem me in gloriam introducat. O altissime Deus, beatissima præsentia corporis & sanguinis tui, sic immutet palatum cordis mei, vt præter te nullam vmquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullū quærat illicitum amorem, nullam desideret consolationem, nullam admittat vmquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem.

ORATIO, *qua petitur vnio animæ cum* CHRISTO.

GRatias ago tibi ex toto corde meo, Bonitas effusissima, abyssus infinitæ misericordiæ, qui tam indigenti seruo tuo omne bonum in teipso conferre, qui tam indigno peccatori fructum passionis & mortis tuæ, cum corpore & sanguine tuo sanctissimo, tam amāter applicare voluisti: gratias ago tibi de tanto

bene-

beneficio, & tam singulari, & de charitate ill
inæstimabili qua id mihi contulisti: & preco
eamdem bonitatem tuam, vt tua ipse dona i
me conserues & augeas, ad honorem & glo
riam tuam; sollicitam sensuum & linguæ &
cogitationum custodiam tribuas; strenuè ope
rari ex puro & feruenti amore tuo, quæ ad ho
norem tuum & proximorum salutem sunt
concedas; quò in omnibus actionibus meis ti
bi placeam, nec vnquam à me separeris, qu
tam dignanter & intimè te mihi coniunxisti
donec in vnione beatissimæ gloriæ tuæ tib
adhæream. Amen.

Oratio ad B. VIRGINEM MARIAM
post Communionem.

COmmendo me tibi, sanctissima Virgo
Maria, quæ in tuo sacratissimo vtero,
eumdem Dominum, quem ego modò susce pi,
de Spiritu sancto conceptum dignè portasti.
Precor te matrem Dei, vt pro me apud eum-
dem Filium tuum intercedas: & si quacumque
ratione, in summi Sacramēti huius sumptione
deliqui, huius negligentiæ & indignitatis meæ
veniam impetres. Tu semper casta, pura, inno-
cens, post conceptum Filium, etiam castior, pu-
rior, sanctior, Deoque gratior euasisti. Vtinam
& ego, tam diuini Sacramenti perceptione, ita
sanctificer, vt deinceps cor & corpus meum ab
omni letalis peccati macula tuear impollutum!
Tu concepto Filio magnificas laudes Domino
lætè decantasti, & in Deo salutari tuo mirabi-
liter exultasti: tuis quæso efficacibus precibus

id

id assequar, Virgo mater, vt cum hac sacra Communione nouum & ardentem spiritum coniungam, semper in gratiarum actione piè versér, tantoque hospiti me numquam ingratum, sed fidum in omnibus ministrum exhibeam.

ORATIO *de sancta* COMMVNIONE *ex Concilio Tridentino.*

OMnipotens sempiterne Deus, per viscera misericordiæ Dei nostri, te rogo & obsecro: vt nos omnes & singuli, qui Christiano nomine censemur, in hoc vnitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo, iam tandem aliquando conueniamus, & concordemus: memoresque tantæ maiestatis, & tam eximij amoris IESV Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam, in nostræ salutis pretium, & carnem suam nobis dedit ad manducandum; hæc sacra mysteria corporis & sanguinis eius, ea fidei constantia & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate & cultu credamus & veneremur, vt panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possimus. Et is verè sit nobis animæ vita, & perpetua sanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miserę peregrinationis itinere, ad cæleſtem patriam peruenire valeamus, eúdem Panem Angelorum, quem modò sub sacris velaminibus edimus, absque vllo velamine manducaturi. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen. *Sess.* 13. *c.* 8.

CAPVT

CAPVT QVARTVM

DE PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Vita & Passio Domini nostri IESV CHRISTI, *ex sacris Scripturis collecta.*

IA mente considera in genere, quomodo humiliauit semetipsum Dominus noster IESVS Christus, factus obediens vsq. ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei Patris.

Deinde in particulari considera circumstantias omnes, quæ se in eius vita sanctissima, & morte crudelissima, offerunt. Quomodo scilicet hic Dominus noster IESVS Christus secundùm naturam diuinam Deus, splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, vt subsistens

in vtraque natura Deus & homo, fit
Isaiæ 9. Magni consilij Angelus.
Princeps pacis.
Sanctis Patribus promissus.
Cunctis gentibus desideratus.
In mundum à Patre missus.
De Spiritu sancto conceptus.
Ioan. 1. Verbum caro factum.
Isaiæ 7. Nobiscum Deus.
In formam serui factus.
De Maria Virgine natus.
Lucæ 2. A sua Genitrice adoratus.
Pannis inuolutus.
In præsepio reclinatus.
Vbere virgineo lactatus.
A pastoribus in præsepio cognitus.
Per circumcisionem sub Lege factus.
Matth. 2. A Magis adoratus.
Lucæ 2. In templo præsentatus.
Vlnis Simeonis exceptus.
In Ægyptum delatus.
Ab Herode ad mortem quæsitus.
In Nazareth nutritus.
In Templo inuentus.
Parentibus subditus.
A Ioanne baptizatus.
In deserto tentatus.
Cum hominibus conuersatus.
Pauperibus discipulis sociatus.
Ioan. 8. Lux mundi.
Doctor iustitiæ.
Via, veritas, & vita.

Exemplar virtutum omnium.
Omnibus languentibus misericorditer opitulatus. *Mat.14.*
A suis furiosus reputatus.
Gratis odio habitus. *Psal.27.*
Contumelijs vexatus.
Lapidibus impetitus.
In monte coram Patribus transfiguratus.
Tamquam Rex mitis Ierusalem ingressus. *Zach.9.*
Præ compassione lacrymatus.
Triginta argenteis appretiatus.
Ad discipulorum pedes inclinatus.
Carne sua ceu pane viuo & sanguine vt potu vero traditis, nobis gratulatus.
In oratione prostratus. *Mat.11.*
In agonia sanguineo sudore perfusus.
Ab Angelo confortatus.
Osculo à Iuda traditus.
A ministris ligatus.
A discipulis suis derelictus.
Annæ & Caiphæ præsentatus.
Alapa à ministro percussus. *Ioan.18.*
A falsis testibus accusatus.
Reus mortis iudicatus.
In faciem consputus.
Oculis velatus.
Colaphis cæsus.
A Petro ter negatus. *Mat.26.*
Vinctus Pilato traditus.
Ab Herode & eius exercitu sptetus & illusus.
Veste alba indutus.

Latroni Barrabæ postpositus.
Flagellis cæsus.
Isaiæ 53. Propter scelera nostra attritus.
Quasi leprosus reputatus.
Veste purpurea indutus.
Spinis coronatus.
Arundine percussus.
A Iudæis ad Crucem postulatus.
Sap. 2. Morte turpissima condemnatus.
Voluntati Iudæorum traditus.
Crucis pondere grauatus.
Isaiæ 49. Tamquam ouis ad occisionem ductus.
Vestibus exutus.
Clauis Cruci confixus.
Isaiæ 53. Propter iniquitates nostras vulneratus.
Pro inimicis Patrem deprecatus.
Ibidem. Cum iniquis reputatus.
Opprobrium hominum factus.
A prætereuntibus blasphematus.
A Iudæis derisus.
A militibus in Cruce illusus.
A latrone iniurijs lacessitus.
Opprobrijs saturatus.
Latroni pœnitenti paradisum pollicitus.
Marci 16 Ioannem Matri suæ in filium largitus.
Se à Patre derelictum attestatus.
Felle & aceto in siti summa potatus.
Consummata tandem omnia de se scripta testatus.
Spiritum suũ in manus Patris cõmendans.
Heb. 1. A Patre pro sua reuerentia semper exauditus.

Vsque ad mortem Crucis obediẽs factus. *Phil.2.*
Lancea transfixus in latere, vnde profluxit sanguis & aqua.
Cuius liuore sanati sumus. *Isaiæ 56.*
Pro nobis propitiatio factus. *Ioan.12.*
De Cruce depositus.
In sindone munda inuolutus.
In monumento nouo positus.
Vinctos de lacu inferni prædatus. *Zach.9.*
Ab inferis victor reuersus.
Post resurrectionem cum discipulis conuersari dignatus.
In cælum eleuatus.
Ad Patris dexteram collocatus.
Gloria & honore coronatus. *Psal.8.*
Factus Rex regum, & Dominus dominantium.
Apud Patrem noster perpetuò aduocatus. *1. Ioan.2.*
Spiritum paraclitum discipulis elargitus.
Matrem suam super choros Angelorum exaltans.
Viuos & mortuos iudicaturus.
Reprobos in ignem æternum missurus.
Paratum electis regnum collaturus. *Mat.25.*
Vbertate domus suæ Sanctos omnes inebriaturus. *Psal.35.*

His benè perpensis dicatur sequens ORATIO.

RESpice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster IESVS Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum, Qui tecum viuit, &c.

D. Bernardi Abbatis Rythmica ORATIO *ad singula membra* CHRISTI *patientis, & de cruce pendentis, cum aliis* VII. *quibus virtutes eius petantur, ex Pet. Canisio Soc.* IESV.

AD PEDES.

SAlue mundi salutare,
Salue, salue IESV care:
Cruci tuæ me aptare
Vellem verè, tu scis quare,
Da mihi tui copiam.
Ac si præsens sis, accedo,
Imò te præsentem credo:
O quàm nudum hîc te cerno!
Ecce tibi me prosterno,
Sis facilis ad veniam.
Clauos pedum, plagas duras,
Et tam graues impressuras,
Circumplector cum affectu,
Tuo pauens in aspectu,
Tuorum memor vulnerum.
Grates tantæ charitati
Nos agamus vulnerati:
O amator peccatorum,
Reparator confractorum,
O dulcis pater pauperum!
Quidquid est in me confractum,
Dissipatum aut distractum,
Dulcis IESV totum sana,
Tu restaura, tu complana,
Tam pio medicamine,
Te in tua cruce quæro,
Prout queo corde mero:

Me sanabis hîc, vt spero,
Sana me, & saluus ero,
In tuo lauans sanguine.
Plagas tuas rubicundas,
Et fissuras tam profundas,
Cordi meo fac inscribi,
Vt configar totus tibi,
Te modis amans omnibus.
Dulcis IESV pie Deus,
Ad te clamo licet reus:
Præbe mihi te benignum,
Ne repellas me indignum
De tuis sanctis pedibus.
Coram cruce procumbentem,
Hosque pedes complectentem,
IESV bone non me spernas,
Sed de cruce sancta cernas
Compassionis gratia.
In hac cruce stans directè,
Vide me, ô mi dilecte;
Ad te totum me conuerte;
Esto sanus, dic apertè,
Dimitto tibi omnia.

Oratio 1. *de* CHRISTI *Humilitate.*

DOmine IESV Christe fili Dei viui, ipse verus Deus, potentissimus rerum omnium conditor & moderator, qui vt humilitatis exemplum nobis relinqueres, è sublimi cælo descendisti; atque humana nostra infirmitate & abiectione assumpta, à seruo tuo Ioanne, velut impurus peccator, baptizari voluisti; passione tua iam instante, charis discipulis cordis tui

triſtitiam patefeciſti; proſtratus in terram, ſudore ſanguineo emiſſo, humillimè voluntatem tuam in voluntatem Patris reſignaſti; aliaque quàm plurima ſummæ humilitatis argumenta dediſti: precor vt profundam dones mihi humilitatem, qua me omnibus facilis lubenſque ſubijciam, neque altè de meipſo ſentiam; ſed vilis & abiectus ſemper in oculis meis, talis ab omnibus haberi cupiam. Qui viuis & regnas, &c.

Ad Genva.

SAlue Iesv Rex Sanctorum,
Spes votiua peccatorum:
Crucis ligno tamquam reus,
Pendens homo verus Deus,
Caducis nutans genibus.
O quàm pauper, ô quàm nudus!
Qualis es in cruce ludus,
Deriſorum iocus factus,
Sponte tamen, non coactus,
Attritus membris omnibus!
Sanguis tuus abundanter
Fuſus, fluit inceſſanter:
Totus lotus in cruore,
Stas in maximo dolore,
Præcinctus vili tegmine.
O Maieſtas infinita!
O egeſtas inaudita!
Quis pro tanta charitate,
Quærit te in veritate,
Dans ſanguinem pro ſanguine?
Quid ſum tibi reſponſurus,

Actu vilis, corde durus?
Quid rependam amatori,
Qui elegit pro me mori,
Ne dupla morte morerer?
Amor tuus, amor fortis,
Quem non vincunt iura mortis:
O quàm pia me sub cura,
Tua foues in pressura,
Ne morsu mortis vulnerer!
Ecce tuo præ amore,
Te complector cum rubore:
Me coapto diligenter,
Tu scis causam euidenter,
Sed suffer, & dissimula.
Hoc quod ago non te grauet;
Sed me sanet, & me lauet,
Inquinatum & ægrotum,
Sanguis fluens hic per totum,
Vt non supersit macula.
In hac cruce te cruentum,
Te contemptum & distentum,
Vt requiram me impelle;
Et hoc imple meum velle,
Facturus quod desidero.
Vt te quæram mente pura,
Sit hæc mea prima cura:
Non est labor, nec grauabor,
Sed sanabor & mundabor,
Cùm te complexus fuero.

Oratio II. *de* CHRISTI *Mansuetudine.*

DOmine IESV Christe, præclarum omnium virtutum exemplar, qui summam

semper omnibus mansuetudinẽ præbuisti, tam in Natiuitatis tuæ exordio, quando te mundo ostendisti tui inimicissimo, quàm per totam reliquam vitam, in qua modestia summa cum discipulis rudibus, & Iudæis continenter insidiantibus, versatus es: quàm denique passionis tempore, cùm & proditorem Iudam mansuetissimè deosculareris, & Iudæis summa modestia gereres morem, quantũuis duriter ligarent, cæderent, in faciem conspuerent, multasque irrogarent iniurias. Rogo, humillime IESV, vt veram mihi largiaris mansuetudinem, qua sedato animo mea omnia peragam, modestè me apud alios habeam, atque mansuetè cum omnibus, vtcumque mecum agant, versẽr.

AD MANVS.

SAlue Iesv pastor bone,
Fatigatus in agone,
Qui per lignum es distractus,
Et ad lignum es compactus,
Expansis sanctis manibus.
Manus sanctæ vos auete,
Rosis nouis adimpletæ,
Hos ad ramos durè iunctæ,
Et crudeli ferro punctæ,
Tot guttis decurrentibus.
Ecce fluit circumquaque
Manu tua de vtraque
Sanguis tuus copiosè,
Rubicundus instar rosæ,
Magnæ salutis pretium.
Manus clauis perforatas,

Et cruore purpuratas,
Corde premo præ amore;
Sitibundo bibens ore,
Cruoris ſtillicidium.
O quàm largè te exponis,
Promptus malis atque bonis!
Trahis pigros, pios vocas,
Et in tuis vlnis locas,
Paratus gratis omnibus.
Ecce tibi me præſento,
Vulnerato & cruento:
Semper ægris miſereris,
De me ergo ne graueris,
Qui præſtò es amantibus.
In hac cruce ſic extenſus,
In te meos trahe ſenſus:
Meum poſſe, velle, ſcire,
Cruci tuæ fac ſeruire;
Me tuis apta brachiis.
In tam lata charitate,
Trahe me in veritate:
Propter crucem tuam almam,
Trahe me ad crucis palmam,
Dans finem meis vitijs.
Manus ſanctæ, vos amplector,
Et gemendo condelector:
Grates ago plagis tantis,
Clauis duris, guttis ſanctis,
Dans lacrymas cum oſculis.
In cruore tuo lotum,
Me commendo tibi totum:
Tuæ ſanctæ manus iſtæ,

Me defendant, IESV Christe,
Extremis in periculis.

Oratio III. *de* CHRISTI *Patientia.*

DOmine IESV Christe, patientiæ speculum, & auctor omnium bonorum, qui tener infantulus circumcisionis dolorem patientissimè tulisti, in omnibusque Iudæorum conuitijs, & quas intulerunt plagis, atque diris flagellis infractum semper animum & benignum exhibuisti: obsecro vt hanc mihi infundas gratiam, qua summa constantia, quæ Christianum hominem, officiumque meum decent, perficiam; iniurias omnes illatas fortiter perferam; neque prorsus ad vllas aduersitates commouear, sed æquabili semper in secundis & aduersis persistam animo.

AD LATVS.

SAlue IESV summè bonus,
Ad parcendum nimis pronus:
Membra tua macilenta,
Quàm acerbè sunt distenta,
In ramo crucis torrida!
Salue latus Saluatoris,
In quo latet mel dulcoris,
In quo patet vis amoris,
Ex quo scatet fons cruoris
Qui corda lauat sordida.
Ecce tibi appropinquo,
Parce IESV si delinquo:
Verecunda quidem fronte,
Ad te tamen veni sponte,
Scrutari tua vulnera.

Salue mitis apertura,
De qua manat vena pura,
Porta patens & profunda,
Super rosam rubicunda,
Medela salutifera.
Odor tuus super vinum,
Virus pellens serpentinum,
Potus tuus, potus vitæ!
Qui sititis, huc venite,
Te dulce vulnus aperi.
Plaga rubens aperire,
Fac cor meum te sentire,
Sine me in te transire,
Vellem totus introire,
Pulsanti pande pauperi.
Ore meo te contingo,
Et ardenter ad me stringo,
In te meum cor intingo,
Et feruenti corde lingo,
Me totum in te traijce.
O quàm dulcis sapor iste!
Qui te gustat IESV Christe,
Tuo victus à dulcore,
Mori posset præ amore,
Te vnum amans vnicè.
In hac fossa me reconde,
Infer meum cor profundè,
Vbi latens incalescat,
Et in pace conquiescat,
Nec prorsus quemquam timeat.
Hora mortis meus flatus,
Intret IESVS tuum latus:

Hinc exſpirans in te vadat,
Ne hunc leo trux inuadat,
Sed apud te permaneat.

Oratio IIII. *de* CHRISTI *Obedientia.*

DOmine IESV Chriſte, ſumme totius orbis Imperator, cui ad nutum omnia obediunt, cui ſe Reges inclinant, & cui ſubſunt cunctę prorſus creaturæ: rogo te per inſignem illam obedientiam, qua te totum ita Patris voluntati ſubdidiſti, vt fatereris eſſe cibum tuum, eius iuſſionem implere: neque illi tantùm paruiſti, verùm etiam hominibus quantumuis improbis, vt Iudici Pilato in ſuſcipienda mortis ſententia, & impijs tortoribus in his quæ inferentes pœnam iniquè præcipiebant: rogo, inquam, vt gratiam mihi largiaris, qua tuis inprimis ſanctiſſimis mandatis, & piis internis Spiritus ſancti ſuggeſtionibus obtemperem, cæcam, velocem, alacrem atque humilem obedientiam ſuperioribus meis libenter præſtem.

AD PECTVS.

SAlue ſalus mea Deus,
IESV dulcis amor meus:
Salue pectus reuerendum,
Cum tremore contingendum,
Amoris domicilium.
Aue thronus Trinitatis,
Arca latæ charitatis,
Firmamentum infirmatis,
Pax & pauſa fatigatis,
Humilium triclinium.
Salue IESV reuerende,

Dignè

Dignè ſemper inquirende:
Me præſentem hic attende,
Accedentem me ſuccende
Præcordiali gratia.
Pectus mihi confer mundum,
Ardens, pium, gemebundum,
Voluntatem abnegatam,
Tibi ſemper conformatam,
Iuncta virtutum copia.
IESV dulcis, paſtor pie,
Fili Dei & Mariæ,
Largo fonte tui cordis,
Fœditatem meæ ſordis,
Benigne pater dilue.
Aue ſplendor & figura,
Summa Dei genitura:
De theſauris tuis plenis,
Deſolatis & egenis
Munus clementer profluе.
Dulcis IESV Chriſti pectus,
Tuo fiam dono rectus,
Abſolutus à peccatis,
Ardens igne charitatis,
Vt ſemper te recogitem.
Tu abyſſus es ſophiæ,
Angelorum harmoniæ
Te collaudant: ex te fluxit
Quod Ioannes cubans ſuxit:
In te fac vt inhabitem.
Aue fons benignitatis,
Plenitudo Deitatis
Corporalis in te manet,

Vani-

Vanitatem in me ſanet,
Quod tu confers conſilium.
Aue verum templum Dei,
Precor miſerere mei,
Tu totius arca boni,
Fac electis me apponi,
Vas diues: Deus omnium.

Oratio V. *de amabili* CHRISTI *Benignitate.*

DOmine IESV Chriſte benigniſſime Deus, qui ſumma ſemper amabiliq́ue benignitate erga tuos vſus fuiſti, quando infantulus in vlnis Simeonis requieſcebas, quando Apoſtolorum lauabas pedes, quando crucem ponderoſam baiulans, ad mulieres cõuerſus, eas conſolabaris, veſtibus ſpoliabaris, & manus perforãdas crudeliter, porrigebas. Precor te, vt etiam mihi benignitatem eam conferas, qua cum omnibus prout conuenit conuerſer; animi ſumma dulcedine cum illis agam, nec aduerſantibus ſim aſperior, quàm fauentibus, verùm amabilem dulcemq́ue benignitatem omnibus exhibeam.

AD COR.

SVmmi Regis cor aueto,
Te ſaluto corde læto,
Te complecti me delectat,
Et hoc meum cor affectat;
Vt ad te loquar, animes.
Quo amore vincebaris,
Quo dolore torquebaris,
Cùm te totum exhaurires,

Vt te nobis impertires,
Et nos à morte tolleres?
O mors illa quàm amara,
Quàm immitis, quàm auara,
Quæ per cellam introiuit,
In qua mundi vita viuit,
Te mordens cor dulciſſimum!
Propter mortem quam tuliſti,
Quando pro me defeciſti,
Cordis mei cor dilectum,
In te meum fer affectum,
Hoc eſt quod opto plurimùm.
O cor dulce prædilectum,
Munda cor meum illectum;
Et in vanis induratum,
Pium fac, & timoratum,
Repulſo tetro frigore.
Per medullam cordis mei,
Peccatoris atque rei,
Tuus amor transferatur;
Quo cor totum rapiatur,
Languens amoris vulnere.
Dilatare, aperire,
Tamquam roſa fragrans mirè:
Cordi meo te coniunge,
Vnde illud & compunge:
Qui amat te, quid patitur?
Quidnam agat, neſcit verè,
Nec ſe valet cohibere,
Nullum modum dat amori,
Multa morte vellet mori,
Amore quiſquis vincitur.

Viua cordis voce clamo,
Dulce cor, te namque amo:
Ad cor meum inclinare,
Vt se possit applicare
Deuoto tibi pectore.
Tuo viuat in amore,
Ne dormitet in torpore:
Ad te oret, ad te ploret,
Te adoret, te honoret,
Te fruens omni tempore.
Rosa cordis aperire,
Cuius odor fragrat mirè:
Te dignare dilatare,
Fac cor meum anhelare
Flamma desiderij.
Da cor cordi sociari,
Tecum IESV vulnerari:
Nam cor cordi similatur,
Si cor meum perforatur
Sagittis improperij.
Infer tuum intra sinum
Cor, vt tibi sit vicinum,
In dolore gaudioso,
Cum deformi speciosо,
Quod vix seipsum capiat.
Hîc repauset, hîc moretur:
Ecce iam post te mouetur,
Te ardenter vult sitire,
IESV noli contraire,
Vt benè de te sentiat.

Oratio VI. *de ardentissima* CHRISTI DOMINI *Charitate.*

DOmine Iesv Christe, charitas increata, qui tanto amore salutem nostram semper sitiuisti, vt veluti profugus in aliena terra peregrinari dignatus sis, cuius est terra omnis & plenitudo eius, vt omnium in te peccata luenda susceperis: denique post immensos nostri caussa exantlatos labores, etiam sanguinem vniuersum profundere, & animam pretiosissimam pro nobis ponere volueris: per hæc te supplex oro, vt mihi veram charitatem infundas, qua te inprimis ardentissimè diligam, deinde proximum omnem in te & propter te summo complectar amore; neque mihi in vllo parcam, quo vel tibi, vel proximo, obsequium aliquod, quantumuis id durum sit mihi atque molestum, exhibere queam.

AD FACIEM.

SAlue caput cruentatum,
Totum spinis coronatum,
Conquassatum, vulneratum,
Arundine verberatum,
Facie sputis illita.
Salue cuius dulcis vultus,
Immutatus & incultus,
Immutauit suum florem,
Totus versus in pallorem,
Quem cæli tremit curia,
Omnis vigor atque viror
Hinc recessit, non admiror:
Mors apparet in aspectu;

Totus pendens in defectu,
Attritus ægra macie.
Sic affectus, sic despectus,
Propter me sic interfectus,
Peccatori tam indigno,
Cum amoris interſigno,
Appare clara facie.
In hac tua passione
Me agnosce pastor bone,
Cuius sumpsi mel ex ore,
Haustum lactis cum dulcore,
Præ omnibus delicijs.
Non me reum asperneris,
Nec indignum dedigneris:
Morte tibi iam vicina,
Tuum caput hîc inclina,
In meis pausa brachijs.
Tuæ sanctæ passioni
Me gauderem interponi,
In hac cruce tecum mori:
Præsta crucis amatori,
Sub cruce tua moriar.
Morti tuæ tam amaræ
Grates ago IESV chare:
Qui es clemens, pie Deus,
Fac quod petit tuus reus,
Vt absque te non finiar.
Dum me mori est necesse,
Noli mihi tunc deesse:
In tremenda mortis hora,
Veni IESV absque mora,
Tuere me, & libera.

Cùm me iubes emigrare,
IESV care, tunc appare:
O amator amplectende,
Temetipsum tunc ostende,
In cruce salutifera.

Oratio VII. *de Liberalitate ac Compassione* CHRISTI DOMINI.

POtentissime ac liberalissime Domine IESV Christe, qui summa liberalitate te ipsum totum nobis donasti, quando in maximis laboribus & corporis molestijs nihil tibi parcens, omnes sitientes ad te venire iussisti, vt aqua salutari eos potares, & liberalissimè cælestis sapientiæ diuinæque gratiæ thesaurum illis communicares: denique sanguinem vniuersum illum, etiam qui in corde interioribusque visceribus latebat, vt te totum nobis impenderes, liberalissimè effudisti: oro vt mihi liberalem des animum, quò non solùm in tuum obsequium, sed in auxilium quoque salutemque proximorum, me totum, meaque omnia liberaliter impẽdam. Fac etiam, precor, vt sedulò & continenter passionem tuam, doloremque sanctissimę matris, in corde gestem; quorum meditatione, vitam meam Christiano homine & vocatione mea dignam traducam, animumque meum ita componam, vt dignus sit, in quo per gratiam tuam quiescas & habites, vnà cum Deo Patre & Spiritu sancto, & nunc & in sæcula sæculorum. Amen.

OFFICIVM DE PASSIONE D. N. IESV CHRISTI:

Ferè ex Isaia Propheta & Psalmis Dauidicis desumptum.

ADORAMVS te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum. Gratias tibi ago Domine IESV Christe, cuius gratia sum id quod sum, cuius misericordia viuo, morior & subsisto. Dignare me laudare te, benignissime IESV Christe, & sacratissimæ tuæ passionis laudes decantare. Qui viuis & regnas, &c.

AD MATVTINVM.

DOmine labia mea aperies. *Resp.* Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Vers. Deus in adiutorium meum intende.
Resp. Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, &c. Alleluia. *vel*, Laus tibi Domine, Rex æterne gloriæ. *pro tempore.*
Inuitatorium. Regem Christum Dominum pro nobis in Cruce passum, Venite adoremus.
Psalm. Venite, exultemus. *vt suprà, fol.* 80.

HYMNVS.

IN Passione Domini,
Qua salus datur homini,
Sit nostrum refrigerium,
Et cordis desiderium.
Portemus in memoria,

Tot pœnas, & opprobria,
Christi coronam spineam,
Crucem, clauos, & lanceam;
Et plagas sacratissimas,
Omni laude dignissimas;
Acetum, fel, arundinem,
Mortis amaritudinem.
Hæc omnia nos satient,
Et dulciter inebrient;
Nos repleant virtutibus,
Et glorioſis fructibus.
Te crucifixum colimus,
Te toto corde poscimus,
Vt nos Sanctorum cœtibus
Coniungas in cælestibus.
Laus, honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo. Amen.

Antiph. Misericors.

PSALMVS.

MEmoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.

Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle saturauit eos.

Panem cæli dedit eis; panem Angelorum manducauit homo: filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.

Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me: & calix meus inebrians quàm præclarus est?

Gloria Patri,& Filio.

Antiph. Misericors & miserator Dominus, mortis suę tempore escam dedit timentibus se.

Antiph. Homo pacis.

PSALMVS.

QVare fremuerunt gentes: & populi meditati sunt inania?

Acuerunt linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labijs eorum.

Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.

Etenim homo pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.

Fiant dies eius pauci: & episcopatum eius accipiat alter.

Gloria Patri,& Filio.

Antiph. Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplātationem.

Antiph. Contritum est.

PSALMVS.

SAluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.

Timor & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt & ceciderunt.

Confortati sunt qui persecuti sunt me iniustè: quæ non rapui tunc exsoluebam.

Gloria Patri,& Filio,&c.

Antiph. Contritum est cor meum in medio mei,& contremuerunt omnia ossa mea.

Vers. Reliqui domum meam : & dimisi hereditatem meam. *Resp.* Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum meorum.

Absolutio. Qui ligari dignatus est manibus inimicorum, absoluat nos Dominus IESVS à vinculis peccatorum. Amen.

Iube domne benedicere. Per suam sanctam passionem det nobis IESVS CHRISTVS gratiam & benedictionem.

LECTIO PRIMA.

Isaiæ 53. QVis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo,& sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor : & vidimus eum,& non erat aspectus:desiderauimus eum despectum,& nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem : & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit:& nos putauimus eum quasi leprosum,& percussum à Deo & humiliatum. Tu autem Domine.

Resp. In monte Oliueti oraui ad Patrem: Pater,si fieri potest,transeat à me calix iste. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Vers. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis,fiat voluntas tua. Spiritus quidem promptus,&c.

Iube domne benedicere. Glorioſa passio Domini

mini noſtri Iesv Chriſti perducat nos ad gaudia paradiſi. Amen.

LECTIO SECVNDA.

IPſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrûm. Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Tu autem Domine.

Reſp. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, ſuſtinete hîc, & vigilate mecum, nunc videbitis turbam quæ circumdabit me: Vos fugam capietis, & ego vadam immolari pro vobis. *Verſ.* Ecce appropinquabit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Vos fugam capietis, &c.

Iube domne benedicere. Per ſanctam crucem ſuam Dei filius ſit nobis clemens, pius, & propitius. Amen.

LECTIO TERTIA.

DE anguſtia & de iudicio ſublatus eſt: generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum: Et dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua: eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius; & Dominus voluit conterere eum

in infirmitate. Si posuerit pro peccato anima suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos: & fortium diuidet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Tu autem Domine.

Resp. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, Si est dolor similis sicut dolor meus. *Vers.* Attendite vniuersi populi, & videte. Si est dolor. Gloria Patri, &c.

Canticum. Te Christum laudamus, &c. *vide habes suprà, fol. 86.*

AD LAVDES.

DEus in adiutorium meum intende.

Resp. Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri, &c.

Antiph. Anxiatus est.

PSALMVS.

DOmine quid multiplicati sunt qui tribulãt me: multi insurgunt aduersum me. Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens & rugiens.

Amici mei & proximi mei: aduersum me appropinquauerunt & steterunt.

Et qui iuxta me erant de longè steterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Considerabam ad dexteram & videbam: & non erat qui cognosceret me.
Gloria Patri, & Filio.
Antiph. Anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

CAPITVLVM.

REcogitato eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes. *Hebr.* 12.
Resp. Deo gratias.

HYMNVS.

CHristum ducem, qui per crucem
Redemit nos ab hostibus,
Laudet cœtus noster lætus,
Exultet cælum laudibus.
Pœna fortis tuæ mortis,
Et sanguinis effusio,
Corda terant, vt te quærant,
IESV nostra redemptio.
Per felices cicatrices,
Sputa, flagella, verbera,
Nobis grata sint collata
Æterna Christi munera.
Nostrum tangat cor, vt plangat,
Tuorum sanguis vulnerum;
In quo toti simus loti,
Conditor alme siderum.
Passionis tuæ donis
Saluator nos inebria,
Qua fidelis dare velis
Beata nobis gaudia.
Laus, honor, &c.

Vers.

Vers. Dedit percutientibus se maxillam.
Resp. Saturabitur opprobriis.
Antiph. Proprio filio. *Canticum.* Benedictu
vt suprà, fol. 88.
Antiph. Proprio filio suo non pepercit Deu
sed pro nobis omnibus tradidit eum.

ORATIO.

DOmine IESV Christe, Fili Dei viui, q
hora matutina pro salute humana nasc
tradi, capi, alapis cædi, ligari, & conspui volu
sti: fac nos, quæsumus, contumelias & oppro
bria pro tui nominis gloria libenter & patien
ter suscipere, & hanc tuæ sanctissimæ passioni
memoriam assiduè celebrare, vt ad eius resur
rectionis gloriam & consortium mereamu
feliciter peruenire. Qui viuis & regnas, &c.

AD PRIMAM.

DEus in adiutorium meum intende.
Resp. Domine ad adiuuandum, &c.

HYMNVS.

QVi manè coram præside
Reus à multitudine
Multorum factus criminum
Fuisti, Iudex omnium:
Te petimus attentiùs,
Vt sis nobis propitius,
Et per tuam clementiam
Perducas nos in gloriam.
Laus, honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo. Amen.

Antiph. Dominus tamquam ouis.

PSALMVS.

ASTiterunt reges, & principes conuenerunt in vnum: aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.

Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.

In eo dum conuenirent simul aduersum me: accipere animam meam consiliati sunt.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

Gloria Patri.

Antiph. Dominus tamquam ouis ad victimam ductus est, & sicut mutus non aperiens os suum.

CAPITVLVM.

SIcut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Deo gratias. *Isaiæ 53.*

Resp. Christe fili Dei viui, Miserere nobis. Christe. *Vers.* Qui pro salute mundi crucem subiisti: Miserere nobis. Gloria Patri. Christe.

Vers. Exurge Christe, adiuua nos.

Resp. Et libera nos propter nomen tuum.

ORATIO.

DOmine IESV Christe, Fili Dei viui, qui hora diei prima Pilato præsentatus, Iudex cælestis iudici terreno, & reus falsorum criminum ab iniquis pontificibus factus fuisti: tibi deuotissimè supplicamus, vt nobis miseris peccatoribus subuenias in iudicio, vt non

æternis

æternis ſuppliciis cum impiis condemnemur ſed eius fidelibus iũgi in cęleſtibus mereamur.

AD TERTIAM.

DEus in adiutorium meum intende. *Reſp.* Domine ad adiuuandum,&c.

HYMNVS.

TV qui cæſus verberibus
Fuiſti à crudelibus,
Gerens coronam ſpineam,
Et chlamydem coccineam:
Fac nos ſic te diligere,
Sanctamque vitam ducere,
Vt mereamur requie
Frui cæleſtis patriæ.
Laus,honor Chriſto vendito,
Et ſine cauſa prodito,
Paſſo mortem pro populo,
In aſpero patibulo. Amen.

Antiph. Quotidie.

PSALMVS.

EGo ſum vermis & non homo:opprobrium hominum & abiectio plebis.
Et fui flagellatus tota die : & caſtigatio mea in matutinis.
Tu ſcis improperium meum & confuſionem meam:& reuerentiam meam.
Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.
Diſſipati ſunt, nec compuncti, tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione : frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.
Gloria Patri,& Filio. &c.

Antiph. Quotidie apud vos eram in templo docens,& non me tenuistis,& ecce flagellatum ducitis ad crucifigendum.

CAPITVLVM.

CHristus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Deo gratias. 1. *Petri* 2.

Resp. Proposito sibi gaudio, Sustinuit crucem. Proposito. *Vers.* Omni confusione contempta. Sustinuit. Gloria. Proposito.

Vers. Oblatus est quia ipse voluit. *Resp.* Et non aperuit os suum.

ORATIO.

DOmine IESV Christe, Fili Dei viui, qui hora diei tertia flagellis cæsus & spinis coronatus fuisti: te suppliciter exoramus, vt per virtutem tuæ sanctissimæ passionis omnia peccata nostra deleas, & ad tuæ beatitudinis gloriam peruenire concedas. Qui viuis & regnas.

AD SEXTAM.

DEus in adiutorium meum intende.
Domine ad adiuuandum,&c.

HYMNVS.

CRucem pro nobis subiit,
Et stans in illa sitiit,
IESVS sacratis manibus
Fossis clauis & pedibus.
Honor & benedictio
Sit crucifixo Filio,
Qui nos suo supplicio
Redemit ab exilio.

Laus, honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo. Amen.

Antiph. Posuerunt. PSALMVS.

PAuper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus sum, humiliatus sum, & conturbatus.

Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea.

Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimẽta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt caput.

Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiph. Posuerunt super caput eius caussam ipsius scriptam: IESVS Nazarenus Rex Iudæorum. CAPITVLVM.

Philip. 2. HVmiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Deo gratias.

Resp. Oblatus est, Quia ipse voluit. Oblatus.

Vers. Et non aperuit os suum. Quia ipse voluit. Gloria Patri. Oblatus.

Vers. Tradidit in mortem animam suam.

Resp. Et cum sceleratis reputatus est.

ORATIO.

DOmine IESV Christe, Fili Dei viui, qui hora diei sexta, in Golgotha, cum magno

tumultu

tumultu crucis patibulum ascendisti; & in ea salutem nostram sitiens, felle & aceto potari te permisisti: te suppliciter deprecamur, vt accenso & inflammato corde, sitire nos facias calicem passionis tuæ, & in te solo Domino crucifixo iugiter delectari. Qui viuis.

AD NONAM.

DEus in adiutorium meum intende.
Resp. Domine ad adiuuandum, &c.

HYMNVS.

BEata Christi passio,
Sit nostra liberatio:
Vt per hanc nobis gaudia,
Parata sint cælestia.
Gloria Christo Domino,
Qui pendens in patibulo,
Clamans emisit spiritum,
Mundumque saluat perditum.
Laus, honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo. Amen.

Antiph. Iesus autem.

PSALMVS.

DEus ostendit mihi super inimicos meos: non occidas eos, nequando obliuiscantur populi mei.

Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti: longè à salute mea verba delictorum meorum.

Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis. Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiph. IESVS autem cùm accepisset acetum, dixit, Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.

CAPITVLVM.

1. *Petri* 3. CHristus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. Deo gratias.

Resp. Tradidit in mortem, Animam suam. Tradidit. *Vers.* Et cum sceleratis reputatus est. Animam suam. Gloria. Tradidit.

Vers. Verè languores nostros ipse tulit.

Resp. Et labores nostros ipse portauit.

ORATIO.

DOmine IESV Christe, Fili Dei viui, qui hora diei nona, expansis in cruce manibus, & inclinato capite, Deo Patri spiritum tradidisti; & claue dignissimæ mortis tuæ, vitæ aditum reseraſti: concede nobis supplicibus tuis, vt in hora mortis nostræ, animas nostras ad te, qui verè paradisus es, facias misericorditer peruenire. Qui viuis, &c.

AD VESPERAS.

DEus in adiutorium meum intende.

Resp. Domine ad adiuuandum, &c.

Antiph. Plangent eum.

PSALMVS.

QVæ vtilitas in sãguine meo: dum descendo in corruptionem?
Quoniam defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.
Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.
Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me.
Qui viderunt me, foras fugerunt à me: obliuioni datus sum, tamquam mortuus à corde.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Antiph. Plangent eum quasi vnigenitum, quia innocens Dominus occisus est.

CAPITVLVM.

SIc Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Deo gratias. *Ioan. 3.*

HYMNVS.

QVi pressura mortis dura
Soluisti noxas criminum,
Nos ad pacem duc veracem,
Iesv corona virginum.
In flagellis, potu fellis,
Bibisti amarissimè,
Pro peccatis perpetratis,
Æterne Rex altissime.
Nostræ genti recolenti
Tuæ mortis supplicium,
Da virtutem & salutem,

IESV redemptor omnium.
In amara crucis ara,
Fudisti riuos sanguinis,
IESV digne, Rex benigne,
Consors paterni luminis.
Sanguis Christi, qui fuisti
Peremptor hostis inuidi,
Fac securè nos venire
Ad cœnam Agni prouidi.
Laus, honor Christo vendito,
Et sine causa prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo. Amen.

Vers. Disciplina pacis nostræ super eum.
Resp. Et liuore eius sanati sumus.
Antiph. O magnum.
Cantic. B. MARIÆ *virg.* Magnificat. *vt sup.* 98.
Antiph. O magnum pietatis opus! mors mortua tunc est, In ligno quando mortua vita fuit.

ORATIO.

DOmine IESV Christe, Fili Dei viui, qui hora vespertina in morte peremptus, de cruce deponi, & in tuæ matris manibus recipi voluisti: concede propitius, vt depositis peccatorum nostrorum sarcinis, ante conspectum diuinæ maiestatis præsentari valeamus. Qui.

AD COMPLETORIVM.

COnuerte nos Deus salutaris noster.
Resp. Et auerte iram tuam à nobis.
Vers. Deus in adiutorium meum intende.
Resp. Domine ad adiuuandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, &c. *Antiph.* Caro mea.

PSALMVS.

LOngè feciſti notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi.
Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber.
Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor ampliùs: & ipſi de manu tua repulſi ſunt.
Poſuerunt me in lacu inferiori: & in tenebris, & in vmbra mortis.
Super me confirmatus eſt furor tuus: & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.
Gloria Patri, & Filio.
Antiph. Caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

HYMNVS.

QVi iacuiſti mortuus,
In petra Rex innocuus,
Fac nos in te quieſcere,
Vitamque ſanctam ducere.
Succurre nobis Domine,
Quos redemiſti ſanguine:
Et duc nos ad ſuauia
Æternæ lucis gaudia.
Laus, honor Chriſto vendito,
Et ſine cauſa prodito,
Paſſo mortem pro populo,
In aſpero patibulo. Amen.

CAPITVLVM.

CHriſto in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini. Deo gratias. 1. *Petri* 4.

Resp. Oportuit Christum pati. *Vers.* Et ita intrare in gloriam suam. *Vers.* Mortuus est propter delicta nostra. *Resp.* Et resurrexit propter iustificationem nostram.

Antiph. Salua nos.

CANTICVM SIMEONIS.

Luce 2. NVnc dimittis seruum tuum Domine: secundùm verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.

Quod parasti: ante faciem omniũ populorum.

Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israël.

Gloria Patri, & Filio.

Antiph. Salua nos IESV Christe Saluator, qui cuam recolimus sanctissimam passionem, vt per ipsam ab omnibus insidiis inimicorum defẽsi, tibi semper placeamus, & requiescamus in pace.

Vers. Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem. *Resp.* Mortem autem crucis. *Vers.* In pace in idipsum. *Resp.* Dormiam & requiescam. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat.

ORATIO.

DOmine IESV Christe, Fili Dei viui, qui hora completorij in sepulchro quieuisti, & à matre tua mitissima, & ab alijs mulieribus planctus & lamentatus fuisti: fac nos, quæsumus, tuæ passionis lacrymis abundare, & tota cordis deuotione ipsam tuam sanctissimã passionem plãgere, & eam semper quasi recentem ardenti cordis desiderio retinere. Qui viuis.

Hym-

Hymnus de PASSIONE DOMINI, *quem* B. VIRGO, *Indianum quemdam Regni Peruani ab inflatione tibiarum liberans docuit: ex lingua Indica ad verbum conuersus à P. Francisco Bencio* SOC. IESV.

PAter en noster, genitor noster,
Rigidis clauis in cruce fixus:
Cruor è toto corpore manans
Omnes circum proluit artus.
Cernísne caput, decliue caput,
Caput hoc flauæ simile aristæ?
Viden', vt cingunt spinea serta
Vsque ad tenerum fixa cerebrum?
Patris heu nostri cerne capillum,
Sparsum, incomptum, sanguine fœdum:
Oculi tristes, lumina mœsta,
Roseas lacrymas largè effundunt.
Fluxisse putes molle corallum.
Heu confudit iam decus oris,
Pallorque genis sedet exsanguis,
Etiam ne manus, Patrísne manus,
Patris nostri pulchræne manus
Ferro affixæ sanguine rorant?
Os mellifluum Patris nostri
Pro me misero iam conticuit.
Extra Solymæ mœnia terræ
Crucis exiuit mole grauatus,
Et pro scelerum mole meorum
Extra Solymam crucifixus obit.

GLORIA IN ALTISSIMIS DEO

CAPVT QVINTVM
DE
BENEFICIIS
DIVINIS.



NTEQVAM *sequentia mediteris puncta, Christiane Lector, memineris gratissimum semper Deo esse sacrificium laudis, quod tot beneficiorum intuitu ipsi persoluitur. Vnde D. Paulus Corinthiis scribēs ait:* Gratias Deo super inenarrabili dono eius. 2.Cor.9. *Et Ecclesia sancta, Sacrificium illud tremendum, & Horarum canonicarum pensum, semper gratiarum actione terminat. Quid enim melius, (vt D. Augustinus loquitur) & animo geramus, & ore promamus, & calamo scribamus, quàm* DEO GRATIAS. *Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.* Epist. 77.

De Beneficio CREATIONIS.

PRimò, ab æterno te prędestinauit, & dilexit perpetua charitate: creauit te tempore, quo ei placuit, & inter nobilissimas creaturas cōstituit; non lapidem, aut aliud quid simile creans.

2. Impendit tibi corpus cum membrorum integritate, constitutionis honitate, & sexus nobilitate: ad ei seruiendum te aptum faciens, tribuit tibi animam, creans eam ad imaginem suam, quia intellectu, voluntate, & memoria

prædi-

præditam;ad similitudinem verò suam, vtpot sui capacem,immortalem,& exornatam multi virtutibus & potentijs, quæ sunt quidam Di uinæ naturæ quasi characteres.

3. Dedit tibi Angelum custodem à tuę con ceptionis hora in vtero matris tuæ,qui te custo diret,& multis beneficiis donaret.

4. Largitus est parentes bonos Christianos ex quibus tempore fidei nascereris Christia nus,non Saracenus aut Iudæus.

5. Creauit te ad gloriam, & sui fruitionem cælum,ignem,aërem,aquam,terram, & omnia quæ in eis sunt, ad tuum vsum, non indigens ipse nec te nec illis, nec alio quàm sua bonitate inuitatus & illectus.

De Beneficio GRATIFICATIONIS.

1. GRatificauit te in dilectissimo Filio suo non parcens ei,sed largiens eum tibi,in pretium,exemplum & socium.

2. Dedit tibi Spiritum sanctum,in signum adoptionis, priuilegium dilectionis, & in auxilium desponsationis, sua tibi communicans dona,fructus & inspirationes.

3. Impendit tibi Sacramenta;& primò sanctam Ecclesiam, vbi in diluuio peccatorum, sicut Noë in arca,posses saluari,donauit.

4. Abluit te Baptismate,in quo tibi indulsit originalem culpam,restituit innocentiam, vocauit te suo nomine Christianum, in sui memoriam filium Dei, & constituit heredem regni cælorum.

De Beneficio VOCATIONIS.

PAssus est te licet post recepta beneficia à Deo auersum, nec per diuersa scelera ad creaturas conuersum damnauit.

2. Te multifariàm errantem sæpè reuocauit, modò per internas inspirationes, modò per aliorum admonitiones, quandoque per sacræ Scripturæ exhortationes, & per suorum beneficiorum largitiones, nonnumquam per gloriæ & suppliciorum ostensionem: & aliis multis modis.

3. Donauit te bona voluntate, quæ suorum munerum est principium, mentis tuæ surditatem confregit, ardens desiderium proficiendi tedit, conuersionis obstacula repulit.

4. Quoties ad eum conuerti voluisti, ad instar istius prodigi Euangelici paterno te recepit affectu, amplexando, deosculando, primam stolam & annulum restituendo.

5. Præter hæc te pœnitentem recepit, quinmò peccatis & peccatorum occasionibus extraxit, sicut Loth de Sodomis, Abraham de Chaldæis, Noë de diluuio, & Ionam de ventre ceti. Coniunxit te cœtui bonorum, custodiens à conuentu malignantium.

De Beneficio IVSTIFICATIONIS.

1. MVtauit voluntatem tuam, vt opera pœnitentiæ, quę tibi priùs erant amara, fierent dulcia; & peccata quæ priùs dulcia, redderentur amara.

2. Dedit tibi hucusque perseuerantiam & constantiam, sine qua nemo saluatur. Constan-

tiæ

tiæ ſpem & gratiam, ne ab incepto deſiſtere ſed ſperares veniam, gratiam & gloriam conſecuturum, de hoc certum quaſi interna conſolationibus faciens.

3. Tribuit tibi Sacramentum ſui pretio corporis & ſanguinis in viaticum peregrinationis tuæ, in ſacramentum vnionis, & in ſacrificium redemptionis.

4. Exhibuit tibi ſanctas Scripturas tam quam ſpeculum, vbi tuos defectus valeas contemplari, affectus inflammare, magis ac magis purgare, illuminare, ac iuſtificare.

5. Tradidit ornamenta & exercitia virtutum, quibus fœditatem tuorum peccatorum operires; & non in iuſtificatione deficeres Sanctorum tibi exempla propoſuit, quibus accendaris & inſtruaris.

De Beneficio DOTATIONIS.

1. PRæbuit tibi inſignia dona, naturæ, fortunæ, gratiæ, præter omnia inſtrumenta corporis & animæ: te reduxit aberrantem, inſtruxit ignorantem, erexit iacentem, gratiam meditandi & exteriùs te exercendi dedit, intellectum erudiens, affectum inflammans, guſtum internæ conſolationis atque arrham vitæ æternæ præbens.

2. Cauſſam delinquendi propulſauit; & ſi quando te cadere permiſit, in faciem cadere fecit, vt fortior ſurgeres; & ne frangereris, manum ſuppoſuit; vitiorum deformitatem edoceuit, vt in virtutum admirationem traheret.

De Beneficio GVBERNATIONIS.

1. COnseruauit te in esse, dans tibi augmentum, & esse iucundum & sanum, cùm ex te sis nihilum, te conseruauit à tantis periculis, languoribus, hostibus, subministrauit victum, domum, & alia vtilia.

2. Conseruauit in te propter te ceteras creaturas, ministrans successiones temporum, & producens diuersitatem florum, fructuum, &c. ad tollendum fastidium.

3. Te erexit non solùm per prospera, sed etiam per aduersa, imò & tibi ita sollicitè intendit, ac si ei non esset cura aliorum, semper tibi præsens, omnia opera tua prospiciens, eaq; & per se, & Angelorũ ministerio dirigens.

De Beneficio GLORIFICATIONIS.

1. GAudia paradisi tibi promisit Deus: primò enim Diuinitatis fruitionem, Redemptoris nostri & Deiparæ Virginis visionem, supra te videbis.

2. Iuxta te, fruiturus es societate Sanctorum iucundissima ob eorum qualitatem: sunt enim nobilissimi, speciosissimi, charitate plenissimi, & numero plurimi.

3. Intra te, propter glorificationem animæ & corporis, ratione quadruplicis dotis qua adornabitur, videlicet claritatis, subtilitatis, impassibilitatis, & agilitatis.

4. Extra te, locum amœnissimum, deliciosissimum, scilicet odoribus, suauitatibus, melodiis, & diuersis harmoniis, altissimum, amplissimum, iucundissimum, pulcherrimum.

5. Sub-

5. Subtus te, cùm perſpexeris te tam ſæuos & terribiles diuina virtute hoſtes viciſſe; & commiſſos reatus, Dei clementia defleuiſſe; & tam horrendos cruciatus, Dei miſericordia euaſiſſe.

6. Circum te, multa & magna ac ſpecioſa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt.

Oratio in qua DEO *pro acceptis* BENEFICIIS *aguntur gratiæ.*

GRatias ago tibi Domine Deus meus, pro vniuerſis beneficiis & gratiis in me collatis, iam inde à primo die quo in vtero matris meæ conceptus ſum, vſque in hanc horam præſentem; & pro amore tuo ſingulari, quo ab ab æterno me dilexiſti, ſtatuens me creare ad imaginem tuam, creatũ redimere, redemptum totum tuum facere, & ea omnia largiri, quibus hactenus ornatus ſum. Omnia quippe quæ in me ſunt, & quæ firma ſpe exſpecto, tua ſunt. Tuum eſt corpus hoc, tua ſunt membra ſingula, tui ſenſus, tua anima mea, tuæ omnes quibus prædita eſt facultates, tuæ omnes horæ & momenta quibus hactenus vixi, tuæ vires & ſalus mea, tuum cælum quod me tegit, tua terra quæ me ſuſtentat, tuus ſol, luna, ſtellæ, campi, aues, piſces, quadrupedes, ſerpentes, ceteræque creaturæ, quæ te iubente ſeruiunt mihi. Hæc omnia tua ſunt, Domine Deus meus; idcircò quas maximas valeo, gratias ago: multò verò maiores teneor, quòd ipſe meus eſſe voluiſti, totum te pro me obtuliſti, & in remedium

meum

meum impertiuisti. Amore mei carne te humana vestiuisti, propter me in stabulo nasci, pannis inuolui, octauo die circumcidi, in Ægypto exulare, ieiunare, orare, insomnes noctes ducere, lachrymas fundere, multis modis tentari, persecutiones pati, propter me malè excipi, flagellari, spinis coronari, iniurijs & ignominijs excipi, ad mortem damnari, cruci affigi voluisti. Propter me, Sacramentorum tuorum medicamenta instituisti, confortans me liquore tui pretiosissimi sanguinis, sanctissimaque carne tua in Eucharistiæ sacramento me nutriens. in quo tu Deus meus es, vt me protegas, vt me sustentes, vt me fortifices, vt me oblectes; in quo spei meæ pignus, & tesseram amoris tui accipio. Pro his omnibus gratias agens, dico ex intimo corde cum Regio Propheta:

BEnedic anima mea Domino:& omnia quę intra me sunt nomini sancto eius. *Psal.102.*

Benedic anima mea Domino:& noli obliuisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam:qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Faciens misericordias Dominus: & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi: filijs Israël voluntates suas.

Miſerator & miſericors Dominus : longanimis, & multùm miſericors.

Non in perpetuum iraſcetur : neque in æternum comminabitur.

Non ſecúdùm peccata noſtra fecit nobis: neq. ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quoniã ſecundùm altitudinẽ cæli à terra: corroborauit miſericordiã ſuam ſuper timentes ſe.

Quantum diſtat Ortus ab Occidente : longè fecit à nobis iniquitates noſtras.

Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe : quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.

Recordatus eſt quoniam puluis ſumus: homo ſicut fœnum dies eius, tamquam flos agri ſic efflorebit.

Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet : & nõ cognoſcet amplius locũ ſuum.

Miſericordia autem Domini ab æterno : & vſque in æternum ſuper timentes eum.

Et iuſtitia illius in filios filiorum : his qui ſeruant teſtamentum eius.

Et memores ſunt mandatorum ipſius : ad faciendum ea.

Dominus in cælo parauit ſedem ſuam : & regnum ipſius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli eius : potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius.

Benedicite Domino omnes virtutes eius : miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius : in

omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.

ORATIO *ad Gratitudinis affectum à* DEO *petendum.*

APeri mihi Domine, qui sis, qui tot beneficijs me velut irretis & circumdas: nec dona ipsa tantùm, sed te ipsum in illis mihi communicas. Quid ab egena hac, & quæ vix est digna inter viliſſimos terræ vermiculos computari creatura, effusa hac tua liberalitate prætendis? Augebitur fortè gloria tua ex hoc quod te amem? Puriſſimum omnino desiderium tuum de noſtro bono promouendo, & immensa illa æternaque bonitas tua te vrget Domine, vt teipsum communices homini quò ad te illum pertrahas, tuique ac beatitudinis tuæ participem facias. O itaque omne bonum meum, submergar quæso in hac tuæ bonitatis, meæque indignitatis ac vilitatis abysso: agnoscam meam nihilitatem, & donorum tuorum magnitudinem: non minoris æstimem quæ triſtia videntur, quàm quæ lætiſſima; nec minùs quæ tribulationem quàm quæ afferunt consolationem; cùm omnia à benedicta & munifica manu tua mihi proueniant: vtar illis vt par est, atque ex sincero & humili corde pro illis semper gratias tuæ maiestati & immensæ bonitati agam.

ORATIO *in qua se homo, & omnia sua offert* DEO.

QVemadmodum, ô Domine, obligatus sum tibi obedire, sic etiam donare me &

offerre debeo,& in manus tuas resignare, cùm tot iustis titulis ac nominibus totus tuus sim. Tuus, inquam, quia creasti me, & esse quod habeo, mihi dedisti: tuus, quia in hoc esse me conseruasti, totque prouidentiæ tuæ beneficiis ac officiis cumulasti: tuus,quia me ex seruitute in libertatem asseruisti, ac emisti non auro aut argento, sed pretioso sanguine tuo: tuus, quia toties me redemisti, quoties è peccato eruisti. Si itaque tot nominibus tuus sum, & tu vicissim es meus Rex, meus Dominus, meus Redemptor,& liberator meus: ecce conuerto me, vt dem tibi quod tuum est, hoc est, meipsum. Trado me tibi in mancipium & seruum: ecce do tibi claues & dominium meæ voluntatis, vt posthac amplius nec meus sim nec alterius, sed totus tuus: vt non viuam mihi, sed vt seruiam tibi: adeò vt siue comedam, siue bibam, siue quid aliud agam,omnia ad gloriam tuam referam. Me tibi sisto, vt disponas de me sicut de eo quod tuum est,secundùm volũtatem tuam: si velis me viuere, mori, sanum esse aut infirmum,diuitem aut pauperem, laudatum vel illaudatum, in omnibus me tibi offero: in manus tuas me resigno, possessioni meiipsius renuntio, vt in posterum nõ sim meus,sed tuus: donec id quod tuum est per iustitiam,etiam sit tuum mea cum voluntate. Sed quis horum aliquid præstabit absque te? quis vel pedem mouebit absque te? Largire ergo mihi hanc gratiam Domine; vt,quæ iubes, faciam; & iube quod vis. Tu ipse animum nobis addidisti,vt à

te

te misericordiam flagitaremus, cùm diceres per vnigenitum Filium tuum: Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Spem quoque nostram erexisti, dicens per Prophetam: Non est Deus iustus & saluator præter me. Conuertimini ad me omnes fines terræ. Porrò si tu ipse nos Domine vocas, nos inuitas, & vt ad te recurramus, tua brachia extendis, cur non speremus iisdem nos recipiendos? Tu Domine haud similis es hominibus, qui cùm sua communicant, pauperiores fiunt, ac hoc nomine molestiam sentiunt quando rogantur. Tu Domine talis non es: quia sicut tibi nihil decedit, cùm omnia largiris; ita iniquo animo non fers, quando rogaris. Proinde aliquid à te petere, non est importunum agere, sed obedire tibi, quandoquidem vt postulemus præcepisti. Hoc est honorare te, hoc est glorificare te. Hac enim ratione esse te Deum, ac Dominum vniuersi orbis, omniumque datorem protestamur: à quo cùm omnia depẽdeant, omnia petenda sunt. Vnde ipsemet à nobis hoc genus sacrificij præ ceteris postulas, dicẽdo: Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. *Luca* 11. *Isaiæ* 45. *Psal.* 49.

Motus itaque tam pio mandato accedo ad te, vt quidquid Domine tibi debeo, in eo exsoluendo me iuuare digneris. Scilicet vt sic te adorem, sic timeam, sic reuerear, sic laudem, sic pro vniuersis beneficiis gratias agam, sic te toto pectore amem, sic spem meam totam in te

collocem, sic sanctis tuis obediam præceptis, sic me in tuas manus offeram & consignem, sic has & alias eius generis gratias petam, vt expedire iudicas ad promouendam sancti nominis tui gloriam, & animæ meæ salutem. Oro insuper te Domine, vt mihi concedas peccatorum veniam, contritionem veram, pœnitentiam perfectam: & da mihi gratiam, ne iisdem vel aliis in posterum te offendam. Potissimùm verò virtutem exposco, qua carnem eiusq. desideria castigem, linguam refrenem, cordis affectus mortificem, vagas imaginationes recolligam, vt sic omni ex parte renouatus & reformatus merear esse templum viuum, & habitaculum tuum. Adde & eas virtutes, quibus non modò purgetur habitaculũ istud, sed & egregiè adornetur: vt sunt nominis sancti tui timor, firmissima spes, profundissima humilitas, perfectissima patientia, clara discretio, paupertas spiritus, perfecta obedientia, continua fortitudo, diligentia summa in cunctis rebus, quæ ad tuum cultum & obsequium pertinent: ante omnia verò ardentissima charitas, tam erga te, quàm erga proximum.

Et quia scio me his omnibus indignum, nec aliquid horum promeritum esse; obsecro, Domine, vt memineris misericordię tuæ (quæ nostram supponit miseriam) vt ista faciliùs executioni mandem. Memorare quòd non vis mortem peccatoris (vt ipsemet testaris) sed vt conuertatur & viuat. Recordare non venisse Filium tuum vnigenitum in hunc mundum

(vt

(vt ipse ait) vocare iustos, sed peccatores. Memento quanta fecit, quanta passus est à die natiuitatis suæ, vsque dum in cruce moreretur, non pro se, sed amore mei. Quæ omnia, clementissime Pater, offero tibi in sacrificium pro peccatis & necessitatibus meis, non in meo, sed Filij tui dilectissimi nomine. Quia de te dicitur, quòd honoras patres in filiis, & vni parcis propter alium; honora igitur & tu vnigenitum Filium tuum, benefaciens mihi amore illius: quia ipse meus est pater, & secundus Adam meus; & ego filius illius licet immorigerus. Aspice Domine, quia ad te confugio, venio ad ostium misericordiæ tuæ, expono tibi paupertatem meam, detego tibi vulnera mea, tamquam vero medico; & cum tali spiritu inuoco te, & in conspectu tuo effundens animam meam, orationem Prophetæ tui repeto dicens:

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego. *Psal. 85.*

Custodi animam meã, quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

Quoniam tu Domine suauis & mitis: & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine: & non est secundùm opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

ORATIO *ad sanctam lætitiam à* DEO *petendam.*

QVantam, Domine, quamq. iustam habet anima lætitiæ causam, si quæ in te sunt magna & excellentia, attentiùs consideret? Potentiam immensam, sapientiam ineffabilem, bonitatem infinitam, pulchritudinem, misericordiam, iustitiam, & beatitudinem, ceteraſque perfectiones, quas habes sine numero. Et quî fit quòd non extra se rapiatur animus, dum attendit intrinsecam vel solius hominis tecum cognationem, qui tam arcto humanæ nostræ naturæ vinculo te astrinxisti, vt verè Deus sit homo, homoque Deus? Quomodo item non gaudio exultat animus, qui certò nouit aliam esse, post hanc vitam, æternam & beatam; & vnigenitum Filium tuum, portam nobis & pignus illius esse? O igitur omne bonum meum, Rex gloriæ, lætitia, & plenum omnium electo-

tum gaudium, tranquillam quæso redde ac lætam animam meam, simulque vanam omnem lætitiam repelle, quæ contristat potiùs & obnubilat cor. Ignosce peccatis meis, da firmam in tuo amore constantiam; & vt tum ex mundæ conscientiæ testimonio, tum ex glorioſæ tuæ visionis arrha, lætetur & exultet in te anima mea.

ORATIO *de laudibus* DEI.

CVm plurima in me sint, quæ timoris & lacrymarum materiam præbeant; expediebat, Domine Deus, vt in sancto pœnitudinis exercitio, totius vitæ cursum exigerem. Attamen magnitudo gloriæ tuæ non solùm me obligat vt te adorem, omnique reuerentia colam, sed etiam vt laudem & glorificem. Te enim decet hymnus in Sion, cùm reuerà sis instar pelagi omnium perfectionum, sapientię, omnipotentiæ, pulchritudinis, diuitiarum, magnitudinis, suauitatis, Maiestatis; in quo omnium creaturarum, tam cælestium quàm terrenarum, perfectiones summo prorsus gradu elucent. Cuius comparatione omnis pulchritudo deformitas est, omnes diuitiæ inopia, omne robur debilitas, omnis sapientia ignorantia, omnis dulcedo amaritudo. Denique quidquid vel in cælis suprà, aut infrà in hoc mundo resplendet, minus coram te est, quàm lumen candelę in conspectu Solis. Tu solus sine deformitate perfectus exiſtis, magnus sine quantitate, bonus sine qualitate, fortis sine debilitate, vbique locorum absque loco, infinitus

magnitudine, virtute omnipotens, bonitate summus, sapientia inæstimabilis; in consilii terribilis, in iudiciis iustus, in cogitatione secretus, verax in verbis, in operibus sanctus, misericordia copiosus, erga peccantes patiens, erga pœnitentes pius. Talem ergo Domine te confiteor, & vt talem laudo ac glorifico. Infunde lumen cordi meo, & da sermonem ori meo, vt cogitem gloriam nominis tui, & dignè annuntiem laudem tuam. Sed quia hæc in ore peccatoris speciosa esse nequit, hinc cælestes Angelorum choros, omnemque creaturam qua possum humilitate inuoco, & cantico illo glorioso, quod Sancti illi pueri in medio ignis Babylonici decantabant, inuito: vt te mecum exaltent, suppleantque quod meæ deest infirmitati, dicentes:

Dan. 3. BEnedictus es Domine Deus patrum nostrorum: & laudabilis, & glorioſus, & superexaltatus in sæcula.

Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum: & laudabile, & superexaltatum in omnibus sæculis.

Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ: & superlaudabilis, & superglorioſus in sæcula.

Benedictus in throno regni tui: & superlaudabilis, & superexaltatus in sæcula.

Benedictus es, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim: & laudabilis, & superexaltatus in sæcula.

Benedictus es in firmamento cæli: & laudabilis, & glorioſus in sæcula.

enedicite omnia opera Domini
)omino:
enedicite Angeli Domini Dño:
Benedicite cæli Domino:
Benedicite aquæ omnes quæ ſu-
)er cælos ſunt Domino:
Benedicite omnes virtutes Domi-
ni Domino:
Benedicite ſol & luna Domino:
Benedicite ſtellæ cæli Domino:
Benedicite omnis imber & ros
Domino:
Benedicite omnes ſpiritus Dei
Domino:
Benedicite ignis & æſtus Domino:
Benedicite frigus & æſtus Dño:
Benedicite rores & pruina Dño:
Benedicite gelu & frigus Dño:
Benedicite glacies & niues Dño:
Benedicite noctes & dies Dño:
Benedicite lux & tenebræ Dño:
Benedicite fulgura & nubes Do-
mino:

laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.
Benedicite montes & colles Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.
Gloria Patri, &c.

ÆTERNITAS.
Momentum mali breve.
Cras
Cras

CAPVT SEXTVM.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES

Cum Litanijs, & Orationibus selectis.

Antiph. Ne reminiscaris. PSALMVS.



Omine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. *Psalm.6.*

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valdè: sed tu Domine vsquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam:

Domi-

Dominus orationem meam suscepit.
Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur, & erubescant valdè velociter.
Gloria Patri, & Filio.

PSALMVS.

Psal. 31. BEati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.
Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.
Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.
Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.
Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.
Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.
Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.
Verumtamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.
Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me à circumdantibus me.
Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.
Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

n camo & freno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.
Multa flagella peccatoris : sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.
Lætamini in Domino,& exultate iusti : & gloriamini omnes recti corde.
Gloria Patri.

PSALMVS.

DOmine,ne in furore tuo arguas me : neque in ira tua corripias me. *Psal.37.*
Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi : & confirmasti super me manum tuam.
Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.
Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : & sicut onus graue grauatæ sunt super me.
Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ: à facie insipientiæ meæ.
Miser factus sum,& curuatus sum vsque in finem:tota die contristatus ingrediebar.
Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus:& non est sanitas in carne mea.
Afflictus sum , & humiliatus sum nimis : rugiebam à gemitu cordis mei.
Domine , ante te omne desiderium meum : & gemitus meus à te non est absconditus.
Cor meum conturbatum est , dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum , & ipsum non est mecum.
Amici mei , & proximi mei: aduersum me appropinquauerunt,& steterunt.

Et qui iuxta me erant, de longè ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperaui: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, Ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt, qui oderunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ.

Gloria Patri, & Filio.

PSALMVS.

Pſal. 50. MIſerere mei Deus: ſecundùm magnam misericordiam tuam.

Et ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Ampliùs laua me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci : vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti : incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor : lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam : & exultabunt oſſa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proiicias me à facie tua : & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui : & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : & impij ad te conuertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies : & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique : holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus : cor

contritum & humiliatum Deus non despicies.
Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion : vt ædificentur muri Ierusalem.
Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes,& holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.
Gloria Patri,& Filio. PSALMVS.

*Psal.*101. DOmine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.
Non auertas faciem tuam à me:in quacumque die tribulor,inclina ad me aurem tuam.
In quacumque die inuocauero te:velociter exaudi me.
Quia defecerunt sicut fumus dies mei : & ossa mea sicut cremium aruerunt.
Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.
A voce gemitus mei : adhæsit os meum carni meæ.
Similis factus sum pelicano solitudinis : factus sum sicut nycticorax in domicilio.
Vigilaui:& factus sum sicut passer solitarius in tecto.
Tota die exprobrabant mihi inimici mei : & qui laudabant me,aduersum me iurabant.
Quia cinerem tamquam panem manducabam : & potum meum cum fletu miscebam.
A facie iræ & indignationis tuæ : quia eleuans allisisti me.
Dies mei sicut vmbra declinauerunt : & ego sicut fœnum arui.
Tu autem Domine in æternum permanes : &

memo-

memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens Domine misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: & terræ eius miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificabit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: & non spreuit preces eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit.

Vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum.

Vt annuntient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Ierusalem.

In conueniendo populos in vnum: & Reges vt seruiant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertoriũ mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui nõ deficient.

Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.
Gloria Patri, & Filio.

PSALMVS.

Psal.129. DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.
A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israël in Domino.
Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus eius.
Gloria Patri. PSALMVS.

Psal.142 DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me, in tua iustitia.
Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.
Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.
Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi: & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam: quia in te speraui.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animã meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum. Gloria Patri.

Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

LITANIÆ.

KYrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miserere nobis.

Fili redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere nob.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabriël, ora.
Sancte Raphaël, ora.
Omnes sancti Angeli & Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Ioannes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.

Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli & Euangelistæ, orate pro nobis.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane, orate.
Sancti Ioannes & Paule, orate.
Sancti Cosma & Damiane, orate.
Sancti Gerualsi & Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Siluester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, Sancte Wilhbrorde, ora.
Sancte Nicolae, Sancte P. Norberte, ora.
Omnes sancti Pontifices & Confessores, orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Sacerdotes & Leuitæ, orate pro nobis.
Omnes sancti Monachi & Eremitæ, orate pro nobis.

Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, orate pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera nos Domine.
A subitanea & improuisa morte, libera nos Domine.
Ab insidiis diaboli, libera.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera nos Domine.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure & tempestate, libera.
A morte perpetua, libera.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ, libera nos Domine.
Per Aduentum tuum, libera.
Per natiuitatem tuam, libera.
Per baptismum, & sanctum ieiunium tuum, libera nos Domine.
Per crucem & passionem tuam, libera nos Domine.

Per mortem & sepulturam tuam, libera nos Domine.
Per sanctam resurrectionem tuam, libera nos Domine.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera nos Domine.
Per aduentum Spiritus sancti paracliti, libera nos Domine.
In die iudicij, libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Vt nobis parcas, te rogamus.
Vt nobis indulgeas, te rogamus.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus.
Vt Ecclesiam tuam sanctam regere & cõseruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt domnum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione cõseruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus.
Vt Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris, te rogamus audi nos.
Vt cuncto populo Christiano pacem & vnitatem largiri digneris, te rogamus audi nos.
Vt nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare & conseruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt mentes nostras ad cælestia desideria erigas, te rogamus.

Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.

Vt animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum, ab æterna damnatione eripias, te rogamus.

Vt fructus terræ dare & conseruare digneris, te rogamus.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus.

Vt nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secretò. Vers.* Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos à malo.

PSALMVS.

Psal. 69. DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.

Confundantur, & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescant: qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

xultent & lætentur in te omnes qui quærunt
: & dicant ſemper, Magnificetur Dominus,
ui diligunt ſalutare tuum.
go verò egenus & pauper ſum : Deus adiuua
ne.
Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine
ie moreris.
Gloria Patri, & Filio.
Verſ. Saluos fac ſeruos tuos. *Reſp.* Deus meus,
perãtes in te. *Verſ.* Eſto nobis Domine turris
ortitudinis. *Reſp.* A facie inimici. *Verſ.* Nihil
roficiat inimicus in nobis. *Reſp.* Et filius ini-
quitatis non apponat nocere nobis. *Verſ.* Do-
nine, non ſecundùm peccata noſtra facias no-
is. *Reſp.* Neque ſecundùm iniquitates no-
tras retribuas nobis. *Verſ.* Oremus pro Pon-
ifice noſtro N. *Reſp.* Dominus cõſeruet eum,
& viuificet eum, & beatum faciat eum in terra,
& nõ tradat eum in animam inimicorum eius.
Verſ. Oremus pro benefactoribus noſtris.
Reſp. Retribuere dignare Domine omnibus
nobis bona facientibus propter nomen tuum
vitam æternam. *Verſ.* Oremus pro fidelibus
defunctis. *Reſp.* Requiem æternam dona eis
Domine, & lux perpetua luceat eis. *Verſ.* Re-
quieſcant in pace. *Reſp.* Amen. *Verſ.* Pro fra-
tribus noſtris abſentibus. *Reſp.* Saluos fac
ſeruos tuos, Deus meus, ſperantes in te.
Verſ. Mitte eis Domine auxilium de ſancto.
Reſp. Et de Sion tuere eos. *Verſ.* Domine ex-
audi orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus
ad te veniat.

Ore-

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere: suscipe deprecationem nostram: vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

EXaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende: vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris; preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N. & dirige eum secundùm tuam clementiam in viam salutis æternæ: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

VRe igne sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum, Domine: vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

Fide

FIdelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiúuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus: vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum.

Resp. Amen.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Exaudiat nos omnipotens & misericors Dominus. *Resp.* Amen.

Vers. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Resp.* Amen.

ORATIONES SELECTÆ AD VARIAS VIRTVTES A DEO IMPETRANDAS.

Oratio ad impetrandum à DEO FIDEI *donum.*

O Lux animæ meæ, à ſuprema ortæ luce; veritas infallibilis, à ſumma & æterna procedés veritate! Chriſte IESV Deus meus, ſequatur anima mea, in media huius vitæ nocte & denſiſſimis ignorantiæ tenebris conſtituta, fidei tuæ ſanctę ductum & lucem, qua credam quæ non video, certa ſint mihi quæ credo, licet obſcura & recondita.

Credam, ô gloria & beatitudo mea, quidquid de tua gloria, diuinitatis vnitate, perſonarum Trinitate, Verbi cũ humana natura vnione, nobis reuelaſti. Cetera denique myſteria quæ benedicto tuo ore hîc ambulans promiſiſti, quæ ſacroſancta Scriptura manifeſtat, & dilecta tua ſponſa, Catholica Romana (fidei myſteriorum cuſtos) docet Eccleſia. Hanc ego ſemper matrem agnoſcam, hanc magiſtram ſequar, hanc doctricem audiam. Et quia fides ſine operibus mortua eſt, da vt vitæ opera ad fidei teſtimonium peragam. Ne quid tuo conſpectu (quem fides hæc præſentem vbique edocet) admittam indignum: ſed pudeat, &

tædea

ædeat in eo ſtatu viuere, in quo non & mori delectet. Amen.

Oratio ad petendam à DEO *virtutem* SPEI.

QVis,ô Domine, ſeipſum intuetur, & non deficit,ac diffidit ſibi? Quis contrà tuam ntuetur bonitatem,& non confidit,ſperatque? Cuius puſillanimitas ac diffidentia non euaneſcet, qui, quantum bonitas tua ipſius malitiam, omnipotentia debilitatem excedat, animaduerterit; noueritq. quanto ſit fortior in te, quàm debilis & infirmus in ſe? In te,Domine, ſpes noſtra nititur, ſine cuius gratia nulla ſunt merita noſtra. Manat enim ſpes noſtra ab illo vitæ fonte, qui pro nobis eſt mortuus in cruce; ex riuulis inquam pretioſi ſanguinis, qui ex Vnigeniti tui corpore tam copiosè & liberaliter in ligno illo ſancto effluxerunt. Illud enim eſt ſacrificium iuſtitiæ, & cauſſa noſtræ ſpei. Hæ noſtræ diuitiæ,hic theſaurus noſter,& denique vita noſtra. Chriſtus pro me mortuus eſt: quid eſt quod timeam? & quid eſt quod non ſperem? O igitur refugium meum, & ſpes mea, fac me ſperare in te, ac ſollicitudine magna exerceri ſemper in mandatorum tuorum cuſtodia; reſiſtere malis viriliter,excitari ad bona quæque alacriter: aggrediar ardua & difficilia, in eiſque propter amorem tuum ſpe ſecura perſiſtam.

Oratio ad petendam CONFIDENTIAM.

DOmine Deus meus, omnes rationes quæ me ad amorem tuum obligant, etiam in te ſperare compellũt. In quo enim ſperem, niſi

in eum qui me tam tenerè diligit? nisi in eum qui me tot beneficiis cumulauit? in eum qui tanta pro me passus est? in eum qui me toties vocauit, tanto tempore expectauit, mihi pepercit, & ab omni malo liberauit? in quem sperabo, nisi in eum qui est infinitè misericors, pius, amabilis, benignus, patiens, & qui tam promptus est ad ignoscendum? In quem sperabo nisi in eum, qui est pater meus, & pater omnipotens? pater vt amet me, & omnipotens vt opem ferat meæ necessitati: pater vt benè mihi velit, omnipotens vt possit benefacere: pater cui maior cura est & prouidentia de suis filiis spiritualibus, quàm alicui patri de filiis carnalibus. In quem denique sperabo, nisi in eum, qui in omnibus ferè Scripturis suis mihi præcipit, vt appropinquem illi, sperem in illo, & qui sic agentibus millies fauorem mercedemque promittit? Et ad confirmanda hæc omnia, dedit pignoris loco veritatem, ac verbum suum, præterita beneficia quàm plurima, tormenta quæ pro me passus est, & sanguinem pretiosum mei caussa effusum. Quid porrò non expectabo à Deo ac Domino tam bono, tam verace, à Deo qui sic me dilexit, qui propter me, se carne vestiuit, verbera, vellicationes, & alapas sustinuit, & tandem mortem in cruce oppetiit, solo amore mei victus? Nec illi hæc omnia sufficiebant, nisi etiam ad vtilitatem meam seipsum sub exigua hostia mihi vt cibum relinqueret. Quomodo igitur me fugere poterit, quando eum quæram, qui me sic quęsiuit fugientem se?

Quomodo petendi veniam negaturus est, qui mihi vt peterem præcepit? Quomodo remediũ negabit, quod mihi iam pridem tanto sanguinis sui pretio comparauit? His ergo causis ipsi confidam, ac in omni tribulatione cum Propheta dicam: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Amen.

Oratio in qua petitur AMOR DEI *ac* CHARITAS.

SI obligatio, qua benefactoribus nostris pro acceptis beneficijs deuincti sumus, tanta sit, & singula beneficia quasi titiones & ignis spiritualis incentiua; quantum, ô Domine, amoris ardorem in corde meo nasci par est, cùm tot habeam quasi ligna beneficiorum, ac veluti faculas amoris tui? Si totus hic mundus tam visibilis, quàm inuisibilis, in mei gratiam factus est; an non meritò flamma quæ ex illo exurgit, tanta esse debet, quantus est ipse mundus? Atque hoc tanto magis, quia in te solo reperiuntur omnes amandi causæ ac rationes, quæ in cunctis sunt creaturis, & singulæ quidem in summo perfectionis gradu. Si namque bonitatem considerem, quis te melior inuenitur? si pulchritudinem, quid te speciosius? si suauitatem ac benignitatem, quis te suauior magisque benignus? si diuitias ac prudentiam, quis te ditior atque prudentior? si amorem,

quis noſtri amantior illo, qui tanta hominum cauſa paſſus eſt? ſi beneficentiam, cuius ſunt omnia quæ poſſidemus, niſi tua? ſi liberalitatẽ, à quo ſperemus ea quæ nobis deſunt, niſi à miſericordi manu tua? Si tantus eſt amor quo naturę ductu in parẽtes ferimur, quis magis pater dicendus eſt, quàm ille qui ait, Patrẽ nolite vocare vobis ſuper terram, eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt: Matth. 23. Si tanto amore diligantur ſponſi, quis eſt ſponſus animæ meæ, niſi tu? aut quis replebit ſinum cordis mei, & deſideria mea ſatiabit, niſi tu Domine? Si vltimum finem quæro, quem aiunt Philoſophi infinito amore diligendũ, quis principiũ & finis meus, niſi tu? Vnde enim originem traxi, & quò vt perficiar vadam, niſi ad te, & in te? A quo eſt omne id quod habeo, & à quo ſpero me acceptum ea quæ deſunt, niſi à te? Denique ſi amoris cauſa eſt ipſa ſimilitudo, ad cuius imaginem & ſimilitudinem anima mea creata eſt, niſi ad tuam? Quòd ſi ſolus iſte titulus, & ſinguli ſupradictorũ ſint per ſe amoris incentiua, quale debet eſſe id, quod ex omnibus illis ſimul iunctis deriuabitur? Certè quantum Oceanus ſingula quæ in ipſum intrant flumina ſuperat, tantum hic amor ceteros omnes antecellere debet. Si porrò tot mihi ſuppetant Domine diligendi rationes, cur te non amem toto corde, ac intimis viſceribus meis? O tota fiducia mea! ô amantiſſime ſuper omnia amata! ô ſponſe floride, ſponſe ſuauis, ſponſe melliflue! ô amabile principium meum, & ſumma ſufficientia

mea!

mea! Quando te amabo omnibus viribus, & ex tota anima mea? quando tibi in omnibus placebo? Quando morietur in me, quidquid tibi contrarium est? Quando totus ero tuus? quando desinam esse meus? Quando præter te nihil in me viuet? Quando me depascent amoris tui flammæ? Quando violenter trahes? Quando immerges me, & totum in te transferes? Quando felicem illum videbo diem, quo sublatis omnibus impedimentis & perturbationibus, facies vt vnus spiritus tecum sim, nec in posterum à te diuellar? Ah Domine quanti constitit tibi beneficentia in me tua? quanta aufers ex domo tua? quantorum bonorum tuorum iacturam facis? Quare Domine, cùm sis infinitæ liberalitatis & clementiæ pelagus, detines in ira tua misericordias tuas erga me? Quare iniquitates meæ tuam vincent bonitatem? Cur potiùs culpa mea causa erit meæ dānationis, quàm bonitas tua saluationis? Si dolorem ac animi pœnitudinem requiris, certè ita me pœnitet Maiestatem tuam offendisse, vt malim millies mortem passum, quàm vel vnum crimen aduersus te commisisse: si satisfactionem, offero tibi hoc miserabile corpus meum, in quod omnem iram tuam liberè effundas, tantùm ne deneges mihi amorem tui. Non aurum nec argentum postulo, imò neque cælum, neque terram, nec aliquid creatum, hæc enim absq. te animū nequeunt satiare meum. Omnia mihi absque te egestas sunt. Amorem quæro, amorem efflagito, tui amore langueo, &

ſuſpiro. Da mihi amorem tuum, & ſufficit. Quouſque Domine hanc gratiam differs? Cur me nocte dieque affligi permittis, & non ſuccurris? Quamdiu Domine, quamdiu obliuiſcêris mei? Quamdiu auertes faciem tuam à me? Quamdiu inter tot anxietates ac deſideria fluctuabit anima mea? Reſpice Domine, & oculos miſericordiæ tuæ ad me conuerte. Non equidem portionem illam, quæ filiis in abundantia dari ſolet; peto; at ſola mica, quę de menſa tua cadet, contentus ſum. Ergo me vt pauperem & famelicum catulum coram diuite menſa tua præſento. Hîc intuebor vultum tuum, conſiderando quo geſtu ipſemet edis, & filios tuos cæleſtis tuæ gloriæ cibo paſcis. Hîc ſubſiſtam, vt cor tuum ad miſericordiam flectam. Non me ſatiant Domine res vllæ vitæ huius, te ſolum deſidero, te ſolum quæro, faciem tuam exopto, ad tui amorem & nunc & ſemper aſpirabo, ac cum Propheta dicam:

Pſal.17. Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Deus meus, adiutor meus, ſperabo in eum: protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.

Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero. Amen.

Oratio qua excitatur animus ad DEI TIMOREM.

SI publicanus ille Euangelicus non audebat oculos ſuos ad cælum leuare, ſed à longè

ſtans

stans percutiebat pectus suum, dicens; Deus propitius esto mihi peccatori: si peccatrix illa sancta, non ausa est in conspectum Domini venire, sed stans retrò secus pedes eius, profusis lacrymis veniam petiit delictorum: si sanctus Patriarcha Abraham volens cum Deo sermonem miscere dixit; Loquar ad Dominũ meum cùm sim puluis & cinis; si isti tales ac tanti, tantopere se abiecerunt ac submiserunt, cùm se tuæ Maiestati sisterent; quid faciet pauper & miserrimus peccator, qualis ego sum? quid faciet puluis & cinis? quid faciet abyssus peccati & miseriæ? At quia, mi Domine, non possum habere timorem illum ac reuerentiam tantæ debitam Maiestati, nisi tu in me respicias; da veniam, vt sic mihi liceat caligantes eleuare oculos, vt splendor gloriæ tuæ visus mei debilitatem nequaquam obtundat. Ac cùm veræ sapientiæ principium sit timor sancti nominis tui, ab eo nũc Domine exordium sumam. Dona ergo mihi hanc gratiam, placeatque infundere animæ meæ donum timoris. Fac igitur Domine, vt anima mea & cor meum te timeat. Nam in te (qui omnia es) non minor est ratio cur timearis, quàm ameris, cùm sis vti infinitè misericors, ita etiam infinitè iustus: & vt opera misericordiæ tuæ absque numero sunt, ita & iustitiæ. Timeam ergo te ob magnitudinem iustitiæ tuæ, ob profunditatem iudiciorum tuorum, ob celsitudinem Maiestatis tuæ, ob immensitatem amplitudinis tuæ, ob innumera peccata & præsumptiones meas, ac

Luc. 18.

Luc. 7.

Gen. 18

super omnia rebellionem continuam, qua sanctis tuis inspirationibus reluctatus sum. Timeam te ac trepidem ante faciem tuam, in cuius conspectu tremunt Potestates, columnæ cæli concutiuntur, & vniuersæ terræ ambitus obstupescit. Et quis obsecro te non timeat Regem gentium? Quem non terreant verba Prophetę, nomine tuo loquētis, cùm ait: Me non timebitis, & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit: & cōmouebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus eius, & non transibūt illud. Si omnes creaturæ tuæ, quæ vel in cælis, vel in terra sunt, ita tibi morem gerūt, & ob magnitudinem Maiestatis tuæ formidāt; quid ego viliſſimus peccator puluis & cinis facturus sum? Si spiritus illi Angelici cùm te adorant, & laudes tuas decātant, ita contremiscāt; cur labia mea & cor meum, simili intenta officio, præ stupore ac reuerētia non deficiunt? Ah miserum me, cuius anima sic induruit! quomodo exsiccati sunt fontes oculorum meorum, vt ampliùs non fluant lacrymæ meæ, cùm seruus loquar cum Domino, creatura cum Creatore, homo cum Deo, luteum vasculum cum eo qui cuncta ex nihilo creauit? Volo, sed non valeo; nec enim exequi valeo quæcumque desidero. Tu Domine, confige timore tuo carnes meas: lætetur cor meum, vt timeat nomen sanctum tuum. Timeam te quoque Domine, propter iudiciorum tuorum, quæ ab initio mundi vsque huc exercuisti, magnitūdinem & profundi-

Ierem. 5.

tatem.

tatem. Magnum fuisse iudicium clamat primi Angeli lapsus, tot virtutibus ornati: magnum, parentis nostri Protoplasti vnicum delictum: magnum, Cataclysmus qui vniuersum mundum inuoluit. Magnum planè iudicium electio Iacob, & Esau reprobatio; derelictio Iudæ, & Apostoli Pauli vocatio; reiectio populi Iudaici, & Gentium adoptatio; aliaque similia, quæ nobis insciis secretissimè indies accidunt. Præter hæc, est quod horrorem incutit maximum, tot videre nationes versantes super faciem terræ in regione & vmbra mortis, ac è tenebris infidelitatis ad alias tenebras, è molestiis temporariis ad tormenta properantes æterna. Timeam te meritò, Domine, ob hæc tua iudicia tam profunda, tam occulta; iureque verear, ne cum tot populis ipse quoque reprobus efficiar. Si enim vix iustus saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Si innocentissimus Iob à furore iræ tuæ tremat, quomodo non formidabit ab impetu tumentium fluctuum, qui à sancti viri innocentia tanto distat interuallo? Si Ieremias in vtero matris sanctificatus, adeò timuerit iram tuam, vt non inueniret angulum in quem se abderet; quò se vertet, qui in peccatis conceptus est & natus.

1. *Pet.* 4
Iob 31.

Timeam te insuper ob multitudinem peccatorum meorum, quæ infinita sunt, quibuscum sistendus sum ante tribunal tuum, quando in conspectu tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas valida ingruerit; cùm aduocaueris cælum desuper, & terram, discernere popu-

August. cap. 4. Meditat.

lum tuum. Ibi in conſpectu tot gentium ac tot Angelorum detegentur ac innoteſcent ſcelera mea, non verbis modò ac opere, ſed & mentis cogitatione commiſſa. Ibi tot habebo iudices, quot me præceſſerunt bonis operibus præſtantiores: tot aduerſum me exurgent teſtes, quot mihi fuere ad virtutem exhortatores. Et tamen cùm certus ſim de tali iudicio, nondum vitiis meis, vt par eſt, frenum modumque pono, ſed potiùs in peccatorũ fæcibus computreſco: nam gula me viliſſimum reddit, ſuperbia vanum, auaritia ſtringit, conſumit inuidia, murmuratio lacerat, ambitio eleuat, ira perturbat, effundit leuitas, torpor opprimit, triſtitia deiicit, fauor attollit. Hi ſunt, quibuſcum natus, huc vſq. vixi; hi amici quos habui familiares, magiſtri quibus parui, domini quibus ſeruiui. Ne intres tamen, ô Domine, in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quem enim iuſtum reperies, ſi remota pietate iudicaueris eum? Proinde ad pedes tuos proſtratus, corde humili & contrito plorabo cum Propheta, & dicam:

Pſal.14.

Pſal.6.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniã infirmus ſum; ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valdè: ſed tu Domine vſquequò?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Quo-

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Oratio ad MOEROREM SANCTVM *siue* TRISTITIAM *à* DEO *petendam.*

QVî fit Domine, quòd corde non rumpor, dum hominum in te offensiones intueor; & quàm iniquè ab ijs tractaris, quos tuis semper ad te beneficijs inuitare non cessas? Esse enim quod eis dedisti, in te abutuntur. Quis non angatur animo,& tristitia consumatur, qui in suam debilitatem, ad casum propensionem, surgendi difficultatem, ignauiam in legitimo pretiosissimorum donorum tuorum,oculos conijcit? Quis non sanguineas fundat lacrymas, illarum memor, quas à te in crucis ligno pro se fusas videt, quique sanctissimam tuam vitam ab ipso statim conceptionis initio mœrore semper plenam animaduertit? O igitur omne bonum meum, fac me tecum flere,nec pœnarum mearum quærere leuamen; illa sola consolatione contentum,quòd nullum mihi solatium sit in hac vita futurum, cùm hanc certissimam ac tutissimam ad te perueniendi viam agnoscam.

Oratio ad veræ POENITENTIÆ *petendum spiritum.*

AEquissime Iudex, qui vt nullum opus bonum irremuneratum, ita nec prauum relinquis impunitum: quique immensa tua misericordia acceptas,si velit peccator,temporalem in hac vita pœnam, pro æterna, quam exigeres in futura: fac me quæso dignos facere

pœnitentiæ fructus ; vt qua mensura , sine freno & pudore te hactenus offendi , liberas appetitionibus meis habenas laxando , eâdem sumam de me ipso vindictam, reddamque pro viribus, quod à me iustissimè requiris : vt qui toties hactenus me illicitis rebus totum tradidi, à licitis etiam nunc , amoris tui intuitu contineam.

Oratio ad petendum à DEO CONTRITIONIS *donum.*

COnuertantur oculi mei in fontes lacrymarum, Deus meus, quòd tuam offenderim Maiestatem : cor meum dolore rumpatur, quòd tuam sim ausus violare legem : frangantur denique viscera mea , quòd à tua declinauerim voluntate . En Deus meus, & dulcissime sponse animæ meæ , flagella illa tibi propono, quibus delicatissimum vnigeniti Filij tui IESV Christi Domini mei corpus fuit laceratum ; spinas, quæ sacrum illius caput penetrarunt; clauos, qui manus pedesq. tranfixerũt; crucem, quæ ipsum sustinuit; lanceam, quæ incensum amore cor vulnerauit; denique vulnera, quę accepit ipse pro me: propter quæ omnia, Deus, peto confringi cor meum, vt contritum & in pulueres vera contritione redactum, tuę charitatis igne accendatur, & in sacrificium & holocaustum suauitatis totum consumatur.

O Deus meus , vtinam omnes purgatorij pœnas potiùs sustinuissem , quàm te offendissem! vtinam & nunc infernum sustinerem potiùs, quàm te iterùm offenderem! Vtinam pos-

sem

sem sanctorum omnium Martyrum ferre tormenta, nequa rationalis te offenderet creatura! Gratiam itaque Deus concede, vt præterita mea peccata ita defleam, ne in eadem vel alia recidam reliqua vita mea.

Oratio præparatoria ad SACRAMENTALEM *peccatorum* CONFESSIONEM.

CONditor cæli & terræ, Rex regum, & Domine dominantium, qui me de nihilo feciſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam, & me proprio tuo ſanguine redemiſti; quem ego peccator non ſum dignus nominare, nec inuocare, nec corde cogitare: te ſuppliciter deprecor, & humiliter exoro, vt clementer reſpicias me ſeruum tuum nequam. Et miſerere mei, qui miſertus fuiſti mulieri Cananææ, & Mariæ Magdalenæ: qui peperciſti Publicano, & Latroni in cruce pendenti. Tibi confiteor, Pater piiſſime, peccata mea; quæ ſi volo abſcondere, non poſſum tibi Domine. Parce mihi Chriſte, quia te offendi, cogitando, loquendo, operando, & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo & peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò Domine precor tuam clementiam, qui de cælo pro mea ſalute deſcendiſti, qui Dauid à peccati lapſu erexiſti; parce mihi Domine, parce mihi Chriſte, qui Petro ter te negãti peperciſti. Tu es creator meus, & redẽptor meus; Rex meus, & Deus meus. Tu es ſpes mea, & fiducia mea; gubernatio mea, & auxiliatio mea; conſolatio mea, & fortitudo mea; defenſio mea, & liberatio mea;

vita mea, ſalus mea, & reſurrectio mea; lumen meum,& deſiderium meũ;adiutorium meum, & patrocinium meum. Te deprecor & rogo, adiuua me,&ſaluus ero;guberna me,& defende me;conforta me,& conſolare me; confirma me,& lætifica me; illumina me, & viſita me; ſuſcita me mortuum, quia factura & opus tuum ſum. Domine ne deſpicias me,quia famulus & ſeruus tuus ſum, quamuis malus, quamuis indignus & peccator:ſed qualiſcumque ſim, ſiue bonus ſiue malus, ſemper tuus ſum. Ad quem ego fugiam,niſi ad te vadam?ſi tu me eijcis,quis me recipiet?ſi tu me deſpicis, quis me aſpiciet? Recognoſce me ergo indignum ad te refugientem, quamuis ſim vilis & immundus: quia ſi vilis & immundus ſum, potes me mundare: ſi cæcus ſum, potes me illuminare: ſi infirmus ſum,potes me ſanare:ſi mortuus & ſepultus ſum, potes me reſuſcitare: quia maior eſt miſericordia tua, quàm iniquitas mea:maior eſt pietas tua,quàm impietas mea: plus potes dimittere, quàm ego committere; & plus parcere, quàm ego peccator peccare.Non ergo reſpicias Domine,neque attendas multitudinem iniquitatum mearum; ſed ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum miſerere mei, & propitius eſto mihi maximo peccatori.Dic animæ meæ,Salus tua ego ſum.Qui dixiſti,Nolo mortem peccatoris,ſed magis vt conuertatur & viuat: conuerte me Domine ad te, & noli iraſci contra me. Deprecor te clementiſſime Pater,propter miſeri-

cordiam

cordiam tuam ſupplico & oro, vt perducas me ad bonum finem, & ad veram pœnitentiam, puram confeſſionem, & dignam ſatisfactionem omnium peccatorum meorum.

Oratio ante SACRAMENTALEM CONFESSIONEM.

SVſcipe confeſſionem meam pijſſime ac clementiſſime Domine IESV Chriſte, vnica ſpes animæ meæ; & da mihi (obſecro) contritionem cordis, & lacrymas oculis meis, vt defleam diebus ac noctibus omnes negligẽtias meas, cum humilitate & cordis puritate. Appropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me, quem adiutorem quæram? quis miſerebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine, qui Chananęam & Publicanum vocaſti ad pœnitentiam, & Petrum lacrymantem ſuſcepiſti. Domine Deus meus, ſuſcipe preces meas. Saluator mundi, IESV bone, qui te crucis morti dediſti, vt peccatores ſaluos faceres, reſpice me miſerũ peccatorem inuocantem nomen tuum; & noli ſic attendere malum meum, vt obliuiſcaris bonum tuum. Et ſi commiſi vnde me damnare potes, tu non amiſiſti vnde ſaluare ſoles. Parce ergo mihi, qui es Saluator meus, & miſerere peccatrici animæ meæ; ſolue eius vincula, & ſana vulnera. Domine IESV te deſidero, te quæro: oſtende mihi faciem tuam, & ſalua erit anima mea. Emitte pijſſime Domine meritis puriſſimæ & intemeratæ ſemper virginis Mariæ, & Sãctorum omnium, lucem & veritatem

tuam

tuam in animam meam; quæ defectus omnes meos mihi exhibeat, eosque plenè & contrito corde explicare doceat.

Oratio post CONFESSIONEM.

SIt tibi obsecro, Domine IESV, meritis beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum omnium, grata & accepta ista confessio: & quidquid mihi nunc & aliàs de sufficientia contritionis, aut integritate confessionis defuit, suppleat pietas & misericordia tua; & secundùm illam me digneris pleniùs & perfectiùs habere absolutum in cælis. Amen.

Oratio ad petendam à DEO *virtutem* PRVDENTIÆ.

NOuerim te Domine, nouerim me: meditetur frequenter anima mea, quid post breuem hanc & miseram vitam maneat probos, & improbos; tibi charos, & à te auersos. Fugiat proinde quidquid à te separat; amplectatur quę perfectam cum tua Maiestate vnionem promouent. Compone Domine omnes animæ meæ cogitationes & affectus, & omnia mea ad te dirige, qui rerum omnium principium es & finis, & meæ beatitudinis vnicum & perfectum compendium.

Oratio ad MVNDI CONTEMPTVM *à* DEO *petendum.*

BEnignissime & dulcissime Domine IESV Christe, quem stultus & infidelis mundus tantis affecit iniurijs & ignominijs: concede mihi, quęso, eumdem vt agnoscam, & simul contemnam. Ne ipsius me deliciæ emolliant,

ne

ne decipiant promissa, ne iudicia commoueant, terreant minæ; ne dicta ipsius aut facta, timor aut inuidia in causa sint, cur vel latum à te vnguem discedam. Omnia ipsius arbitrer vt stercora, vt tuam consequar gratiam: tibi sim seruus, tecum viuam, semperque fruar.

Oratio ad petendam virtutem DISCRETIONIS.

QVis possit, Domine, tempestuosum hoc mare à profunditatis altitudinisque periculosis extremis nauigare securus, nisi nauem ipse sanctæ discretionis dirigas gubernaculo? Hæc enim discretio est illud sal, quod omnibus sacrificijs adhiberi voluisti: hæc mensura, omniumque regula virtutum, hæc actionum bonarum perpendiculum: hæc initium, medium, finisque omnium eorum quæ grata sunt tibi; sine qua vitium est, quod virtutis specie tegitur, & oculis tuis abominabile, quod apud homines alicuius est pretij. Da igitur mihi, Deus meus, thesaurum hunc, ducem & magistrum omnium virtutum: & fac me in primis cognoscere, & æstimare, quid inter te creatorem meum & creaturas intersit. Fac ne in meis actionibus mihi, sed aliorum potiùs cõsilio vitorum præcipuè spiritualium prudentumque nitar: denique, vt ipsi lapsus, siqui contingunt interdum, experimento mihi sint & admonitioni, qua eos in posterum caueam diligentiùs.

Oratio ad S. SIMPLICITATIS *à* DEO *petendum spiritum.*

DEus amator corde simplicium, quibus & tua facilè secreta communicas, tribue

mihi

mihi columbinam ſimplicitatem, cum ſerpentina prudentia coniunctam; ſimulque gratiam, qua multitudinem implicationemque rerum inferiorum euitans, vnum eligam, partem optimam & ſecuriſſimam, te Deum meum omnia in omnibus, & omne bonum meum. Amem ex corde ſanctiſſimam tuam legem, eidemque me totum ſubijciam: gaudeam de bonis proximorum, doleam de malis: cogitem de omnibus benè: abhorream fugiamque fictum omne, & duplex cor.

Oratio ad SILENTII *virtutem à* DEO *petendam.*

IMpone Domine frenum linguæ meæ, & non ſolùm ab illicitis & inutilibus verbis abſtineat, ſed licitis etiam & vtilibus vtatur moderatè. Et quoniam difficile eſt feram hanc mea virtute miteſcere, & ſerpentis huius venena impediri: eam tu, Domine, comprime, tuaque gratia purifica: vt ea refrenata, recolligatur & quieſcat in te cor meum. Fac me profundiſſimum ſanctiſſimumque illud tuum ſilentium imitari, quo etiam ab iniquo iudice calumnijs & falſis accuſationibus impetitus, tamquam mutus, ô Verbum æternum, os non aperuiſti; nec te excuſare, nec mortem reſponſo tuo differre voluiſti. Quando verò loqui me fuerit neceſſe, fac me omnes leges & circumſtantias requiſitas obſeruare, ac ita proloqui, vt verba mea tibi imprimis placeant; animam verò meam non lædant, aut ſcandalizent proximum.

Oratio ad petendum à DEO VITÆ SPIRITVALIS *studium.*

CONcede mihi quæsò, Domine IESV Christe, diuinum spiritum tuum; quo tandem tuus esse, sanctam vitam ducere, & homo spiritualis esse incipiam. Fac me plenè intelligere, quomodo ex meipso nihil boni præstare possim, vt omnem à me præsumptionem abijciam; in te verò possim omnia. Ne ita deficiam in me, quin confidam in te. Occuper semper in vilitatis ac profundæ miseriæ meæ attenta meditatione: cognoscam quid tandem essem, nisi manu tua sustentarer: vt sic me in tuo conspectu magis humiliem. Attendam item rationi, quam de diuinis tuis donis, déque grauissimis & innumerabilibus peccatis meis tibi sum redditurus: timeamque ac tremam diuina tua & occulta iudicia. Æqua animi gratitudine læta suscipiam & aduersa; cùm eodem vtraq. amore, paterniſque visceribus à te mihi mittatur: subijciatur omnino spiritui caro mea, & huius intuitu omnem asperitatem amplectatur, & pœnitentiam; repellat verò mollitiem & delicias omnes. Hæc mea sit occupatio, hoc studium: hæc vera sitis, tibi vniri, te frui, excutere quidquid priuare aut diuellere me potest à tua gratia, & intima dulciq. familiaritate tua.

Oratio ad petendum à DEO CONTEMPLATIONIS *donum.*

QVomodo, ô Domine, & omne bonum meum, effunditur cogitatio mea, & per omnes creaturas liberè diuagatur? quomodo

obnubilatur vmbris vanitatum? cur non potiùs ad te accedit téque amplectitur? Quid nouit anima mea, si te, qui totum eius es bonum, non nouit? Quòd si te ignorat, quomodo amabit? quomodo non amatum desiderabit? quomodo laborabit pro assequendo non desiderato, aut consequetur non quæsitum, aut fruetur non obtento? O ergo beatitudo, & afflictæ animæ meæ requies, ingredere tu illam quæso, & post te illam trahe. Tædio mihi sint omnia in hoc mundo, & grauis misera hæc vita: suspiria ex intimis ducam visceribus, affectu & dulci desiderio tui; ac cerui instar vulnerati & sitientis ad viuarum curram fontem aquarum: omnes denique conculcans curas & molestas sollicitudines pro eo acquirendo quod non es tu, absorbear ineffabili ac suauissima contemplatione tui.

Oratio ad MATVRITATIS *virtutem à* DEO *petendam.*

COlligantur, quæso Domine, affectus omnes, sensus & facultates animæ meæ in te; vt ea sic vnita, non diuidatur, aut sese ad vanitatem & multitudinem creaturarum abijciat. Tunc me felicem existimem, cùm te in lacrymis pœnisque imitatus fuero. Sit mihi afflictio ipsa consolationi, pignusque beatitatis æternę. Fugiat cor meum leuitatem, dissolutionem, risum, vanaque solatia. Omnes sensuum meorum claudantur ianuæ, ad cuiusuis creaturę ingressum: tibi soli, Deus meus & creator, pateāt; vt sic in tuam transmuter immutabilitatem.

Oratio ad IVSTITIÆ *virtutem à* DEO *petendam.*

DOmine IESV Christe, qui iustus noster es, & iustitia nostra: concede, obsecro, mihi gratiam tuam, qua nouerim laudis tibi sacrificium propter id quod in teipso es offerre; propter beneficia, quæ in me liberalissimè contulisti, & omnia quæ mei gratia operatus & passus es. Defleam quæso peccata, quæ in te admisi; negligentiamque meam in legitimo pretiosissimorum donorum tuorum vsu. Seruem & vota mea, & mandata tua: tantaque attentione & sollicitudine in quocumque tuo opere solius tui amoris occuper intuitu, ac si ex illorum singulis tota mea felicitas, omneque bonum meum penderet. Ne quæso in proximum meum, eorum quidquam admittam, quæ iuxta iustitiæ leges nollem in me: & contrà quidquid ex iustitia mihi fieri vellem, id etiam faciam proximo. Extendatur etiam, Domine, iustitia mea in eos qui sunt vita functi, exequendo quæ illorum nomine mihi incũbunt; & illorum (quantum in me est) pœnas, quas in Purgatorio luunt, bonis præstitis operibus eleuando. Obediat verò non minùs anima mea consilijs & admonitionibus sancti Angeli custodis mei: æquum est enim tam sollicito duci, pædagogo & magistro meo, qui omnia mihi procurat bona, promptam à me obedientiam, & humilem reuerentiam exhiberi.

Oratio ad LIBERALITATIS *virtutem à* DEO *obtinendam.*

CONcede mihi, quęso, liberaliſſime Domine, gratiam qua immenſam illam tuam largitatem imiter, qua tuis omnibus creaturis te ipſum communicas. Eſſe illis das & conſeruas, in actionibus ſuis illas iuuas, imò & eiſdem cooperaris: & in omnibus illis ineffabili quodam modo te ipſum homini tradis; eúdem carnis & ſanguinis dilectiſſimi Filij tui participem reddis: & ſuper ipſos hoſtes tuos infenſiſſimos, quo ipſi tempore te oppugnant, dona noua gratiaſque nouas (etiamſi præuideas eiſdem illos aduerſum te abuſuros) velut pluis largiſſimè. Cùm tu itaque Domine, adeò ſis in nos effuſus; cur non ego, quæ mea non ſunt, ſed tua, & in eum finem mihi conceſſa, vt illis tibi fideliter ſeruienti noua ſemper conferas beneficia, fiaſque mihi ipſe tuorum donorum prędmium; cur inquam illa non impendam omnia iuxta tuam voluntatem? Quæ maior mihi gloria eſſe poteſt, quàm ſi tibi ſimilis & conformis appaream? Ex hoc igitur Deus meus, & Rex meus, me tibi totum conſecro; & tui amore etiam in vſum proximorum offero temporalia & ſpiritualia, fortunas, conſilium, verba, opera, ſanitatem, & (ſi opus erit) vitam ipſam, ad gloriam ſanctiſſimi nominis tui, & eorum vtilitatem, quos tu Domine ſanguine proprio, vitaque impenſa redemiſti.

Oratio ad FORTITVDINEM *à* DEO *impetrandam.*

QVàm debilis est, Domine, is qui sibi ipsi; quàm contrà fortis, qui tibi innititur? Qui vel semel spiritus tui gustat dulcedinem, quàm fortis euadit, siue ad operandum benè, siue ad patienda mala? ad resistendum carnis mollitiei, ad ferenda dura & aduersa? Corrobora ô Domine animam meam, ac tuæ fortitudinis & protectionis muni præsidio, quò ita sui euadat domina, vt si quando veteris Adami senserit inordinatos motus, consentiat tamen nũquam. Comprime, Deus meus, omnia membra sensusque meos: linguam præcipuè, quę non potest sine gratia tua domari; indomita verò ignis est exardescens, origo & fons magnorum malorum. Fige Domine meum in tua luce intellectum, affectum in amore: & conforta cor meum, ne terreatur aduersis, néve prosperis insolescat. Posside Domine inferiorem meum hominem, ne vmquam exequendis ijs, quæ tibi sunt grata, fatigetur; aut deficiat aduersis, cùm hæc eadem veram solidamque virtutem & comitari & excitare consueuerint.

Oratio ad obtinendam virtutem TEMPERANTIÆ.

DEus meus, & creator meus, qui omnia in numero, pondere, & mensura creasti, concede; vt & ego omnia mea, ea faciam attentione & circumspectione, vt & numerus & pondus ac mensura debita in eis eluceat. Tempera Domine cor meum, ne cogitationibus

inutilibus, aut etiam vtilibus, extra tempus occupetur. Moderare animæ meæ affectus, ne vel amet vel deteſtetur, lætetur aut triſtetur, ſperet aut timeat, niſi quod & quantum & prout tu vis. Infrena linguam meam, vt rectam ſilentij cuſtodiat legem. Moderare guſtus & appetitiones meas, in victu, veſtitu, ſomno, & reliquis carnis commoditatibus; vt neceſſarijs contentus, quidquid ſuperfluum eſt, circumcidam. In omnibus itaque, Domine, eum adhibeam modum: in ſolo amore tui, in tuis laudibus, gratitudine ac recognitione immenſæ tuæ ac infinitæ bonitatis, modum neſciam, terminum non adhibeam.

Oratio ad CARNIS CASTIGATIONEM *à* DEO *obtinendam.*

ÆTerne Deus & immenſe, qui tua ineffabili ſapientia ſpiritū & carnem in vnum coniunxiſti, & ſtricto adeò nodo colligaſti, vt eiuſdem partes hominis; animaque ita ſit vita corporis, vt & eſſe & pulchritudinem ſuam ab illa habeat: agnoſcam, quæſo, hanc animæ excellentiam & dignitatem, efficiamque vt caro ancillæ inſtar ſubiecta ſit illi, ac pareat, nec illius mollicie ſpiritus vigor hebetetur. Præſcindam etiam quidquid ad indulgentiam & voluptatem eius ſpectat: nec aliud admittam, quàm mera ad conſeruationem neceſſitas poſtulat. Omnes inordinatas meas appetitiones mortificem, meipſum odio ſancto perſequar, crucem meam ſuper humeros tollam, vt tuus poſſim eſſe diſcipulus.

Ora-

Oratio ad petendam à DEO HVMILITATEM.

SVauissime ac mitissime IESV, qui Rex regum & Dominus dominantium existens, teipsum tamen humiliasti, & nostræ carnis vilitatem induisti: da mihi Domine id imitari, quod admirabili hoc tuo exemplo & doctrina tradidisti; humilitatem inquam, meique cõtemptum, thesaurum mundo absconditum. Insere quæso cordi meo, meiipsius meæque vilitatis agnitionem: fac me omnem repellere honorem, vt tibi soli, non mihi debitum; ad omnium me pedes abijcere, & à cunctis despici optare: cùm omnium seruorũ tuorum, quin & eorum qui me nequiores videntur, sim vilissimus. Agnosco enim me re ipsa ijs omnibus deteriorem futurum fuisse, nisi me manus tua sustentasset: illos etiam maiori gratitudine responsuros fuisse, si dona quæ ego consecutus sum à tua Maiestate accepissent. Fugiat anima mea vanam omnem complacentiam, fugiat aliorum æstimationem, appetitum laudis, cordis leuitatem, oculorum iactantiam, & quidquid exteriùs interiúsve superbiam sapit: vt sic humiliatus, & tua gratia humilis effectus, illam merear consolationem & coronam, quam verè humilibus, & promisisti, & dare consueuisti. Amen.

Oratio ad petendam à DEO *virtutem* CONCORDIÆ.

DA mihi Domine cum omni homine veram habere cõcordiam; vt nulli vmquam dans iustam querelæ occasionem, sed omnibus

omnia factus, omnes tibi lucrifaciam. Examinem semper occultos cordis mei angulos : ne mihi proprius amor imponat, & falsa decepto securitate persuadeat grata esse tibi mea opera, quæ fortè displiceant. Hoc denique meum sit studium, emendare ac perficere vitam meam; diuina tua iudicia, factaque reuereri; aliorum me iudicio submittere.

Oratio ad COMPASSIONIS *affectum à* DEO *petendum.*

PEr excellentissimam illam, Domine, viscerum tuorum compassionem, qua nostris compassus malis, ipsas miserias nostras suscepisti; vt in crucis ligno, quæ pro nostris peccatis debebamus, ipse persolueres; humillimè supplico, vt vero dolore transfigas cor meum, quò doleam de peccatis, quibus in hoc mundo Maiestas tua offenditur; de malis & afflictionibus, siue corporis, siue animi, quibus proximi omnes mei afficiuntur: sentiamque ego dolorem de ipsorum dolore, instar membri vnius, quod alteri compatitur: idque non amicis modò, sed hostibus quoque meis, amoris tui præstem intuitu; si quidem omnes fratres sumus, & filij tui, veri ac cęlestis Patris. Compatiar etiam animabus, quæ horrendis purgatorij pœnis tuæ iustitiæ satisfaciunt pro peccatis in hac vita commissis, nec priùs diuino tuo donãtur conspectu, donec sint omni ex parte mundatæ.

Oratio ad PACIS *virtutem à* DEO *petendam.*

VEre Salamon ac Rex pacifice, vera pax nostra, Domine, in quo velut in centro

c ſummo bono ſuo mens noſtra ſuam inuenit pacem & quietem : collige, quæſo, effuſum in creaturas ſpiritum meum, ac illam da pacem, quam ſolus dare potes. Adæqua meam tuæ voluntati, vt ea velit, quæ tu vis ; & menti meæ omnino tibi ſubiectæ, inferiores ſubijciantur appetitus. Viuam, ô Domine, de me ipſo ſollicitus, aliorum vitam geſtaque relinquam; vt vanis expeditus curis, in tui ſolius occuper contemplatione, in qua ſecura veraque pax inuenitur, Fac me omnem turbationis occaſionem ſollicitè fugere : gaudeam de aliorum proſperitate, doleam de infortunio : nouerim moleſta eorum ingenia, qui mecum degunt agúntve, æquanimiter ferre : quò in pace hîc fundatus, ad pacem illam perueniam, quam tuis in cælo largiris æternam.

Oratio ad impetrandam à DEO PATIENTIAM.

CVr Domine conqueror, cùm iniuria afficior, aut iniuſtè affligor ; ſi reuoco in memoriam, quàm grauiter te offenderim, quoties infernum ipſum promeritus ſim, quanta ſit miſericordia tua, qua ſtatuis vt in temporali hac vita & leuiter pendam, quod æternum in altera & ſupplicijs exquiſitiſſimis fuiſſem luiturus? Cur querar, cùm te videam cruci propter mea peccata ſuffixum ? Neq. enim decet membra eſſe delicata ſub capite ſpinoſo, & pro iiſdem duriſſimè tractato. Cur conquerar, ſi aduerto, quòd ſi preſentes labores ad tēpus æquanimiter tolerauero, me tua conſolabitur miſe-

ricordia, abſtergeſq. manu tua oculorum meorum lacrymas, ac dabis requiem confractis afflictiſque oſſibus; & quòd iuxta patientiæ ac tolerantiæ meæ modum erit conſolatio & retributio tua. Pluant itaque aduerſa quæque tui cauſa, Domine, ſuper me; prębente tamen te robur & ſpiritum ad ea ferenda, quia ſine gratiæ tuæ ſubſidio, carnis meæ deficiet debilitas. Fac me Domine, iudicia omnia falſa, ſuſpiciones vanas, calumnias, iniurias omnes, forti animo, ſine murmuratione, ſine querelis, ſine excuſationibus, ſine interiori eorum ſenſu, aut exteriori indicio, tolerare: eoque maiori lætitia ac gaudio oblectetur in ſe anima mea, quò ſe innocentem, & à culpa, quæ impingitur, vacuam magis inuenerit. Corrobora ô Domine animam meam, cognitione & amore ſanctiſſimæ tuæ paſſionis; vt non ſolùm prę ſentes cum gaudio feram aduerſitates, ſed etiam optem abſentes: cruciſque genus quoddam eſſe iudicem, ſine cruce viuere ac mori.

Oratio ad petendam à DEO CASTITATEM.

REprime, Domine, ſenſus omnes meos, & munda cor meum ab omni immunda cogitatione. Da mihi purum ac perfectè amantem caſtitatis ſpiritum tuum, qua & corpus & animam ab omni ſeruem fœditate & corruptione. Ne verò cadam aliquando, fac me omnes labendi fugere occaſiones. Da mihi, Domine, temperantiæ ſobrietatiſque virtutem, aſperitatis ac pœnitentiæ amorem, meiipſius cognitionem, ac fragilitatis propriæ timorem. Sed ſuper

omnia,

omnia, Domine, tui ipsius sensum mihi dari peto: vt absorpta in te, & deliciarum tuarum dulcedine immersa, obliuiscatur anima mea sensualium omnium appetituum; ac suauissimo spiritus tui liquore inebriata, omnem carnis amaritudinem fœditatemque reiiciat. Fac me Domine pulchritudinem intelligere, & estimare libertatem, imò & potestatem, quam etiam in hac vita castitas obtinet. O mi Rex, animæque meæ sponse amantissime, qui tuo nos exemplo cælestem hanc docuisti virtutem, tuaque doctrina eius aperuisti pretium & valorem; fac me purissimam Virginem matrem tuam, easq. virgines sponsas tuas imitari, quæ ne suam perderent integritatem, vitam profuderunt. Et qui mundum me castumque esse iubes, quod sine gratia tua facere non possum, da quod iubes.

Oratio ad VERAM *hominis* LIBERTATEM *à* DEO *petendam.*

QVid est, Domine Deus, quòd cùm me adeò liberum creaueris, vt nemo possit vim vllam meæ inferre voluntati, & pretiosissimo tuo sanguine ab ea, in quam exigentibus meis peccatis incideram, captiuitate redemeris, ac sanctissima tua gratia me corroboraueris & munieris, tam malè hac tanta vtar libertate, vt & peccati & ipsius satanæ mancipium me ipsum constituam, propriis vinctum appetitionibus: quæuis enim laus me extollit, deiicit ignominia, vana excæcat complacentia, corrodit inuidia, omnia denique peritura gustu suo falso & fallaci blanditie captiuant cor meum. Nihil

agere

agere aliud videor, quàm vt te quotidie offendam: & persuasus libertatem meam in eo consistere, vt propriæ semper acquiescam voluntati, habenas propriis appetitibus laxo, & incido miser in tot dominorum captiuitatem, quot sunt illa quæ diligo inordinatè. Igitur liberator meus, sine quo nemo est verè liber, hanc mihi veram ac perfectam libertatem concede: aufer peccata, quæ illa me spoliant; meque tibi coniunge, vt intelligam, tunc fore me verè liberum, cùm sanctissimæ legi tuæ omnino fuero subiectus.

Oratio in qua à DEO *petitur* OBEDIENTIA.

REx meus es Christe IESV, Dominus meus, & Imperator meus, cui obediunt cæli, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, quæ semper obseruarunt, & obseruatura sunt legem mandatorum tuorum: da Domine, vt perfectiùs his omnibus obediam tibi, qui plus sum obligatus diuinæ tuæ Maiestati: fac ô mi Rex, vt morem tibi geram, & integrè seruem mandata tua sanctissima. Tu regna in me, non mundus, vel princeps eius, non caro; nec propria mea, sed tua sola voluntas fiat. Expelle omnes istos tyrannos, inuasores regni & sedis tuæ, fures gloriæ tuæ, euersores iustitiæ tuæ. Tu solus impera, tu solus omnia dispone & ordina: tu solus, & sceptrum tuum agnoscatur: tibi & sceptro tuo obtemperetur, vt voluntas tua fiat in terris, sicut & in cælo. O quando tandem aderit optata ista dies! ô quando me liberum ab his tyrannis videbo! ô quando in anima mea

on alia vox quàm tua resonabit! Quando sic ceptrum Madian & inimicorum meorum vires attritas ac depressas videbo, vt ad implendam sanctam tuam voluntatem nulla in me retet contradictio? Quando hoc mare ita placidum erit, & cælum serenum; quando tam mæ & mortificatæ erunt passiones meæ, vt amliùs non compareant neque fluctus, neque nubes, neque clamor, nec alius tumultus, qui nanc pacem atque obedientiam alterent ac perurbēt, & regnum tuum in me impediant? Impertire mihi Domine hanc obedientiam, aut (vt neliùs dicam) largire mihi istud in cor meum us & dominium, vt illud mihi obediens, tibi numquam obstreperum sit, donec in omnibus subiiciatur tibi. Atque ita subiectus intimo corde cum Propheta dicam:

Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum: & exquiram eam semper. *Psal.* 118.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semita mandatorum tuorum: quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua: & non in auaritiam.

Auerte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.

Oratio ad petendam à DEO *virtutem* OBEDIENTIÆ.

DOmine IESV Christe, qui adeò exactè obedientiam seruasti, vt, ne illius iacturam faceres, vitam ipsam perdideris, æterno tuo

Patri

Patri obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: peto, Domine, perfectam hanc obedientiam, gratiamque qua omni loco & tempore voluam quæ à me exigis, omnibuſque viribus & maximo quo poſſim conatu animæ meæ ſtudeam adimplere. Da mihi, Domine, ſimplicem ac perfectam erga ſuperiores meos, miniſtros tuos, obedientiam; tam in arduis quàm in iis quæ facilia ſunt, tam in aſperis quàm in iucundis; & vt in illorum manibus velle nolleq. meum cum perfecta mei reſignatione reponam. Afficiar quæſo, amplectarque libentiùs humilia, & quibus labor aut confuſio coniuncta ſunt, cùm mihi iniungentur, quàm alta, & quibus requies & honor inſunt. O Domine, qui non ſolùm excellentiſſimam hãc obedientiam nos docuiſti, dum æterno tuo Patri illam exhibuiſti; ſed dum hominibus, non bonis tantùm, ſed iniquis etiam, eamdem præſtitiſti: ac voluiſti vt ceteræ omnes creaturæ eamdem nobis commendarent, dum incredibili promptitudine ad nutum tibi omnes obtemperant, imò & homini quodam modo, iuxta præſcriptum tuum; vt ab eis diſcat homo tibi, & iis quos tuo loco ad ipſius gubernationem ſtatuis, obedire. Ne quæſo, Dñe, meos vmquam ſuperiores iudicem, néve contra illos in corde meo obmurmurem: ne me excuſem, aut in mãdatis impoſſibilitatem prętendam, nec media vlla ad impediendum quęram: ſed ſimplici, prompta, hilari, perfecta, ac conſtanti voluntate ob tui amorem præſtẽ, quidquid fuerit mihi ab illis iniũctum.

Oratio ad MISERICORDIÆ *virtutem à* DEO *petendam.*

QVis, Domine, in vilium horum bonorum distributione pauperibus facienda tenax sit & auarus; qui tuam erga se liberalitatem expertus, ad hoc sibi nouerit eadem bona concessa, vt, si per indigentium manus tibi restituerit, suorum à te obtineat veniam peccatorum? Infunde igitur mihi, Deus meus, pium hunc erga pauperes affectum, vt eorum necessitatibus subleuandis omnia bona ex animo impendam: quæ vbi defuerint, affectum saltem semper offeram cordis. Nec satis esse ducam, si vilia hæc leuisque momenti bona hilari vultu egentibus distribuero; nisi multo etiam hilariori, illatas ita condonauero iniurias, vt tui amoris intuitu non expectem veniam à me peti, sed misericordia præueniam eum, qui me affecit iniuria: magisque doleam de illius culpa, quàm de iniuria mea, ideoque lacrymis & suspiriis veniam illi à tua impetrem bonitate.

Oratio ad petendum à DEO *spiritum* PAVPERTATIS.

SAluator benignissime, qui ditissimus, Deúsque Maiestatis immensæ existens, pauper pro me homo factus es, vt tua me paupertate ditares: quid quæso tibi in terra quæsiuisti? quid inueneristi? quid elegisti? paupertatem omnino, eámque exactam adeò, vt in paupere præsepio nasci, & nudus in cruce mori voluerís, vbi nec haustum aquæ, nec vbi sacrum re-

clinares

clinares caput, habere potueris : vt hoc me exemplo doceres, quanti facere me par esset, quod tanti tu faceres; quo affectu desiderare, quæ tu in hoc mundo eligeres; tuamque amplecti paupertatem, nuditatem induere, & in cruce denique tua gloriari. Fac me igitur mi Rex, ex nũc per gratiam tuam, omnibus mundi pompis & superfluis valedicere; omnem contemnere voluptatem: cumque mihi defuerit quippiam, gaudere ex animo ob tui amorem & imitationem: ne decipiar, existimans, necessarium, quod verè est superfluum: ne me teneat eorum sollicitudo, quæ ad miseram hanc vitam ducendam conducunt; certò persuasum, te verè patrem esse, qui ineffabili tua prouidentia auiculis per aëra, & vermiculis per terram discurrentibus omnia præbeas necessaria. Illa verò spiritualia diuinaque dona animæ meæ peto communicari, quorum tuos tantùm amicos participes facis: temporalia verò ac peritura ita securè ac confidenter fac me contemnere, vt cum eisdem tuis amicis te ad viuorum mortuorúmque iudicium venientem merear comitari.

Oratio ad petendam à DEO *virtutem* MANSVETVDINIS.

VEræ mansuetudinis magister, qui dixisti; Discite à me, quia mitis sum & humilis corde; concede mihi altissimam hanc & excellentissimam virtutem, cuius tu & magister nobis & exemplum esse voluisti: fac me absolutissimam illam tuam mansuetudinem imitari,

ne vlla in corde meo lateat amaritudo: nulla in verbis impatientiæ aut iræ appareant signa: nulla in operibus vindicta sequatur: sed constans semper sit anima mea, cum tanta inter iniurias & miseræ huius vitæ incursus pace & quiete, vt gratum tibi sit in ea habitare, & gratię tuę donorumque plenitudine eãdem ditare.

Oratio ad impetrandum ZELVM ANIMARVM.

CVm te videam, IESV bone, omne bonum meum, tanti humanas animas feciſſe, vt pro iis liberandis cælo deſcenderis, humanitatis ſaccum indueris, totum denique ſanguinem & vitam ipſam profuderis; quid erit tandem cur ego eas parui pendam, nec vrar, liqueſcam, & me totum effundam pro fratrum meorum ſalute? Cur ſanctus ille zelus mea non penetrat viſcera, non marceſcit & cõſumitur cor meum; dum video crucis tuæ fructum ita perire, deprædante dæmone tuas animas, de tuis triumphante ſpoliis? O Deus meus & Rex meus, tuæ iſtæ manus ſacrumque latus perforatum clamant ad me, docentque quid mihi ſit faciendum, quid perpetiendum animarum gratia, quarum amor & zelus ampliùs te ipſum penetrarunt, quàm ferrum lanceę, clauique ipſi. Imprime igitur amorem hunc, & ſanctum zelum animæ meæ: inflamma illam zelo animarum, quas ipſe quæſiuiſti, & pro quibus propriam vitam impendiſti. Hæc mea ſint deſideria, hæ vires, hæc ſollicitudo mea abſque alio reſpectu, aut proprij emolumenti intuitu: felicem me

potiùs iudicem ac beatum, cùm plurimum pro eis pati, aut etiam mori contigerit, vt hoc tibi nomine similis fiam.

Oratio ad CONFIDENTIÆ *donum à* DEO *petendum.*

QVis vmquam potuit, Deus meus, id esse quod habet, antequam illud haberet, desiderare aut promereri? aut quænam hominis fuerunt in te merita, cur illum ad imaginem & similitudinem tuam creares? tui ipsius, tuæ felicitatis participem faceres? naturam nostram vnigeniti tui Filij vnires personæ; quem ipsum gloriæ tuæ splendorem, & substantiæ figuram, pretium nobis, redemptionem, cibum, ducem, magistrum, auxilium, refugium, præmium denique dares & coronam? Quis horum beneficiorum memor, & immensæ illius bonitatis, quæ sola te vrsit, homini vt illa conferres, præ amore non deficiat & liqueſcat? Quis non tantæ confidat bonitati, qua ita præuentum se videt, vt plura multo acceperit, quàm optare posset vel cogitare? Quis abiiciet animum, si Saluatorem suum aspiciat è cruce pendentem? Quis non latus illud sacrum apertum ingrediatur, & in eo habitet ac requiescat? vnde ceu è portu securus videat tumentes omnes vitæ huius miseræ fluctus & tempestates. Hanc mihi Deus meus, IESV Christi meritis, concede fiduciam: quæ vt vera sit ac firma, da simul cor mundum, & à peccatorum morsu liberum; cõtinuam virtutis exercitationem, fortemque; & dum valeo viribus, constantem pœniten-

tiam.

tiam. Da denique, vt tanta sollicitudine ac vigilantia reliquum vitæ tempus tuis impendam obsequiis, quanta hactenus sequendis & amplectendis mundi huius vanitatibus.

Oratio ad PERSEVERANTIÆ *donum à* DEO *petendum.*

QVid conferunt, Deus meus, & beatitudo mea, virtutes omnes sine perseuerantiæ dono? Quid feliciter nauigasse prodest, si nauis in portu pereat? aut pugnæ tempore strenuè se gerere, si tandem hosti cedit victoria? aut arare & serere benè, si messis tempore segetes euanescunt? Perseuerantia enim est, Domine, quæ præmium, gloriam, & coronam consequitur: sine qua nulla virtus vitam æternam adipiscitur, iudicante te hominem iuxta merita status, quo, cùm vocatur, inuenitur. Concede igitur mihi, piissime & benignissime Domine, pretiosissimum perseuerantiæ donum, quod solus donare potes. Ne verò ex me huic dono aliquod impedimentum obsistat, fac me omnem rerum caducarum amorem radicitus euellere; meumque totum cor in cælum ita transferre, vt quamuis corpore in terra hæream, spiritu tamen apud te viuam.

Oratio D. Thomæ Aquinatis, ad VARIAS VIRTVTES *obtinendas aptissima.*

COncede mihi, quæso, omnipotens & misericors Deus, quæ tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere, & perfectè adimplere. Ad laudem & gloriam nominis tui, ordina statum

meum:& quod à me requiris vt faciam, tribue vt sciam,possim,& velim;& da exequi vt oportet,& expedit saluti animæ meæ.

Via mihi,quæso, ad te sit tuta, recta & consummata, non deficiens inter prospera & aduersa;vt in illis non extollar, & in istis non deprimar. In prosperis gratias tibi referam, & in aduersis seruem patientiam. De nullo gaudeam, vel doleam, nisi quod promoueat ad te, vel quod abducat à te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam,nisi tibi.

Omnia in charitate da facere; & quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara sint mihi omnia tua, & tu Deus meus plus quàm omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te; & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ non est in te.

Frequenter & feruenter da mihi, dulcissime Domine,cor meum ad te dirigere, & defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me Deus meus humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione,tristem sine deiectione,maturum sine grauitate, agilem sine leuitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine præsumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, ipsumque ædificare verbo & exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi dulciſſime IESV cor peruigil, quod nulla à te abducat curioſa cogitatio: da immobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio: da inuictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla ſibi vendicet violenta delectatio; & da rectum, quod nulla ſeorſum obliquet ſiniſtra intentio.

Largire mihi, dulciſſime Deus meus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te inuenientem, conuerſationem tibi placentem, perſeuerantiam te dulciter & fiducialiter expectantem, fiduciam te feliciter amplectentem: da tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficijs vti in vita per gratiam, & tandem tuis gaudijs in patria frui per gloriam: qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſæcula. Amen.

THESAVRI Precum & Exercitiorum Spiritualium

PARS SECVNDA

De beatissima VIRGINE Dei Genitrice.

CAPVT PRIMVM:

Exercitia Spiritualia de mysterijs Vitæ B. VIRGINIS.

EXERCITIVM I.

De dotibus B. VIRGINIS *in genere.*

VO die specialiter colere voles B. Virginem; simul ac euigilaueris, aut integrum fuerit, facto signo Crucis, propones tibi beatissimam Virginem MARIAM adstantem, solis instar, eique te inclinando, exhibebis ex intimo corde reuerentiam, dicens, AVE MARIA, &c. aut aliam breuem oratiunculam: posteà facta Oratione præparatoria, & præmissa loci imaginatione, meditaberis sequentia.

Primò, post Christum Dominum, gloriosa Virgine MARIA, quæ plena est gratia Dei, sicut paradisus terrestris, floribus & herbis odoriferis ornata, beatius aut melius esse nihil. Eam magis expolitam, & omnibus virtutibus absolutam esse, quàm templum Salomonis lignis cedrinis, laminisque aureis & argenteis. Item B. Virginem esse talem, qualem esse decebat, quæ domicilium erat futura Altissimi.

Secundò, B. Virginem multa habere priuilegia inexplicabilia: vt quòd & virgo sit & mater Dei: quòd ab omni peccato nō mortali tantùm, sed & veniali, & originali, semper immunis: quòd à morte, corpore & anima in cælum assumpta, super omnes choros Angelorum & creaturam omnem exaltata.

Tertiò, ordinem vitæ ipsius fuisse sanctissimum: nam præter assiduas pijssimásque preces, præter etiam quotidianam cum Angelis conuersationem, id quoque agebat studiosissimè, vt in omnibus exercitijs suis, siue domesticis siue externis, publicis aut priuatis, cor suum & mentem in Deo semper haberet defixam.

Quartò, à Deo frequētiùs hæc flagitare solitam, vt Deum nosse posset, & eum amore cunctis rebus anteponere, proximo verò secundas in dilectione dare secundùm eius sanctissimam voluntatem: deinde humilitatem & obedientiam tam erga Deum quàm erga homines, tamquam duas præcipuas virtutes, ac aliarum omnium fundamenta.

Quintò,

Quintò, B. Virginem cuidam animę piæ reuelasse, se tot virtutes ac gratiam tantam non potuisse acquirere sine multis orationibus & lacrymis; & dona cælestia non intrare in animam sine precibus assiduis & carnis mortificatione.

Denique colloquium institues ad eamdem Virginem; humilitérque ab ea petes, vt præter alia impetret tibi à Deo profundissimam humilitatem, ac perfectissimam tum animi tum corporis puritatem, extirpetq. in te vitia contraria. Subiunges orationem Dominicam & salutationem Angelicam, vel Hymnum aliquem, aut Litanias de Beatissima Virgine.

ORATIO.

CONcede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. MARIÆ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster. Aue Maria.

EXERCITIVM II.

De Conceptione B. VIRGINIS.

PRIMÒ considerabis, quomodo B. Virgo ab æterno electa à Deo & prædestinata sit, vt Filij sui mater esset, innumeris dotibus & priuilegiis supra creaturas omnes admirabilis, ne qua illi perfectio, dignitas aut gloria deesset.

Secundò, à sanctissimis parentibus Ioachimo & Anna, magna ipsorum sicut & Angelorum omnium in cælo, Patrum in limbo, hominum in terris lætitia, conceptam: quòd eo ipso momento hi intelligerent, datum principium restaurationi cælestis Ierusalem, & exspectatissimo tot sæculis operi redemptionis humanæ.

Tertiò, fuisse eius conceptionem purissimam, nullius labis affinem; vtpote illius è qua edendus esset immaculatus Agnus, omnes à peccati macula mundaturus.

In colloquio petes per merita & interceſſionem B. Matris, vt à Deo cognoscaris, & virtutibus, maximè verò puritate, illustreris, quibus gaudio sis Angelis & hominibus.

Ages etiam gratias S^mæ Trinitati pro tam salutari B. Virginis Conceptione: cuius particeps esse optabis, concipiendo quotidie noua desideria, Deo & parenti eius indies exactiùs famulandi; & in primis ipsam B. Virginem in mente, ore, & opere portando; vt illud impleas D. Bernardi monitum: Non recedat à corde, non recedat ab ore; & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum.

ORATIO.

DEus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus, vt sicut ex morte eiusdem Filij sui præuisa eam ab omni labe præseruasti, ita nos quoque mundos eius interceſſione ad te peruenire concedas. Per eumdem, &c. Pater noster. Aue Maria.

EXER-

EXERCITIVM III.

De Natiuitate B. VIRGINIS.

PRIMÒ considerabis nascentem Virginem habere progenitores Reges, Duces, Principes; quibus tamen sanctitate morum, quæ vera est nobilitas, magis eluxit. Vnde quò nobilior secundùm carnem, eò demissior fuit spiritu; in quo vera est celsitudo, quam Altissimus Deus solam respexit & amauit in illa.

Secundò, dulcissimum ipsius nomen esse MARIA; quod Stellam maris, Dominam & illuminatricem significat. Ipsa enim in tempestatibus stella, contra aduersarias potestates Domina, in diuinis rebus magistra est. Vt stella viam cæli nobis aperit, vt Domina nos regit & defendit, vt illuminatrix vel magistra nos docet & instruit. Quid eo nomine dulcius, quid fortius, quid sapientius? Tu illud ama, & animo inscribe tuo.

Tertiò, summam B. Virginis nascentis perfectionem & excellentiam, à filiabus Ierusalem deprædicatam; sic enim interrogant præ admiratione Cant. 4. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Aurora est, quia media inter diem & noctem, hoc est inter homines & Deum mediatrix. Candore suo & lumine, quod à Sole iustitiæ mutuatur, omnes anteuertit: dæmonibus

denique,

denique, quorum conterit capita, in primis est terribilis.

In Colloquio petes veram animi nobilitatem; sanctitatem, inquam, & humilitatem: candorem & lucem animæ, qua dignus sis inter electos numerari: affectum in sanctissimum MARIÆ nomen, & eius contra nequitias spiritales potentissimi præsidium.

Ages postremò Sanctissimæ Trinitati gratias de hac Virginis Natiuitate; vtque nasci spiritualiter crescereque quotidie in virtute possis, per MARIÆ patrocinium rogabis.

ORATIO.

FAmulis tuis, quæsumus Domine, cælestis gratiæ munus impertire: vt quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Natiuitatis eius votiua solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum, &c.

Pater noster. Aue Maria.

EXERCITIVM IIII.

De Præsentatione B. VIRGINIS.

PRIMÒ considera, quanta sollicitudine puellula triennis à parentibus Hierosolymam deducatur; qua reuerentia ab eis in templo Deo præsentetur: quanta promptitudine & pietate ipsa tenerrima Virgo sese Deo dedicet & offerat: quanta voluptate Sacerdotes nobile istud monile in templum accipiant, & ad illi comparatum conclaue deducant. Ardent omnium

animi,

nimi, parentum, MARIÆ, Sacerdotum.

Secundò, Sanctissimæ Trinitatis in tam illustris doni receptione eximiam benignitatem. Pater recipit illam in filiam, Filius in sponsam, Spiritus sanctus in mysticam sedem: Angeli quoque in amabilem & gratissimam Dominam, cum qua suauissimè & colloquantur, & agant.

Tertiò, puellulam hanc parentes suos in ętate tenerrima relinquere, ad ignotos adire, templum pro domo eligere, flores ætatis primos Deo consecrare, vitam angelicam degere; partim lectione, partim oratione, partim manuum opere in vsus pios sanctissimè dies exigere; exẽpla virtutis suæ eximia omnibus dare, humilitatis cumprimis, simplicitatis, obedientiæ, temperantiæ, abstinentię, silentij, alacritatis ad omnia: vt in ea velut speculo refulgeret species castitatis, & forma virtutis; & ipsa etiam corporis species simulachrum fuerit mentis, & figura probitatis; talisque vniuersim fuerit, vt eius vnius vita omnium esset disciplina.

In colloquio pete gratiam, qua te Deo ex animo, sine procrastinatione vlla dones. Pete recipi à Deo in seruum saltem, si filij nomine indignus sis. Pete per MARIÆ merita & suffragia virtutes tibi necessarias vt Deo placeas; humilitatem maximè, obedientiam, castitatem, feruidam charitatem, &c.

ORATIO.

DEus, qui beatam MARIAM semper Virginem, Spiritus sancti habitaculum, in templo

templo præsentari voluisti: præsta quæsumus, vt eius intercessione, in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur. Per Dominum, &c.

Pater noster. Aue Maria.

EXERCITIVM V.

De Annuntiatione B. VIRGINIS.

PRIMÒ considera, SS. Patrum, Patriarcharú, Prophetarum, Regum, Iustorúmque omnium vota, desideria, suspiria, Messiam aduenire cupientium; Angelorum item in cælo humanam calamitatem miserantium voces, B. MARIÆ præsertim humiles ardentesque preces idem exposcentes.

Secundò, Sanctissimam Trinitatem immensa sua primùm charitate, cælestium deinde spirituum, patrumque, ac iustorum, & B. MARIÆ cum primis ardentibus suspirijs, votis, desiderijs, precibus commotam, cæleste cogere concilium: ibi Iustitię Misericordięque audientiam dare; illius iustas rationes, huius preces admittere: Filium tandem, ceu Sapientiam Patris, rem totam definire, ac seipsum pro redemptione hominum offerre: quò & satisfaciat Iustitiæ patiendo, & Misericordiæ humanum genus liberando. Hîc attende, quomodo Filij charitatem tantam commendet & amplectatur Pater; Spiritus sanctus vt amor approbet, atque admirabilem incarnandi Verbi œconomiam sua omnia offerat: quomodo osculentur

se

se Iustitia & Misericordia; Pax & Veritas: exiliant Angeli gaudio; sapientiam, charitatemque Verbi Dei admirabilem prædicent, suspiciant, venerentur.

Tertiò considera, illicò post Diuinitatis istud decretum, publicari in cælo MARIÆ nomen, per eam mysterium hoc complendum patefieri: aduocari Archangelum Gabrielem, ad summam legationem in Nazareth mitti; acceptisque à SS. Trinitate mysticis legationis suæ litteris, in Nazareth ad Virginē aduolare. Hîc vide Virginem in se recollectam, inexplicabili dulcedine perfruentem, Angelum admittere. Colloquia vtriusque expende. Admirare Virginem aspectu pudicam & verecundam, verbis prudentem, fide eximiam, castitatis virgineæ tenacem, promptissima tamen obedientia sese totam Dei nutui & beneplacito offerentem: ad cuius tam humilem quàm obedientem & caritate plenum consensum, operatione Spiritus sancti, concipitur in Virgineo vtero Dei Filius.

In Colloquio age inter cetera S^mæ Trinitati gratias immensas pro Incarnatione Filij; peteq. per Matris eius merita, virtutes, spiritaliter cōcipiendo in te Dei Verbo, in mente & corpore portando & glorificando, necessarias; puritatem præsertim, obedientiam, & veram animi demissionem.

ORATIO.

DEus, qui de B. MARIÆ Virginis vtero, Verbum tuum Angelo nuntiante carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis;

vt qui verè eam genitricem Dei credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur.

Pater noſter. Aue Maria.

EXERCITIVM VI.

De Viſitatione B. VIRGINIS.

PRIMÒ conſidera, Virginem quietis & contemplationis aliàs amantiſſimam, nec ætatis teneritudine, nec itineris longitudine, nec aſperitate montium, nec conditione ſua præcellenti, nec vlla re alia retardari; quo minùs ad charitatis & humilitatis officia Elizabethæ præſtanda, domo ſua abeat. Iam gratia plena erat, iam Dei mater effecta, iam ſuper mulieres omnes benedicta: quò tamen ſe altiorem videt, eò ſe demittere magis ardet.

Secundò, Qua feſtinatione properet, nuſquam hærens, nuſquã vagabunda, quo charitatis affectu mõtes conſcendat. Vide ingredientem tandem in domum Zachariæ; ſalutatione prẽuenientem, obſequium cognatę deferẽtem, illi de concepto filio in ſenectute & ſterilitate gratulãtem: & nota ſalutationis fructum. Ioannes, accelerato in ſe diuinitus rationis iudicio, in materno vtero Chriſtum & eius matrem agnoſcit & ſalutat, Spiritu ſancto repletur, & exultat prę gaudio. Elizabeth ſimul eodem Spiritu repleta, agnoſcit in virgineo vtero latentem Deum, & ipſam Dei iam matrem effectam: ac exclamat, Benedicta tu, &c.

Tertiò

Tertiò considera, Mariam neque tam admirandis rebus in sui præsentia effectis, neque tantis laudibus & encomiis à cognata sua prolatis insolescere, nihil sibi tribuere, se magis abijcere, in Deum referre omnia; apertoque cœlesti cordis sui thesauro, ardentibus in pectore amoris flammis, sublatis oculis & manibus in cœlum, profundissima humilitate, & feruentissima deuotione erumpere in actionis gratiarum voces, & admirabile illud Canticum depromere: Magnificat anima mea Dominum, &c.

In colloquio pete visitari à B. Virgine, & eius visitationis fructibus gratijsque gaudere. Pete à Deo per Matris suæ merita & suffragia profundam humilitatem, qua libenter alijs seruias; feruidam charitatem, qua salutem aliorum promoueas; exultationem spiritus tui, qua alacriter omnia officia tua obeas; ac Deum rebus in omnibus magnifices & exaltes.

ORATIO.

FAmulis tuis, quæsumus Domine, cælestis gratiæ munus impertire: vt quibus B. Virginis partus extitit salutis exordium, Visitationis eius votiua solemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Pater noster. Aue Maria.

EXERCITIVM VII.

De Purificatione B. VIRGINIS.

PRIMÒ considera, quo studio legi Diuinæ parendi, conferat se Virgo Mater Ierosolymam; qua reuerẽtia pretiosum illum cordis sui thesaurum IESVM filium ad templum deportet, virgineo pectori astringat; qua humilitate, immundarum mulierum instar, sui purificationem instituat, Sacerdotibus se exhibeat, ijs honorem deferat; pauperumque oblationem, par turturum, aut duos pullos columbarum offerat.

Secundò, quo pietatis affectu, cum Ioseph sponso, filium suum IESVM velut agnum immaculatum Deo offerat, ex parte sua, nostraque omnium, vt matutinum sacrificium, pacificamque hostiam in redemptionem generis humani, vnà cum Filio se ipsam quoque offerens, & iterùm Deo præsentans.

Tertiò, qua spirituali lætitia, deuotione, reuerentia, Simeon puerum IESVM in vlnas accipiat; qua voluptate gaudioque Anna vidua sanctissima & Matrem & Filium commendet, omnibusque annuntiet: quomodo Simeon Spiritu sancto & gaudio plenus, iam paratum se mori viso Domino protestetur; Maria admiretur, & exultet spiritu; Ioseph Deo gratias agat; alios omnes rerum nouitas attonitos habeat.

In decursu ipsius meditationis expende,

quàm

quàm ſuaue & dulce ſit portare IESVM in corde, multoque magis eum in Euchariſtia ſuſcipere & complecti ; quamque longè ſuauius erit, in templo illo cæleſti accipere, videre, eo ſemper perfrui.

Pete ergo purgari indies magis, vt dignè Deo offerri poſſis : imò & te per MARIÆ manus illi offer. Implora diuinam gratiam, qua IESVM perpetuò bonis cogitationibus & deſiderijs, & ſanctis actionibus, ceu ſpiritualibus vlnis, ſuſcipias & geſtes. Conuerte te poſtremò ad IESVM, eum rogans vt portari ſe à te ſinat, & oſtendat tibi aliquando faciem & ſalutare ſuum, cùm eius voluntate mortalem hanc depones corporis tui ſarcinam.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne Deus, Maieſtatem tuam ſuppliciter exoramus : vt ſicut vnigenitus Filius tuus cum noſtræ carnis ſubſtantia in templo eſt præſentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præſentari. Amen.

Pater noſter. Aue Maria.

EXERCITIVM VIII.

De Aſſumptione B. VIRGINIS.

PRIMÒ conſidera, quàm pretioſa fuerit in conſpectu Domini MARIÆ mors ; quoties illam ipſa exoptauerit, quaſi ianuam ad ſublimiorem vitam ; quomodo illi mors fuerit ſom-

nus iucundissimus ; & non tam ægritudine vlla corporis, quàm vi affectus & desiderij perfruendi Filio, maximeque gaudij de ipsius præsentis intuitu , circumstantibus Apostolis & aliis Sanctis , iubilantibus Angelis , anima illa beatissima corpore suo exiens in Filij amplexum euolarit.

Secundò considera, quanta Angelorum omnium exultatione , quantis canticis pretiosissima anima in cælum ad S^mæ Trinitatis thronum vsque adierit ; quàm ei certatim Sancti omnes gratulati sint, illique egerint gratias , quòd Filium Dei Saluatorem suum in vtero concepisset , mundo porrexisset , omniaque illi obsequia detulisset. Hinc te refer ad Apostolos ; examina eorum tristitiam de tantæ parentis & magistræ absentia , permixtam tamen non mediocri lætitia, quòd eam scirent patronam se apud Deum habituros. Cogita, quantis lacrymis corpus illud sacratissimum loculo imposuerint, & in humeros suos extulerint ; quibus canticis ad sepulchrum detulerint ; sepulto qua pietate adstiterint.

Tertiò considera, corpus nobilissimum non fuisse conuersum in cinerem & putredinem; sed paucis ab obitu diebus animam sanctissimam diuino imperio ad illud rediisse , illi sese coniunxisse , & in cælum transtulisse. Considera ergo , quo cælestis curiæ triumpho , quibus canticis assumpta sit MARIA in cælum, innixa super dilectum Filium suum, stipata innumeris Angelorum agminibus: aliis Deo suo

conclamantibus; Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ: aliis ascendentis Virginis pulchritudinem & delitias hoc modo admirantibus; Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum? Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. Tandem excipitur à Sanctissima Trinitate beneuolentia incredibili, & in parato sibi solio coronata, ac totius cælestis curiæ Domina Reginaque declarata, ad Filij dexteram collocatur, coram ea Sanctis omnibus coronas suas deponentibus, & in Dominam Principemque suam festiuo triumpho accipientibus. *Psal.* 131. *Cant.* 8. *Cant.* 3.

In Colloquio cum Apostolis Virgini parenti tuæ omnia offer obsequia, in cælum abeuntem prosequere, eius gloriam admirare, Reginam cæli & terræ in Dominam tuam accipe, & pete quæ suggeret spiritus tanta rerum magnitudine inflammatus.

ORATIO.

SVbueniat, Domine, plebi tuæ Dei Genitricis oratio: quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cælesti gloria apud te pro nobis intercedere sentiamus.

IMploramus clementiam tuam, omnipotens Deus, vt qui Assumptionem Dei Genitricis colimus, à cunctis malis imminentibus eius intercessione liberemur. Per Dominum, &c.

Pater noster Aue Maria.

CAPVT II.

SALVTATIONES B. VIRG. MARIÆ

Ex diuersis sumptæ.

SALVTATIONIS ANGELICAE *paraphrastica explicatio.*

VE mater Dei, mater gratiæ, mater misericordiæ; quæ nobis Deum hominem, Verbum carnem feciſti; & Deum iratum nobis Patrem miſericordiarum, & Deum totius cõſolationis, partu tuo & virtute ſingulari effeciſti.

Aue Regina cæli & terræ, quæ fuiſti, es, & eris ſemper ſine væ peccati & maledicti, verè in omnem æternitatem beatiſſima.

Aue pax, gaudium, & ſalus mundi, quæ cælum terræ, nos Deo conciliaſti.

Maria. Nomen poſt filij tui nomen ſuper omne nomen: nomen in quo poſt Filij nomen benedicuntur omnes nationes terræ: nomen in quo flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Nomen tibi conuenientiſſimum; es namque mare amarum dæmonibus, ſtella in hoc mundo nauigantibus, illuminatrix in his tenebris agentibus, imò & Angelis in cælo gaudentibus.

Gratia plena. Impleta es gratia, & Euæ nulla in te fuit culpa. Singulis gratia se est largita per partes: in te verò totam se effudit gratiæ plenitudo.

Dominus tecum. Tecum in corde, tecum in corpore, tecum auxilio. Nec tantùm Dominus Filius tecum, quem carne tua induis; sed & Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis; & Dominus Pater, qui ab æterno in splendore gloriæ genuit, quem tu in tempore paris.

Benedicta tu in mulieribus. O femina super omnes feminas benedicta, quæ virum non nosti, & virum tuo vtero circumdedisti. Verè benedicta, quæ fuisti excelsior cælo, latior terra, maior vniuerso: nam Deum quem mũdus non capit, sola cepisti. Portasti, Deum, qui portat orbem; genuisti genitorem tuum, nutriuisti omnium viuentium nutritorem. Benedicta tu, quæ & parientis & sterilis maledictione ablata singularem consecuta es benedictionem, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Tu verè benedicta, quæ sola sine viri coniunctione filium genuisti.

Et benedictus fructus ventris tui IESVS. Verè benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum ceteris, etsi differentiùs à ceteris. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Benedictus fructus, ex quo ligni mortis amaritudo dulcescit; & vita perdita reparatur.

Bene-

Benedictus fructus, ex quo vitalis panis Dominici Corporis, & salutare immortalitatis poculum conficitur.

SALVTATIO B. VIRGINIS

Ex B. Ephræm Syro,

Sermone de laudibus Virginis.

AVe præclarum & electum vas Dei.
Aue Domina Maria, gratia plena.
Aue inter mulieres Virgo beatissima.
Aue stella fulgidissima, ex qua Christus processit.
Aue lux splendidissima, mater & virgo.
Aue, quæ admirabiliter Regem omnium peperisti.
Aue, per quam clarissimus sol iustitiæ nobis illuxit.
Aue Regina ac Domina cūctis sublimior.
Aue canticum Cherubim & Seraphim, & hymnodia Angelorum.
Aue pax, gaudium, consolatio, & salus mundi.
Aue humani generis lætitia.
Aue Patrum pręconium & decus Prophetarum.
Aue pulchritudo Martyrum & corona.
Aue gloria & laus in solitudine degētium.
Aue præclarissimum cælestis hierarchiæ ornamentum.
Aue pulchra hymnigraphorum omnium oratio.

Aue præſtantiſſimum totius orbis terræ miraculum.
Aue terrigenarum omnium oblectamentum.
Aue paradiſe delitiarum, totiuſque amœnitatis & immortalitatis.
Aue lignum vitæ, gaudium & voluptas.
Aue lilium conuallium, & vallis fideliũm.
Aue portus tranquilliſſime, & à fluctibus procelliſque agitatorum liberatrix deſideratiſſima.
Aue opitulatrix periclitantium.
Aue progenitoris illius Adam reſurrectio.
Aue iucunda libertas.
Aue communis parens omnium.
Aue fons gratiæ & totius conſolationis.
Aue peccatorum refugium atque diuerſorium.
Aue laborantium propitiatorium.
Aue profugium in Ieroſolymis.
Aue throne Creatoris noſtri glorioſiſſime.
Aue ſplendor æui, illuſtriſſime ac fulgentiſſime.
Aue ſpes omnium proborum, rebus aduerſis afflictorum.
Aue dulce conuerſorum ſolamen atque præſidium.
Aue virorum pariter atque mulierum Regina, & patrona.
Aue Dei & hominum mediatrix optima.
Aue totius terrarum orbis conciliatrix efficaciſſima.

Aue Domina noſtra, fœdus pacemque fidelibus tuis impetrans.
Aue gloria & lætitia omnium Sacerdotum.
Aue Virgo ſolitariorum ſolatium.
Aue Regina ſupernorum ciuium, & Domina Angelorum.
Aue porta cælorum, & ſcala, aſcenſuſque omnium.
Aue portarum cæleſtis paradiſi reſeramentum.
Aue noſtra conſolatrix, quæ mœrores ſedaſti, & oppreſſorum moleſtias leniiſti, cunctaſque oppreſſiones ſuſtuliſti.
Aue clauis regni cæleſtis.
Aue portus tutiſſime in hac vita nauigantium.
Aue animæ noſtræ ſpes fida & optima.
Aue firma ſalus vniuerſorum Chriſtianorum ad te ſincerè ac verè recurrentium.
Aue lumen lucidiſſimum, quo mundus illuſtratur.
Aue mater alma Chriſti Filij Dei viui.
Aue noſtra omnium protectio inſignis & gloria.
Aue, quæ nullo ſpatio comprehenſum, tuo ſinu ac vlnis comprehendiſti.
Aue quæ Chriſtũ vitæ datorem educaſti.

Chriſtum, inquam, miſericordiſſimum omnium creatorem, dulciſſimum Dominum noſtrum IESVM, educatorem atque altorem totius

mundi,

mundi, benignissimum humani generis amatorem, & patrem cunctorum omnipotentem. Cui conuenit omnis honor, gloria, decus, & potentia in perpetuum, laus & iubilatio atque magnificentia, vnà cum æterno Patre, & sancto Spiritu, nunc & semper, & in infinita sæcula sæculorum. Amen.

SALVTATIO B. VIRGINIS

Ex Andrea Episc. Ierosolymitano.

AVe gratiosa, Dominus tecum.
Salue lætitiæ organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est, ac pleni gaudij facta compensatio.
Salue verè benedicta.
Salue illuminata.
Salue magnificũ diuinæ gloriæ templum.
Salue consecratum Regis palatium.
Salue thalame, in quo Christo humanitas desponsata est.
Salue electa Deo, antequam nata fueris.
Salue Diuina cũ hominibus reconciliatio.
Salue thesaure vitæ immarcessibilis.
Salue cælum, solis gloriæ cæleste tabernaculum.
Salue Dei ager ampliſſime, quem nullus alius locus nisi tu sola comprehendere potest.
Salue sancta virginalis tellus, ex qua nouus Adam ineffabili fictione formatus est, qui veterem saluti restitueret.

Salue ſanctum Dei fermentum, quò tota generis humani maſſa conſperſa eſt, & ex vnico Chriſti corpore ceu panis factus in vnũ coijt incredibilis concretio.

Salua ſis immenſi gaudij genitrix.

Salua ſis noua gloriæ arca, in qua Dei ſpiritus delapſus quieuit.

Salue vrna aurea, quæ eum fers qui dulce manna reddit, ac mel è petra ingrato Iſraëli elicuit.

Salue Seraphica myſtici anthracis fibula.

Salue contemplatiuæ cognitionis intellectuale ſpeculum, per quod celebres ſpiritus Prophetæ incredibilem Dei ad nos deſcenſionem myſticè adumbrauerunt.

Salue dioptra perſpectiua, per quam, qui in peccatorum triſti vmbra ſedebant, recipientes deſupercum gloria venientem ortum iuſtitiæ ſolem, mirabiliter illuſtrati ſunt.

Salue Prophetarum & Patriarcharum omnium ornamentum, nec non inueſtigabilium Dei oraculorum præconium veriſſimum.

Benedicta tu inter mulieres: nam benedixit te ſibiipſi Deus in tabernaculum.

Benedicta tu in mulieribus, quæ cæleſtem theſaurum, in quo alij omnes ſapientiæ & cognitionis theſauri ſunt reconditi, in tuto virginitatis tuæ velut promptuario liberrimè es complexa.

Tu verè benedicta, cuius venter aceruus quidam areæ; quoniam fructum benedictionis, spicam immortalitatis, Christum inquam, sine seminantis ac coloni opera perfectissimè produxisti; messem copiosam, infinita millia congratulantium sibi de salutis nostræ operario, adduxisti.

Tu verè benedicta, quæ sola præ matribus omnibus digna es habita mater conditoris tui.

Reuerà benedicta tu, quæ sola sine viro concepisti, & in vtero eum gessisti, qui cælos expandit, ac virginitatis tuæ terram cælestem reddidit.

Benedicta tu in mulieribus, quæ sola benedictionem es sortita, quam Deus gentibus per Abraham promiserat.

Benedicta tu, vt quæ benedicti pueri IESV Seruatoris nostri mater es nuncupata.

Benedicta tu inter feminas, quam beatam omnes generationes prædicant, reges glorificant, quam potentatus adorant, cuius in conspectu ditissimi ex populo dona litant, quam & à tergo sequentes & præeuntes virgines in Regis templum comitantur.

Benedicta tu inter mulieres, quam Isaias propheticis oculis conspicatus, Prophetissam & Virginem nuncupauit.

Verè benedicta tu, quam Ezechiel Propheta verum solis ortum proclamauit, portam occlusam, à solo Deo recluſam, ac rursus concluſam.

Sola tu verè benedicta, quam montem magnum vir ille desiderabilis Daniel vidit.

Verè tu benedicta, sensu intellectuq. prædita, viuidi salutis nostræ ligni paradisus, quæ ipsum horti Eden colonum, Christum inquam Dominum, intra te habes, figuris in te adumbratum: qui ineffabili quadam potentia fluminis instar viuiparum vterum tuum egressus, quatuor velut initiis per Euangelium suum orbis faciem irrigauit.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Fructus de quo comedens Adam protoplastus, euomuit veterem illam deuorationem, qua deceptionis escam sumpserat.

Benedictus fructus ille, qui ex incorrupto virginalis vteri surculo, veluti perfectus mirabiliter matures cens botrus, enatus est.

Benedictus fructus, ex quo fontes scaturiunt aquæ in vitam salientis æternam.

Fructus, ex quo vitalis ille panis, corpus inquam Dominicum, producitur; & immortalitatis calix, salutaris potio exhibetur.

Benedictus fructus, quem sanctum omnis lingua celebrat, cælestium, terrestrium, & infernorum: in triplicitate sacrosanctæ quæ in Trinitate est Deitatis, vnum & idem quod ad essentiam confitentes; proprietate verò eorum quæ peculiariter sibi quisque habet, in personis segregantes. Amen.

SALVTATIO D. VIRGINIS

Ex D. Epiphanio,

Sermone de laudibus S. MARIÆ.

AVe gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in lampade gestans lucem inexstinguibilem, sole splēdidiorem.

Aue gratia plena. Hami esca spiritalis; in te siquidem hamus diuinitas.

Aue gratia plena, gloriæ spiritalis.

Aue gratia plena, quæ es vrna aurea continens manna cæleste.

Aue gratia plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias.

Aue gratia plena, mare spiritale habens gemmam cælestem Christum.

Aue gratia plena, splendidum cælum, quæ in cælis incomprehensum contines Deum.

Aue gratia plena, quę Cherubicum thronum diuinitatis fulgore superas.

Aue gratia plena, quæ cæli circulum habes, & Deum incomprehensum angusto potissimùm loco in te ipsa contines.

Aue gratia plena, nubes columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum.

O Virgo pura, sancta mater Domini, beata sponsa Trinitatis indiuiduæ!

Beata tu inter mulieres, quę Deum & hominem omnium creatorem velut infantem in terra peperisti.

Beata tu inter mulieres, quæ sola in terra Deum cælestem concepisti.

Beata tu inter mulieres, cuius vbera suxit is qui alit vniuersa.

Beata tu inter mulieres, quæ nunc genuisti eum, qui olim in paradiso formauit Adam è luto.

Deipara existis, quæ Deum Verbum in forma serui concepisti.

Deipara existis, quæ Verbum in te incarnatum peperisti.

Deipara existis, quia Deum Verbum suscipiens incarnatum peperisti.

Deipara existis, quæ sola solius Dei vnigenitum Filium genuisti.

O vterum impollutum, habentem circulum cælorum, qui Deum incomprehensum, in te verò comprehensum, portasti!

O vterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti!

O vterum, qui cælum es septem circulis constans, & capacior illis existis!

O vterum septem cælis sublimiorem, atque latiorem!

O vterum septem firmamentis celsiorem!

O vterum inextinguibile lumen septies lucentis gratiæ!

Per te, ô sancta Virgo, pax cælestis donata est mundo.

Per te homines facti sunt Angeli.

Per te homines appellati sunt amici, serui, & filij Dei.

Per te homines meruerunt esse conserui Angelorum,& cum eis familiariter conuersari.

Per te notitia cœlestis, à terra transmittitur in cœlos.

Per te homines fiduciam habent in cœlo erga Altissimum.

Per te crux resplenduit per vniuersam terram.

Per te mors conculcatur, & spoliatur infernus; ceciderũt idola,& excitata est notitia cęlestis.

Per te cognouimus vnigenitum Filium Dei, quem sanctissima Virgo peperisti, Dominum nostrum IESVM Christum; quem omnes Angeli, atque homines adorantes, dicimus principio carentem Patrem, carentem principio Filium,&principio carentem Spiritum sanctum, Trinitatem indiuiduam & consubstantialem glorificantes in sæcula sæculorum. Amen.

SALVTATIO B. VIRGINIS, *ex Chrysippo Presbytero Ierosolymitano.*

AVe.tuũ enim est reuerà auere & gaudere. Gratia plena. quia tecum est vniuersus lætitiæ thesaurus;totius lætitiæ & gloriæ rex, cum ancilla; cum speciosa inter mulieres, speciosus forma præ filiis hominum; cum puella impolluta,is qui sanctificat omnia.

Tecum est conditor omnium. Tecum, inquam, vt ex te gignatur: tecum conceptione, vt ex tuo partu generetur: tecum velut Deus, vt ex te sit Deus & homo.

Aue igitur ſemper.
Aue gratia plena.
Aue fons lucis omnem hominem illuminantis.
Aue ſolis ortus, qui nullum ferre poteſt occaſum.
Aue armarium vitæ.
Aue quæ es hortus Patris.
Aue quæ es pratum totius fragrantiæ ſancti Spiritus.
Aue radix omnium bonorum.
Aue ſpecimen gemmæ omne pretium excedentis.
Aue vitis vuas pulchras producens.
Aue nubes pluuiæ potum animis Sanctorum exhibentis.
Aue quæ es puteus ſemper viuentis aquæ.
Aue quæ es rubus ardens igne ſpiritali, nuſquam tamen adureris.
Aue porta clauſa, ſoli Regi aperta.
Aue mons, vnde lapis angularis abſciſſus eſt ſine manibus.

SALVTATIO B. VIRGINIS *ex Methodio Martyre, Oratione in Hypapantem Domini.*

BEnedicta tu celeberrima & omnibus deſiderabilis. Tuum, Dei Genitrix, nomen diuinis benedictionibus & gratiis omni ex parte eſt refertum.
Tu fidelium fax.

Tu incircumscripti (si ita fas loqui) circumscriptio.

Tu speciosissimi floris radix.

Tu Creatoris mater.

Tu nutrix omnia nutrientis.

Tu cuncta continentis & comprehendentis comprehensio.

Tu illius gestatrix, qui verbo suo portat vniuersa.

Tu porta, per quam Deus in carne exortus est.

Tu purificantis carbonis forceps.

Tu præangustus illius sinus, qui sinu suo omnia complectitur.

Tu incomprehensibilis illius roris vellus.

Tu Bethleemitica illa cisterna, quam velut vitæ refocillatricem Dauid desiderauit, & ex qua immortalitatis poculum cunctis emanauit.

Tu propitiatorium, per quod Deus humanam naturam indutus mortalibus innotuit.

Tu impollutum illius indumentum, qui luce vt vestimento circumfunditur.

Tu Deo, alioquin nullius rei indigo, carnem, quam non habebat, dedisti, vt homo verè appareret.

Tu admirabilem Incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuam dedisti.

Tu potentem illum corpore tamquam decenti quadam panoplia induisti, per

quam ipſe facilè à me caperetur & cerneretur.

Euge, euge Mater Dei & ancilla. Euge, euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus ſub fœnore mutuatur: Deo namque vniuerſi debemus, tibi verò ipſe debet.

Deficiet nos, quæque poſt nos futuræ ſunt generationes, tempus, ſi tibi Matri Regis ſæculorum, dignam tuæ beatitudinis prædicationem tribuere nitamur; vt celeberrimus quodam loco Propheta, nos erudiens quàm prorſus ſis incomprehenſibilis, aiat; Quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus habitationis eius? Magnus, & non habet finem; excelſus & immenſus.

Tu enim ſanctiſſimũ admirabiliſſimumque Dei habitaculum.

Tu ſola ſimul cum Deo, eorum quæ Dei ſunt, partem habere digna fuiſti; ſola Deum generans carne indutum, ex Deo Patre vnigenè ac ſempiternè genitum.

Tu Deum mortalibus generationis principium tribuentem, vberibus tuis ſubiectum habes.

Salue ergo in æternum indeſinens noſtra lætitia, Dei genitrix Virgo.

Tu feſti noſtri principium, tu medium, tu finis, pretioſiſſima regni margarita.

Tu verè omnis ſacrificij pinguedo.

Tu animatum panis vitæ altare.

Salue amoris Dei Patris theſaure.

Salue fons dilectionis Filij generis nostri.
Salue sancti Spiritus mons obumbrate.

Fulgurasti, ô Genitrix, suauia nobis dona producens; fulgurasti luminis solaris ardentissimis facibus, feruentissimæ nempe dilectionis æstu; quod ante principium conceptum fuerat, in fine pariens: palàm faciens occultatum eatenus sacramentum, ineffabilem inuisibilis Patris Filium, pacis sequestrum, & admirabili quodam modo omni breuitate minorem factum.

Propterea te deprecamur præstantissimam omnium matrisque nomine liberè gloriantem, memoriam indesinentem nostri retine, sanctissima Dei Genitrix. nostri inquam qui in te ornamur, hymnisque diuinis memoriam tui, nullo tempore desituram sed perpetuò victuram, celebramus. Amen.

Salutatio ad singula B. MARIÆ V. *membra.*

TOta pulchra es MARIA, & macula non est in te.

Speciosa & omnis labis expers es, ô Virgo purissima, ac perinde sis in æternum benedicta.

Benedictum sit caput tuum, cælesti sapientia plenum.

Benedicti sint capilli tui, castissimas mentis tuæ cogitationes significantes.

Benedicti sint gratiosi oculi tui, quibus prima meruisti videre Filium Dei.

Benedictæ sint genæ tuæ, quas solus IESVS infantulus suauissimè deosculatus est.

Benedictum mellifluum os tuum, quod dulcissima oscula Dei Filio impressit.

Benedictæ sint aures tuæ, quæ primæ ab ore Angelico Sanctissimum nomen IESV audire dignæ habitæ fuerunt.

Benedicta sanctissima lingua tua, quæ prima post Angelum sanctissimum nomen IESV nominare meruit.

Benedictum collum tuum, quod IESVS sæpenumerò teneris brachiis suis strinxit, & dulciter amplexatus est.

Benedicta brachia tua, quæ IESVM gestarunt.

Benedictum pectus tuum, cui frequens dulcissimum filiolum applicuisti.

Benedicta vbera tua, quæ IESVM lactare, & ab illius diuinis labris contingi meruerunt.

Benedicta sint beata viscera tua, quę nouē mensibus IESVM ęterni Patris Filium portauerūt.

Benedictum sit purissimum gremium tuum, in quo IESVS adhuc infantulus sæpè suauissimè requieuit.

Benedicti pedes tui, qui amore IESV magna sæpè itinera confecerunt.

O Dulcissima mater IESV, da mihi IESVM filium tuum: da inquam illum mihi in ea forma, qua eum in stabulo peperisti, qua pannis inuoluisti, & super fœnum in præsepi ante bouem & asinum collocasti.

Da mihi illum in illa specie, qua illum post mortem de cruce solutum, toto corpore lacerum, sanguine perfusum, plagisque & vulneribus plenum, inter brachia tenuisti, & in se-

pulchrum intulisti. Obsecro te Domina, sepel[1] eum in anima mea, & in sepulchro cordis mei remotis tua interceſſione quibus ſcatet ſordibus.

O MARIA mater Dei, totus anxius quæro IESVM ſponſum formoſiſſimum miſeræ animæ meæ. Ideóque obſecro largire illum mihi: aut certè, ſi propter ſcelerum meorum immanitatem hoc beneficio indignus ſim, doce me vt minimùm, quomodo illum requirere valeam.

O Virgo benigniſſima, intellexi eum in ſanctæ orationis horto inueniri; & in huius rei argumentum, in horto, dum precibus ad Patrem concipiendis intentus eſſet, capi voluiſſe: proinde humiliter ſupplico; vt me illuc introducas, quandoquidem tu non tantùm horti huius ianua, ſed & oſtium es Paradiſi, theſauraria cæli, & diſpenſatrix omnium gratiarum. Adiuua infirmitatem meam; & quod mihi ad hanc gratiam obtinendam deeſt, hoc tua bonitas perpetuò cum Sanctiſſima Trinitate coniuncta ſuppleat: meque tandem famulum tuum minimum & abiectiſſimum in cæleſti gloria videre faciat, quæ de te & Filio tuo ſemper credidi, & firmiter ad vltimum vitæ ſpiritum credere ſtatui; eodem adiuuante, qui gratia ſua fecit me Eccleſiæ Catholicæ Romanæ filium & perpetuum ſeruum.

O Virgo puriſſima, & ſingulare animæ meæ ſolatium, ne ſperne quas pauper ſeruus tuus, immundis labiis, & fœtido pectore, in honorem tuum fundit laudes: ſuppleat oro bonitas

& puritas tua, quod mihi deeſt ad meritum, quo faciliùs aſſequar æternæ vitæ præmium. Et tu Domine IESV Chriſte, noſtrorum ſolue vincula peccatorum: & intercedente beata & glorioſa ſemperque Virgine genitrice tua MARIA, cum omnibus Sanctis, nos famulos tuos, benefactores, omneſque conſanguinitate, affinitate, aut quauis familiaritate nobis coniunctos, à vitiis purga, virtutibus illuſtra, à malo viſibili & inuiſibili protege, carnalibus deſideriis libera; quò omni hoſte remoto, vnà cum Patre & Spiritu ſancto, puro corde laudemus, ac in tuo Matríſque tuæ beatiſſimæ ſeruitio ad finem vſque perſiſtamus. Amen.

MODVS PIE RECITANDI ROSARIVM B. VIRG. MARIAE, AVT CORONAM EIVSDEM.

ROsariũ Deiparæ virginis recitaturus (quod quinquies orationem Dominicam, & quinquagies salutationem Angelicam complectitur) dicto Pater noster, *subiungat decem* Aue Maria: *& vbi in singulis deuenerit ad illud* IESVS, *vnum ex infrà scriptis mysteriis, quæ in cuiusq. Rosarij decade proponuntur, addat, & pia cogitatione reuoluat: si quis verò Coronam D. Virginis (quæ 63.* Aue Maria *& 7. Pater noster continet) recitare voluerit, ad sextã decadem eadẽ mysteria repetere, & ad tria vltima* Aue Maria *virtutes subiectas, vel alias pro cuiusq. deuotione, per intercessionem gloriosissimæ Virginis à Deo poterit deposcere. In fine autẽ, vel in principio addatur Symbolum.*

PRIMVM ROSARIVM GAVDIOSVM.

Ad decadẽ	I.	quę	Virgo concepisti IESVM.	S. Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ. Amen.
	II.		Visitãdo Elizabeth portasti.	
	III.		Virgo genuisti.	
	IV.		In Tẽplo præsentasti.	
	V.		In Templo inuenisti.	
	VI. repete prædicta quinque mysteria.			
	Tria Aue quino bis augeat			Fidem rectam. Spem firmam. Charitatẽ perpetuam.

II. RO-

II. ROSARIVM DOLOROSVM.

Ad decadem

I.	qui pro nobis	Sanguinem fudauit.	S. Maria mater Dei ora pro nobis peccatorib⁹ nūc & in hora mortis nostræ. Amē.
II.		Flagellatus est.	
III.		Spinis coronatus est.	
IV.		Crucem baiulauit.	
V.		Crucifixus est.	
VI. repete quinque prædicta mysteria.			
Tria Aue	qui nobis	Intellectum illuminet.	
		Voluntatē perficiat.	
		Memoriam roboret.	

III. ROSARIVM GLORIOSVM.

Ad decadem

I.	qui	Resurrexit à mortuis.	S. Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ. Amen.
II.		Cælos ascendit.	
III.		Spiritum sanctum misit.	
IV.		Te assumpsit.	
V.		Te in cælis coronauit.	
VI. repete prædicta quinque mysteria.			
Tria Aue	qui	Dirigat cogitationes.	
		Regat verba.	
		Gubernet opera.	

CAPVT

REGINA
PATRIARCHARVM.

CAPVT TERTIVM.

LITANIÆ, ET ORATIONES PATRVM.

LITANIAE *Beatißimæ Dei Genitricis* MARIAE, *in ſacra æde Lauretana dici & cantari ſolitæ.*

YRIE eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sãcta Trinitas vnus Deus, Miſerere nobis.

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
ater Chriſti,
Mater diuinæ gratiæ,
Mater puriſſima,
Mater caſtiſſima,
Mater inuiolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,

} Ora pro nobis.

Mater Saluatoris,
Virgo prudentiſſima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum iuſtitiæ,
Sedes ſapientiæ,
Cauſa noſtræ lætitiæ,
Vas ſpirituale,
Vas honorabile,
Vas inſigne deuotionis,
Roſa myſtica,
Turris Dauidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Ianua cæli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Conſolatrix afflictorum,
Auxilium Chriſtianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apoſtolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confeſſorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Aue Maria.
Vers. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.
Resp. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

GRatiam tuam, quęsumus, Domine mentibus nostris infunde: vt qui Angelo nuntiante Christi Filij tui incarnationem cognouimus, per passionem eius, & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

LITANIÆ B. MARIÆ *Virginis*
Ex Scriptura sacra.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sãcta Trinitas vnus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro nobis.

Approbata à Sede Apostolica ad instantiam Serenissimi Ducis Bauariæ.

Sancta

Sancta Virgo Virginum,
Mater viuentium,
Mater pulchræ dilectionis,
Mater ſanctæ ſpei,
Paradiſus voluptatis,
Lignum vitæ,
Domus ſapientiæ,
Porta cæli,
Deſiderium collium æternorum,
Ciuitas refugij,
Vrbs fortitudinis,
Vena vitæ,
Clypeus omnibus in te ſperantibus,
Gloria Ieruſalem,
Sanctuarium Dei,
Tabernaculum fœderis,
Tabernaculum Dei cum hominibus,
Propitiatorium Altiſſimi,
Altare Thymiamatis,
Scala Iacob,
Arca Teſtamenti,
Speculum ſine macula,
Virga Moyſis,
Virga Ieſſe,
Lilium inter ſpinas,
Rubus ardens incombuſtus,
Vellus Gedeonis,
Thronus Salomonis,
Turris eburnea,
Fauus diſtillans,
Hortus concluſus,
Fons ſignatus,

Ora pro nobis.

Puteus aquarum viuentium,
Nauis institoris de longè portans panem,
Mulier amicta sole,
Stella matutina,
Aurora consurgens,
Pulchra vt luna,
Electa vt sol,
Castrorum acies ordinata,
Solium gloriæ Dei,
} Ora pro nobis.

A cunctis periculis, Libera nos mediatrix nostra.
Per sanctam natiuitatem tuam, libera.
Per venerabilem præsentationem tuam, libera nos mediatrix nostra.
Per admirabilem annuntiationem tuam, libera nos mediatrix nostra.
Per mundissimam purificationem tuam, libera nos mediatrix nostra.
Per gloriosam assumptionem tuam, libera nos mediatrix nostra.

Peccatores,
Vt veram pœnitentiam nobis impetrare digneris,
Vt Ecclesiæ sanctæ cunctoque populo Christiano pacem & veram concordiam impetrare digneris,
Vt Principibus nostris de hostibus victoriam impetrare digneris,
Vt exercitum Catholicum conseruare digneris,
Vt famulos tuos ad te confugientes
} Te rogamus audi nos.

protegere & conſeruare digneris,
Vt fidei, ſpei, & charitatis augmentum nobis impetrare digneris,
Vt mentis & corporis integram puritatem nobis impetrare digneris,
Vt veræ humilitatis omniumq. virtutũ præſidia nobis impetrare digneris,
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam impetrare digneris,
Mater Dei,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Aue Maria.
Verſ. Saluos fac ſeruos tuos.
Reſp. Deus meus ſperantes in te.
Verſ. Memor eſto congregationis tuæ.
Reſp. Quam poſſediſti ab initio.
Verſ. Fiat pax in virtute tua.
Reſp. Et abundantia in turribus tuis.
Verſ. Protector noſter aſpice Deus.
Reſp. Et reſpice in faciem Chriſti tui.
Verſ. Ne auertas faciem tuam à nobis.
Reſp. Et ne declines in ira à ſeruis tuis.
Verſ. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.
Reſp. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat. Oremus.

CONcede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosa beatæ MARIÆ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ.

DEus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

ECclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte: vt destructis aduersitatibus & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate.

DEus omnium fidelium pastor & rector, famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei, quæsumus, verbo & exemplo quibus præest proficere; vt ad vitam, vnà cum grege sibi credito, perueniat sempiternam.

DEfende, quæsumus Domine, beata MARIA semper Virgine intercedente, istam ab omni aduersitate familiam; & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuêre clementer insidiis.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulos tuos, & super populos & congregationes illis commissas, spiritum gratiæ salutaris; & vt in veritate tibi placeant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

DEus, largitor pacis, & amator charitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam: vt ab omnibus quæ nos pulsant tentationibus liberemur.

PIetate tua, quæsumus Domine, nostrorum solue vincula peccatorum: & intercedente beata Dei genitrice Virgine Maria, cum omnibus Sanctis tuis, nos famulos tuos benefactores atque loca nostra in omni sanctitate custodi, omnesque consanguinitate, affinitate, & charitate nobis coniunctos à vitiis purga: virtutibus illustra: pacem & salutem nobis tribue: hostes visibiles & inuisibiles remoue: carnalia desideria repelle: aërem salubrem & fertilitatem indulge: amicis & inimicis nostris charitatem largire: atque Prouinciam nostram, cum omnibus in ea habitantibus, ab omni peste, infideliumque feritate & potentia, illæsam conserua: & omnibus fidelibus viuis & defunctis, in terra viuentium vitam & requiem concede: & Pontificem nostrum, Episcopos, Principes, & cunctum populum Christianum, ab omni aduersitate custodi: & benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Benedicamus Dño. *Resp.* Deo gratias.

Vers. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. *Resp.* Amen.

ORA-

ORATIO DIVI EPHRÆM SYRI,
Sermone de laudibus D. VIRGINIS.

INuiolata, integra, planeque pura ac casta, Dei genitrix MARIA.
Regina omnium, spes desperantium, Domina nostra glorioſiſſima, eademque optima ac præcellentiſſima.
Sublimior cælitibus, candidior ſolis radiis & fulgoribus.
Honoratior Cherubim, & multis oculis claris ſpiritibus perſpicacior.
Sanctior Seraphim, & incomparabiliter reliquis omnibus ſupernis exercitibus glorioſior.
Vnica ſpes Patrum.
Gloria Prophetarum.
Præconium Apoſtolorum.
Honor Martyrum.
Lætitia Sanctorum, & lumen probatiſſimorum, Abraham, Iſaac, & Iacob.
Decus Aaron.
Splendor Moyſis.
Gedeonis vellus.
Cœtus Hierarcharum omniumque Sanctorum, ac Virginum corona ob immenſum fulgorem atque ſplendorem inacceſſa.
Thuribulum aureum.
Lucerna ſanctiſſima.
Vrna pulcherrima cæli manna geſtans.
Tabula ſcriptam legē mortalibus adferēs.
Arca vera.

Charta diuiniſſima.
Princeps omnium prudentiſſima ac ſagaciſſima,& lucifera virgo.
Conſolatrix ſanctiſſima.
Dux vniuerſorum.
Puella ſacratiſſima.
Rubus ardens incombuſtus.
Prædium patens.
Viridis Aaronis virga.
Tu Deum genuiſti & hominem.
Virgo ante partum, virgo in partu, virgo poſt partum.
Per te reconciliati ſumus Chriſto Deo noſtro,Filio tuo dulciſſimo.
Tu peccatorum, atque auxilio deſtitutorum, vnica aduocata es,atque adiutrix.
Tu portus naufragantium tutiſſimus.
Tu mundi ſolatium.
Tu orphanorum ſuſceptio.
Tu captiuorum redemptio atq. liberatio.
Tu ęgrotantium exultatio,mœſtorumque conſolatio,& omnium ſalus.
Tu Monachorum ac ſolitariorum ſtabilimentum,& ſpes ſæcularium.
Tu virginum gloria,corona,ac gaudium.
Tu mundi lætitia, ô Domina princeps, atque Regina præſtantiſſima, & perquam benedicta,puella honoratiſſima, & dominarum Domina puriſſima atque caſtiſſima.

Sub tuum præſidium confugimus ô ſancta Dei genitrix, ſub alis pietatis atque miſericor-

diæ

diæ tuę protege,& cuſtodi nos. Miſerere noſtri, qui ſordibus peccatorũ conſpurcati ſumus: qui ſceleribus atque delictis quamplurimis creatorem Deum noſtrum & iudicem vniuerſorum offendimus. Ne aduerſus nos inſoleſcat ac glorietur ſatanas pernicioſiſſimus: ne in nos inſurgat deteſtãdus inimicus noſter: ne ſeruos tuos à tui ſpe excidere cognoſcamus: néve calumnietur nos detrectãtium lingua. Non nobis eſt alia quàm in te fiducia, ô Virgo ſinceriſſima. Ex vlnis ſiquidẽ maternis tibi Domina noſtra dediti ſumus miſeri, tuique clientes appellati. Ne igitur à maligno ſatana ad inferni portas abduci nos ſinas. Tu enim noſter es portus, ô Virgo intemerata, & præſes, pia auxiliatrix: ſub tua denique tutela & protectione toti ſumus. Quare ad te vnicam confugimus, crebriſque te lacrymis ô beatiſſima Mater imploramus, tibique procidimus ſuppliciter clamantes, & deprecantes, ne dulcis Filius tuus, Saluator noſter, & vitæ omnium dator, ob plurima quæ commiſimus ſcelera, è medio tollat nos, miſerabileſque animas noſtras inſtar leonis diripiat, aut ſicut ficum ſterilem nos excîdat.

Ceterùm obſecramus, vt ad Chriſtum ſecuri peruenire poſſimus, aulaſque illas Beatorum ſubire, vbi non ſunt lacrymæ neque luctus, non vexatio, non moleſtia, non calamitas, non mors, non cruciatus, non locorum anguſtiæ, ſed lætitia inexhauſta, voluptas iuſtorum maxima, delitiæ infinitæ, exultatio, & iubilatio, gloria & ſplendor.

Repleat deinceps os meum gratia dulcedinis tuæ, ô Domina, & illumina mihi mentem ô gratia plena: moue linguam meam & labia, ad laudes tibi alacriter lætóque animo decantandas, & præsertim dulce illud melos Angelicum longè celebratissimum, quod Angelus Gabriel in Nazareth seruili habitu, ad te Virginem, matrémque Dei mei integerrimam, clamans cecinit; salutationem inquam maximè congruentem, & decentem, & dignissimam mundi salutem, cunctarúmque animarum medelam atque tutelam. Amen.

Alia ORATIO *ex eodem.*

IMmaculata & intemerata, incorrupta & prorsus pudica, atque ab omni sorde & labe peccati alienissima Virgo, Dei sponsa, ac Domina nostra, quæ Deum & hominem mundo mirifica & glorioſa conceptione tua peperisti, Deúmque Verbum hominibus miro modo consociasti; vnica spes desperantium, oppressorum auxilium, & ad te recurrentium præsentaneum subleuamen, omnium denique Christianorum firmum præsidium; me maximum peccatorem, enormibusque meis cogitationibus, verbis, ac factis effectum vilissimum, atq. adeò fallaces voluptatum illecebras animo planè seruili atque abiecto amplexatum, ne auerseris obsecro. Quin potiùs, sicut mitissimi ac clementissimi Dei mater es, ita me peccatorem benignissimè susci pe; & meam sordidissimam, impurisque labiis expressam orationem clementer admitte: nec non dulcem Filium tuum,

meum

meum autem Dominum ac Deum, maternis pietatis tuæ viſceribus amanter libenterque exora, vt ipſe mihi quoque illa inexhauſtæ miſericordiæ ſuæ viſcera reſerare dignetur; & poſtpoſitis innumerabilibus peccatis meis, ad ſalutarem me pœnitentiam conuertat, ſuáque me rectiùs complere mandata faciat.

Adeſto mihi nunc & ſemper, ô Virgo Dei genitrix, mater miſericordiæ benigna & clemens: in præſenti quidem vitæ curſu feruens protectrix atque auxiliatrix, hoſtiles quoſcumque impetus à me auertens, & in via ſalutis me cõſtituens; ac in extremo vitæ articulo miſeram animam meam conſeruans, & tenebroſos atq. horrendos peſſimorum dæmonum aſpectus ab ea procul repellens: in tremendo autem die iudicij, ab æterna me damnatione liberans, & poſtremò in numerum iuſtorum me referens, atque inacceſſæ tui Filij & Dei gloriæ mè heredem efficiens. Quod vtinam per piam interceſſionem tuam atque patrocinium, Domina mea, ſanctiſſima Dei mater, mihi, & omnibus humiliter ad te recurrentibus, & ſpem totam in te figentibus, poſt hoc exilium concedatur gratia, miſeratione, & benignitate vnigeniti tui Filij Domini, Dei, ac Saluatoris noſtri IESV Chriſti: quem decet omnis gloria, honor, potentia & adoratio, cum æterno eius Patre, & ſancto ac viuifico Spiritu, nunc & ſemper, & in æterna ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO *ad* BEATAM VIRGINEM *Germani Episcopi Constantinopolitani, in Encomio* B. VIRGINIS *præsentatæ.*

O MARIA Dei sponsa, nos te fide benedicimus, desiderio honoramus, & metu adoramus; te semper extollentes, te laudantes, & te venerabiliter beatam pronuntiantes. est enim reuerà pater tuus beatus inter viros, & beata mater tua inter mulieres: beata domus tua, & beati noti tui: beati qui te viderunt, beati qui tecum sunt versati, beati qui tibi seruierunt: beata loca tua, beatum templum in quo fuisti oblata: beatus Zacharias qui te vlnis suis est amplexus, beatus Ioseph qui te despondit: beatus lectus tuus, & beatum sepulchrum tuum. Tu es enim honor honorantium, & præmium præmiorum, & altitudo altitudinum: sed ô mihi sola Domina, mea ex Deo consolatio, sola æstus in me existentis diuinus ros, cordis mei exardescētis guttæ diuinitus fluentes, tenebricosæ meæ animæ splendidissima lampas, dubitationis meæ directio, debilitatis meę potentia, nuditatis meę vestimentum, mendicitatis meæ diuitiæ, insanabilium vulnerum meorū medicina, lacrymarum mearum ablutio, gemituum meorum cessatio, calamitatum mearum restauratio, dolorum meorum releuatio, vinculorum meorum solutio, salutis meę spes. Exaudi orationes meas, miserere inquam mei: lacrymis meis inclinata viscera tuæ benignitatis erga me commoue, vt decet Dei in homines propensi matrem. Aspice,

atque

tque annue ſupplicationi meæ: imple ſitiens
nimæ meæ deſiderium.

Rogo te prætereà, vt in gaudio illo quod re-
ierà verbis non poteſt exprimi, perpetuiſque
lelitiis & inſatiabilibus, & in regno eius quod
aret veſpera & numquam terminatur, eos col-
oces, qui fide & deſiderio hoc venerandum
uum feſtum peragunt. Certè Domina Dei
arens, meum refugium, vita, auxilium, arma-
ura, exultatio, ſpes & robur meum, da mihi
ilij tui ineffabilibus incomprehenſiſque do-
is frui, in ſupercæleſti illa manſione; habe-
is enim, modò velis, eius efficiendi, ſat ſcio (vt-
ote Altiſſimi mater) facultatem, atque ob id
tiam petere audeo. Ne igitur exſpectatione
nea frauder, Domina puriſſima; ſed eius com-
os reddar, ô Dei ſponſa, quæ vniuerſorum ex-
pectationem ſupra rationem peperiſti, Domi-
um noſtrum IESVM Chriſtum, verum Deum
& Dominum, quem decet omnis gloria, honor
rque adoratio, cum Patre principij experte, &
iuifico Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula
æculorum. Amen.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

ELOGIA varia, quæ vel à Scriptura sacra vel à sanctis Patribus Beatissimæ VIRGINI tribuuntur.

ELOGIA *à Vita.*



CONSIDERA quomodo Sanctissima VIRGO dicatur
Ab æterno ordinata. *Prou.8.*
Inter omnes prælecta. *Cant.6.*
Patribus cælitus promissa. *Gen.3.*
Mysticis præfigurata miraculis. *Isa.7.*
Oraculis prænuntiata Prophetici.
ine peccato concepta.
erpentis caput conterens.
ucerna inextincta. Ardens ab ipsa concetione igne amoris,& lucens aliis sanctitate vie & doctrinæ. *Prou.31.*
erra sacerdotalis & immunis.
as sanctificationis. *B. Ildeph. cap.10.*
as electionis.
as solidum auri, ornatũ lapide pretioso. *B. Ephræm.*
egali ex progenie exorta. *Matth.1.*
irga de radice Iesse. Recta, tenera,sine pecto,aut passione quæ molestet. *Isai.11.*
ella Iacob. Sole clarior, ex stirpe Iacob, luns in familia Iacob , suaque illustri vita illuinans , & in admirationem rapiens posteros *Num.24.*

Iacob,

Iacob, ait B. Ignatius Epistola ad D. Ioannem Stella tamen à Christo solo lucem suam accipiens, qui est verus Iacob, supplantator dæmonis, cuius aduentum prænuntiauit virgo Maria, etiam ipsa supplantatrix conterens caput serpentis.

In templo præsentata.

Prou. 31. Vniuersas filias supergressa.

B. Hildef. Singulare virginitatis exemplar.

Exod. 25. Candelabrum aureum, septem lucernis ornatum. Quia instar auri, constans in tribulationibus, erecta in Deum, septem donis Spiritus sancti ornata, & ad hominum vtilitatem velut septem brachiis lucernarum accensa & dilatata, oleo gratiæ Diuinæ in singulis repleta ardens igne charitatis, lucens vita & doctrina coram oculis Domini.

Nardus odorifera. Emittens odorē suum, non retinens; quia qualis in oculis suis erat, talis haberi cupiebat ab aliis: vilis videlicet & abiecta.

Balsamum aromatizans.

Cant. 3. Virgula fumi ex vniuersis aromatibus. Sic licet ad cælum tendens, & in cælum semper intenta; sed tenuis, sine pinguedine aut diuitiis mūdi: sicca sine passionum humoribus, obscuri sæculo; sed redolens Deo virtutum exercitiis tamquam aromatibus cōtritis & pila contusa.

ELOGIA *à pulchritudine.*

QVæ de pulchritudine dicentur, licet magis de spirituali accipienda sint; nil tamen obstat, quin etiam de corporali intelligantur. *Lib. de Laud. Virg.* De qua inter alios Albertus Magnus: Habi-

MARIA ſummum & perfectiſſimum in pulchritudine, quod potuit eſſe in mortali corpore, ſecundùm ſtatum vitæ operante natura. Sicut enim Dominus noſter IESVS CHRISTVS fuit ſpecioſus forma præ filiis hominum: ita beatiſſima VIRGO, pulcherrima & ſpecioſiſſima inter filias hominum, &c. Itaque conſidera quomodo in Canticis canticorum dicatur VIRGO

Sponſa, cuius nomen oleum effuſum.

Pulchra inter mulieres.

Nigra & formoſa ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

Aſſimilata equitatui regis in curribus Pharaonis.

Aſcendens per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij.

Vna matri ſuæ, vna dilecta genitrici ſuæ.

Vulnerans cor ſponſi in vno oculorum, in vno crine colli ſui.

Donata murenulis aureis vermiculatis argento.

Suauis & decora ſicut Ieruſalem.

Flos campi & lilium conuallium.

Cuius ſtatura aſſimilata palmæ.

Filia principis, cuius greſſus pulchri in calceamentis ſuis.

Cuius manus diſtillant myrrham.

Cuius digiti pleni myrrha probatiſſima.

Cuius vmbilicus crater tornatilis numquam indigens poculis.

Cuius vbera ſicut duo hinnuli gemelli ca-

præ, & meliora vino, fragrantia vnguentis optimis.

Cui collum ſicut turris eburnea, ſicut turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, & pulchrum ſicut monilia.

Cui vox dulcis, & facies decora.

Cui caput vt Carmelus.

Cui labia ſicut vitta coccinea.

Cui dentes vt greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.

Cui oculi ſicut piſcinæ Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis, & ſicut columbarum.

Cui naſus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

Cui genæ ſicut fragmen mali punici, & ſicut turturis.

Cui coma ſicut purpura regis iuncta canalibus.

Capilli ſicut greges caprarum quæ aſcenderunt de monte Galaad.

ELOGIA *à Sanctiſſima* TRINITATE.

COnſidera quomodo B. Virgo dicatur Sponſa Dei.

Sancto Spiritu adumbrata.

Ancilla Trinitatis humillima.

Mulier circumdans virum.

Apoc. 3. Ciuitas Dei. ſcilicet firma, à Deo excellenter munita, pulcherrimè ordinata, virtutibus & gratiis ceu diuitiis ſpiritualibus inſtructiſſima.

Templum Domini.

Sacrarium Spiritus ſancti.

Taber-

Tabernaculum Dei cum hominibus. *Apoc 21.*

Tabernaculum sui creatoris.

Arca testimonij. corruptionis & peccati expers, ornata auro charitatis, habens in se virgam seu rectitudinem iustitię, cordis sui tabulis mandata Dei insculpta semper circumferens, vtero gestans panem Angelorum Christum Dominum. In qua denique Deus quieścit, inde præcipiens & loquens ad nos, ac charitatis suæ dona diffundens.

Vas aureum cæleste manna continens.

Terra germinans Saluatorem. *Isaiæ 45.*

Virga florens Aaron. Virga arida, sine succo libidinis, proferens sine viri coniunctione florem Christum, in quo requieuit septiformis gratia Spiritus. *Num. 17.*

Mensa panis propositionis. incorrupta, charitate fulgens, cincta duplici corona; aurea, hoc est, gloria essentiali, & aureola Virginum, Martyrum & Doctorum. gestans panem Christum nostris vsibus propositum.

Thronus Salomonis Christi veri pacifici.

Mons de quo sine manibus abscissus est lapis. tamquam enim mons è terra assurgit, cælo proxima, eminus conspicua: quam à mundi exordio Patriarchæ & Prophetæ, imò primi parentes conspexerunt, cùm de illa dicerent; Ipsa conteret caput tuum. Christus firmissimus lapis ex eâ sine opera humana carnem accepit, creuitque in montem ingentem qui terrarum orbem fide, cælos gloria impleuit. *Dan. 2.*

Porta Orientalis clausa. Meritò sic dicta, *Ezech. 44.*

quia Christo seruata viro, cuius nomẽ Oriens. Semper omnibus modis clausa & corpore & mente. Eam Christus Rex solus intrauit, & exiuit seruata immaculata virginitate.

Exod. 25. Sanctuarium Dei.

Soror & sponsa Dei.

Crux quæ in vlnis Dominum portauit.

Cant. 5. Ferculum Salomonis Christi Regis pacifici: quem corde, vtero, vlnis gessit, pro lignis odoriferis, habens virtutes Theologicas; pro columnis, 4. virtutes Cardinales; pro purpura, passiones & tribulationes sanguine Christi meritorias.

Martha IESVM domo accipiens.

Sepulchrum nouum & signatum Christi.

Thalamus Dei & cælestis sponsi.

Mater & thronus Dei.

Templum Salomonis sanctificatum.

Vestimentum Dei impollutum.

[a] *Methodius.* [a] Amica Dei Patris.

[b] *Bernar. Serm. 4. in Salue.* [b] Castellum IESV.

[c] *Athan. Serm. de Deipara.* [c] Filia Dei Patris.

[d] *Method.* [d] Fons humanitatis Filij Dei.

[e] *Nazianzenus* [e] Genitrix sui Creatoris.

Gaudium totius Trinitatis.

ELOGIA *ab excellentibus* VIRGINIS *priuilegiis & virtutibus.*

COnsidera cur B. Virgo appelletur [f] Mater viuentium. vt enim Eua mater est morientium, quia morituros corpore parit, & mortuos anima peccato originali producit; ita per Filium eius nascuntur ex ea, quotquot anima

[f] *Gen. 3.*

viuunt,

viuunt,& in ęternũ etiam corpore victuri sunt.
Mater pulchræ dilectionis. *Eccl.24.*
Mater sanctæ spei.
Paradisus voluptatis. *Gen.2.*
Lignum vitæ.
Domus sapientiæ. *Prou 9.*
Porta cæli. *Gen.28.*
Desiderium collium æternorum. Quia ab initio sæculi ipsam desiderarunt Sancti veteris Testamenti,qui sunt colles, si cum Apostolis & Martyribus, hoc est cum magnis montibus, conferantur; æterni tamen sunt, quia nunc in æternum regnant in gloria.
Gloria Ierusalem. *Iudith 15.*
Tabernaculum fœderis. *Exodi 25.*
Altare thymiamatis. aureum, coronatum, quadrum, cornutum: quia Virgo mater nunc amicta sole, & in capite coronam gestans stellarum duodecim; quadra,hoc est firma, in gloria,sapientia,amore, celsitudine; cum cornibus potestatis,quibus ventilat hostes suos in omnibus mundi partibus.
Scala Iacob. cælum attingens quatenus Regina cælorum est, terram verò vt est Domina mundi, Mediatrix inter Christum & Ecclesiam, per quam, vt scalam, vel collum spirituale, preces, vota, & merita ad Christum conscendunt,& inde ad nos Dei dona descendunt. *Gen.27.*
[a]Virginum caput,gloria, & magistra. [a]*Isid c.17*
[b]Virgo augustissima. [b]*Ildeph. c 1.*
[c]Virginitatis æternitas. [c]*Ambrof. lib.2.de Virg.*
[d]Virginitatis primiceria. [d]*Cyrillus Hom.6.*

[a] Virginum Regina ac mater.
[b] Virgo sancta, corpore & spiritu.
[c] Virgo perpetua, & simul mater ineffabilis.
Pudicitiæ ornamentum.
[d] Virginitatis imago & corona.
Filia Ierusalem pulchra & decora.
Ab Angelo humiliter salutata.
Gratia plena.
Inter mulieres benedicta.
Candidata virtutibus.
Cedrus exaltata in Libano.
Claustrum pudoris integrum.
Columba speciosa super riuos aquarum.
Imago veri solis expressa.
Lignũ plantatum secus decursus aquarum.
Norma castitatis & rectæ fidei.
Pratum totius fragrantiæ Spiritus sancti.
Purpura regia.
Rebecca pulcherrima.
Rosa recens & redolens sine spina.
Secretum verecundiæ.
Sion sancta, & signum magnum.
Thalamus fragrans virginitatis.
Vallis benedictionis.
Vas admirabile, & opus Excelsi.
Virga virtutis Dei.
Columba formosa.
Dapifera delitiarum.
Decora sicut Ierusalem.
Electa ex millibus.
Lilium conuallium. quia perfecta humilitas fuit in MARIA.

[a] *Hieron. lib 1. in Iouin.*
[b] *Hieron. in Apoc.*
[c] *Damasc. Serm. 2. de Natiuit.*
[d] *Bern. in Apoc.*
Bernard. epist. 244
Bernard.

Specu-

Speculum sine macula. *Sap.7.*

Lilium inter spinas. *Cantic.2.*

Rubus ardens incombustus. *Exodi 3.*

Vellus Gedeonis. Vt enim vellus solum fuit primò rore perfusum, reliqua terra remanente sicca; & secundò solum siccum, terra vniuersa madida: ita B. Virgo sola repleta fuit gratia & Spiritu sancto, gestans vtero Deum, & simul aliena à peccatis malisque desideriis, quæ per tenebrarum principes effusa omnem humanæ animæ imbuerat aream. *Iudicum 6.*

Fauus distillans. *Cant.4.*

Hortus conclusus.

Fons signatus. Fons quidem, quia gratia plena, quam in vita omnibus sensibus emisit, ad sanctificationem aliorum, vt in visitatione Elizabethæ patuit; nunc multò etiam copiosiorem emittens è cælo se inuocantibus. signatus verò, quia singularis, cui nemo similis: quia non suus, sed alterius, nimirum Dei.

Puteus aquarum viuentium.

Nauis institoris de longè portans panem. de altissimo cælo nobis deferens per pelagus huius vitæ, panem cælestem, qui Christianos nutrit, confortat & recreat. *Prou.31.*

Aurora consurgens. Aurora è tenebris Synagogæ exorta, verum præcurrēs & proferens solem iustitiæ Christum. aurora humectans hanc postremam sæculi partem sua benignitate. consurgens; tum quia cælestis ei gloria accidentaria indies crescit, tum quia suis beneficiis non cessat sui laudandi occasionem nobis præbere. *Cantic.6.*

Pulchra vt luna. à Filio Iustitiæ sole eam gratiam & id lumen accipiens, quo & noctu, & interdiu, & semper luceat.

Electa vt sol. vt sol CHRISTVS electus ex millibus, sic MARIA ex millibus mulierum.

Cantic. 6. Castrorum acies ordinata. terribilis dæmonibus, ex quo Filium peperit, & multò magis ex quo iam clarificata.

Ierem. 14. Solium gloriæ Dei.

ELOGIA *à præcellenti* VIRGINIS *gloria.*

Cant. 8. CONsidera quomodo dicatur
Deliciis spiritualibus affluens.
Super dilectum suum innixa.
Super choros Angelorum exaltata.

B. Chrysost. liturg. Facta mater honoratior quàm Cherubim.
Glorioſior quàm Seraphim.

B. Ildephonsus. Domina cæli & terræ, & rerum omnium.
Mulier amicta sole, omniumque mulierum decus.
Duodecim stellis coronata.
Regina cælorum à dextris Filij adstans.

Psal. 44. In vestitu deaurato varietate circumdata.
Quam laudant astra matutina.

Off. Eccleſiaſticum. Psal. 44. Cuius pulchritudinem sol & luna mirantur.
Cuius vultum deprecantur omnes diuites plebis.
Abyssus miraculorum.
Cælum animatum.
Continens eum qui nusquam contineri potest.

ELOGIA B. VIRGINIS *à nobis.*

CONsidera quare B. VIRGO vocetur, & à nobis dici possit,

Mater misericordiæ.

Aduocata nostra & omnium iniquorum.

Anchora fida & sacra his qui tempestate iactantur.

Aquæductus cælestium gratiarum.

Arca Noë salutaris & noui Testamenti.

Armarium vitæ.

Arcus fœderis in nubibus cæli.

Botrus vitis. Vinea est Ecclesia translata de Ægypto huius sæculi, cuius primus & copiosissimus botrus est B. VIRGO, quæ de plenitudine sua recreat vniuersos.

Ciuitas refugij. *Num.* 35.

Clypeus omnibus in ipsam sperantibus.

Clibanus in quo sacrificium coquitur.

Columba Noë fidelissima.

Contritio prauitatis hæreticæ.

Crater tornatilis. quippe qui multum vini continere solet, maximè si rotundus sit. MARIA tornatilis fuit, id est, leuigata & munda etiam in externa conuersatione, mobilisque & resignata ad omnem Dei voluntatem. Crater multum continens Diuinæ gratiæ, multum meritorum etiam ad nostram vtilitatem.

Cupressus in monte Sion. Arbor procera, firma, odorifera, fertilis, trifera, Ianuario, Maio, Septembri; hieme, æstate, autumno. B. VIRGO in monte Sion, qui est Ecclesia,

omnibus Sanctis gloria sublimior, firmissima sanctitate, suauitatem virtutum spirans, exemplo odorifera, calorem adferens frigidis, feruorem tepidis, ardorem calidis.

Curatio vulnerum immedicabilium.

Dioptra perspectiua. Geometricum instrumentum, quod altitudinem, distantiam, &c. per duplicia foramina sibi opposita ostendit. Qui nosse volet, quàm procul à Deo & perfectione absit, inspiciat vitam & mores B. VIRGINIS. duplicia foramina sunt actiones & verba, inuicem sibi respondentia: si cum illis nos conuenimus, vicini erimus Christo; eumque per illa, ceu dioptræ, facillimè intuebimur.

Expectatio præmiorum nostrorum.

Fenestra Cæli & Arcæ. Ecclesia diluuio persecutionum sublimata est, & illustrior facta. In hanc Christus sol iustitiæ diffundit radios suos per fenestram Virginem MARIAM, per quam etiam in mundum intrauit.

Festiuitatis nostræ principium & finis.

Firmamentum diuidens aquas ab aquis.

Fluuius de loco voluptatis egrediens.

Fons vberrimus totius Trinitatis, & vniuersam terram irrigans.

Gloria & corona iustorum omnium.

Hester populum liberans.

Honorificentia populi nostri.

Hortus plantationum, non seminatus.

Illuminatrix cordium.

Iudith pulcherrima, de hoste triumphãs.

Liber obsignatus.

Lignum

Lignum vitæ ſingulis menſibus reddens fructum ſuum.
Lucerna à Domino illuminata.
Luna plena.
Lux carens fuligine culpæ.
Mare pacificum.
Mater timoris & magnitudinis.
Microcoſmus. Hoc titulo B. Brigitta Matrem Dei non immeritò honorare ſtuduit; non ſolùm quòd ipſa vt ceteri homines ex omnibus mundi partibus aliquid contineat, quod nimis vulgare eſſet, ſed quia Deum continentem omnia continet. 2. Quia vniuerſum mundum repræſentat Regina cæli, & Domina mundi, ſicut Rex regnum, & Magiſtratus ciuitatem. 3. Quia quidquid pulchrum, quidquid dulce, quidquid iucundum in mundo eſt: hoc MARIA, hoc in MARIA, hoc per MARIAM eſt. 4. Quia vt in mundo quærunt & inueniunt homines commoda vitę, ſpem, expectationemque rerum magnarum: ſic ſacratiſſima VIRGO eſt Vita, Dulcedo, & Spes noſtra.
Miraculorum effectrix.
Myrrha electa ſuis precibus, quas ceu lacrymas à ſe emittit, conferens ſuis incorruptionem à peccatis: myrrha verò electa ſingularis, & præſtantiſſima, & Deo gratiſſima.
Mortis deſtructio.
Nutrix panis cæleſtis & ſalutis omnia nutrientis.
Pauor ſpiritualium nequitiarum.
Pax & gaudium mundi.

Platanus iuxta aquas. latissimè expandens misericordiæ ramos, & sua nos vmbra protegens à tentationibus dæmonis, ardore carnis, & ira Dei omnipotentis.

Plantatio rosæ in Iericho. hoc est, in mutabili luna, hoc scilicet mundo inconstanti, exhibens nobis candorem rosæ puritate vitæ, ruborem charitate, suauitatem meritis ad Deum & precibus.

Porta fulgida lucis & vitæ.

Portus tranquillus.

Propitiatorium vniuersæ terræ.

Propugnaculum fidei Christianæ.

Resurrectio Adami.

Sceptrum rectæ doctrinæ & fidei Orthodoxæ.

Sion sancta, & signum magnum.

Species Iacob, & spes nostra.

Stella vitæ & à sole illuminata.

Stella maris, ac lumen studiosorum.

Tabernaculum testamenti.

Thesaurus vitæ immortalis.

Vita nostra, & Vmbraculũ Spiritus sancti.

Abyssus misericordiæ profundissima.

Balsamum non mixtum.

Causa salutis generis humani.

Cisterna Bethleemitica. Cisterna enim est, subterranea, ampla, recipiens cælo aquam pluuiæ, quam conseruat puriſſimam Virgo profundissimè humilis, capax multæ gratiæ cælestis; quam sine vllo puluere peccati retinet, nosque eius participes facit. Est iuxta Bethleem,

domum

omum ſcilicet panis, quæ eſt ſancta Eccleſia;
t in ea non deſit panis cæleſtis quo veſcamur,
ee aqua qua potemur.
Egrotantium exultatio.
'ax fidelium.
'ons perennis curationum.
'ons gratiæ & conſolationis.
'orma diſciplinæ Chriſtianæ.
Iæreſeôn cunctarum interemtrix.

Sub tuum præſidium confugimus, ſanctiſſima Dei genitrix virgo MARIA. Noſtras depreationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris: ed à cunctis periculis libera nos ſemper Virgo lorioſa. Amen.

GLORIA
PROPHETA
RVM.

CAPVT QVINTVM.

HYMNI ET PIA CARMINA DE B. V. MARIA.

Hymni Eccleſiaſtici celebriores.

I.

QVEM terra, pontus, æthera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam
Clauſtrum MARIÆ baiulat.

Cui luna, ſol, & omnia
Deſeruiunt per tempora;
Perfuſa cæli gratia,
Geſtant puellæ viſcera.

Beata mater munere,
Cuius, ſupernus artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris ſub arca clauſus eſt.

Beata cæli nuntio,
Fecunda ſancto Spiritu,
Deſideratus gentibus
Cuius per aluum fuſus eſt.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

II.

O Glorioſa Domina,
Excelſa ſuper ſidera:

Qui te creauit prouidè,
Lactasti sacro vbere.
Quod Eua tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent vt astra flebiles,
Cæli fenestra facta es.
Tu Regis alti ianua,
Et porta lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

III.

ALma Redemptoris mater, quę peruia eęl
Porta manes, & stella maris; succurre ca-
denti
Surgere qui curat populo: tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum genitorem
Virgo priùs ac posteriùs, Gabrielis ab ore
Sumens illud AVE, peccatorum miserere.

IIII.

AVe Regina cælorum,
Aue Domina Angelorum:
Salue radix, salue porta,
Ex qua mundo lux est orta.
Gaude Virgo glorioſa,
Super omnes speciosa:
Vale ô valdè decora,
Et pro nobis Christum exora.

V.

REgina cæli lætare, alleluia.
Quia quem meruisti portare, alleluia.
Resurrexit sicut dixit, alleluia.
Ora pro nobis Deum, alleluia.

VI.

SAlue Regina, mater misericordiæ.
Vita, dulcedo, & spes nostra salue.
Ad te clamamus exules filij Euæ.
Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle.
Eia aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.
Et IESVM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.
O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo Maria!

Eiusdem HYMNI *siue* CANTICI *paraphrastica explicatio per R.P. Ægidium Schondonchum* Soc. IESV.

SAlue alti generis Regina, atauisque creata Regibus, effulgens solio, atque incincta coronis
Sidereis, mundi spectabilis Heroina.
Mater, quã didicit miseratio dicere matrem.
Mater, cui cor molle preci, Dea amabilis orbi.
Vita, necis domitrix, arborque ipsissima vitæ.
Salue Diua, fauis & longè mitibus vuis
Dulcior: oro, fauis nostra hæc absynthia leni.
Quippe es dulcis apis: tu mella fauosq. fauoris
Cudis, aculeolis nec quemquam apis optima pungis.

Ergo

Ergo iterùm ſpes orbis aue, inclinata reorum
In te ſpes, hominumq. in te pia vota recumbũt.
Audi Nympha: ad te lacrymis clamamus obortis.
Nos Euæ ſoboles, non illacrymabilis, exſors
Extorriſque horti, quem flamma Cherubica ſepſit
Ancipiti mucrone: audi genus ærumnoſum.
Indiga namque tui mens, & ſtudio icta fideli,
Suſpirans gemit; en madefacta per ora ſolutę,
Irrequietæ oculis lacrymæ, ceu flumine, manant.
Valle ſub hac, luctum æternat plorabilis Echo,
Quodq. vnum quit, ait repetitis vocibus, Eheu!
Eia ergo, Patrona reis, litiſque ſequeſtra,
Huc illos pia volue oculos, qui lumine ſolem
Lunamque anteeunt: oculos, quorum igne Tonantem
Vſiſti, atque recèns proli genitæ arriſiſti.
Quique tuo quondam fuit vbere pendulus infans,
Quemque vtero enixa es caſtæ alui pignus IESVM,
Blanditias hominum, ſpectandum, ô optima, præbe
Poſt longa exilia; has animas contage ſolutas
Corporea, dum Mors in auita ſede reponet.
O clemens! quem Iuſtitia enſem intentat inultis
Criminibus, prohibe à iugulis, ferrumque coërce.
O pia! ceu volucris pullos alit, vbere proles

Mater-

Materno lactas,& gnati vulnere pascis.
O dulcis MARIA,ingenui inlibata pudoris
Virgo, ingens te hinc fama, orbem permensa volatu
Sera canet,te hinc iuge attollet laudibus ęuum.

VII.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Aue,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Euæ nomen.
Solue vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum:
Vt videntes IESVM,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,

Spiritui ſancto,
Tribus honor vnus.

Idem HYMNVS *paraphraſticè expoſitus per eumdem P. Ægid. Schondonchum Soc.* IESV.

Aue maris ſtella, &c.

OCæcâ in nebulâ lampas, ſiduſque ſalubre
Oceano, fax noctis aue: freta turgida placa
Freta Deo, & clemens maria indignantia leni,
Iactatiſque diu illuni ſub nocte, age ſtella
Exorere, intremus fugitãtem vt deniq. portum.
Nata Deo, atque enixa Deum, omni imperuia culpæ
Agna, parens Agni (noxam qui diluit orbis,
Quiq. ſuũ proprio rubefecit ſanguine vellus)
Virgo es, iuge cui decus inculpata perennat
Virginitas: ſic fœta olim ſine ſemine tellus,
Nil gremióve ſubacta, vel vllo ſaucia tactu,
Educat eximium, decus horto nobile, florem.
O iterùm ſalue reſerati ianua cæli;
Ianua, circumuenta dolis quam clauſerat Eua.

Sumens illud aue, &c.

Accipiens aure illud Aue, vocemque ſalutis,
Ales quam Gabriel paranymphus fuderat ore;
Concipienſque vtero, peperiſti germen Oliuæ:
Vnde Deumque homineſque inter Pax aurea creuit.
Hæc modò pænè obiit: germen Pacalis Oliuæ
Succidit Bellona, fames & peſtis adedit.
Intereà, Pax illa ſubinde repullulat: atqui,
Vix enata ſolet denaſci: ita peſtifer aër
Pubentémve vrit, vel adultam bella reuellunt.
Ergo age Pacis amans, oleam pacemq. redona,
Quam belli attriuit rabies: da Nympha, ſecũdis

Auſpi-

Auſpiciis fundata omni Pax floreat æuo.
Sic Euæ inuertes nomen; quodque intulit Eua,
Tollet Aue: hoc ignominiam lapſumq. refellet:
Namque antiquai deles veſtigia culpæ.
Corporis en nos carcer habet, ſcelerumque catenis — *Soluevinclareis, &c.*
Deprimimur; tu viſe inopes, & vincla reorum
Diſſoluas, quæ quiſq. ſibi amēs crimine nectit.
Nos etenim cæci proprio ſæpè arma dolori
Cudimus, & ratio ſpiſſa ſub nocte laborat.
At cæcis de luce tua fer ſplendida lumen:
Et mala, quæ miſeros cingunt, ſtantque agmine circùm,
Pelle. potens voti, formidandæque repulſæ
Neſcia, poſce malis cumulum fontemque bonorum.
Te noſtramque Deique, omni in diſcrimine, Matrem — *Monſtra te eſſe matrem, &c.*
Eſſe doce; noſtriſque tuiſque rogatibus aurem
Præbeat, & geminata benigniùs audiat ora
Ille, cui mentem tetigit miſeratio noſtri,
Dignatuſque tuo eſt fieri de ſanguine Natus.
O præſtans Virgo, tot lecta è millibus vna, — *Virgo ſingularis, &c.*
Mitiſque ante alias, noſtris nos exue culpi;
Noſque iræ vacuos, mites & pectore blando
Eſſe iube, & caſtos, ne nos Venus igne venenet.
O intacta viro genitrix, nil labis auitæ,
Téve, vteríve tui infecit, Virgo innuba, florem.
Preſide te, puram exigimus ſine crimine vitam; — *Vitam præſta puram, &c.*
Quitque Cupidinibus, Duce te, caro bella mouere.
Nos porrò ad ſuperos traduc, Dea, calle ſecūdo.

Mors iter est, aptum insidiis; tum dirus oberrat
Cúcta Satan, spoliisq. inhiat, prædæq. parat se.
At tu, tutum iter hoc præsta, vt potiamur IESV
Alloquio aspectuque; illoq. è fonte perennem
Lætitiæ sitiamus & exantlemus amorem.
Intereà Genitor, Filique & Spiritus alme,
Trine Deus, tua laus, nullique obnoxius æuo
Æqualis tribus vnus honos & gloria viuet.

Sit laus Deo Patri, &c.

R.P. Iacobi Pontani Societ. IESV HYMNVS.

FEsta Matris Christiani,
Matris atque Virginis,
Cærimonia decenti
Et sonoris cantibus,
Euge sedulò colamus,
More auorum scilicet.

Vita mundi, lumen orbis,
Lumen immortalium,
Trinitatis grata sedes,
Aula sancti Spiritus,
Prima gratiæ repertrix,
O MARIA diceris.

Antequam Deus locaret
Orbis istam machinam,
Te sibi delegit ipse
Præ puellis omnibus,
Et parentem nominauit
Exitu mirabili.

Non rigata, non arata
Terra frugem reddidit;
Quando Virgo non marita
Germinasti Filium,
Ima summis copulasti,

Fluxa cum manentibus.
Gloria & decus sit illi
Sempiterna in tempora,
Qui MARIAM consecrauit
Tam nouis honoribus,
Nempe Patri, Filioque
Et sacrato Flamini.

Veneratio B. VIRGINIS *per eumdem.*

O Qualibus præconiis,
Cælestium, terrestrium,
Silentiumque principum,
Te magna Mater efferam?
Cunctis es vna celsior,
Diuinitati proxima:
Tu Cherubim formosior,
Tu Seraphin illustrior.
Tu stella solem proferens,
Ingens voluptas cælitum:
Corona tute es aurea,
In qua facit gemmam Deus.
Tu prima suaue canticum,
Modularis inter virgines,
Agnique per vestigia
Tu dux es incedentium.
Veram videte Bethsaben,
Dextra assidentem Filio:
Mater rogat quidquid lubet,
Præstat rogata Filius.
Regina salue præpotens,
Nostrisque rebus consule:
Tuos ab alto mitiùs
Mundi sequestra respice. Amen.

EPIGRAMMA *R.P. Franciſci Remondi, Soc.* IESV, *in illa D. Auguſtini,* HINC LACTOR VBERE, HINC PASCOR VVLNERE.

VBera me matris, nati me vulnera paſcunt,
Scilicet hæc animi ſunt medicina mei.
Nã mihi dum lacrymas dolor elicit, vbera ſugo,
Rideat vt dulci miſtus amore dolor.
At me pertentant dum gaudia, vulnera lambo,
Vt me læta pio miſta dolore iuuent.
Vulnera ſic nati, ſugo ſic vbera matris,
Securæ vt varia ſint mihi ſorte vices.
Quis ſine lacte, precor, vel quis ſine ſanguine viuat?
Sanguine, nate, tuo; lacte, puella, tuo?
Sit lac pro ambroſia, ſuaui pro nectare ſanguis;
Et me perpetuò vulnus & vber alat.

Appellationes VIRGINIS MATRIS *per R.P. Iacobum Pontanum.*

SAlue præſidium MARIA noſtrum.
Salue grandis honos, medela, virtus.
Salue Chriſtiadum anchora, aura, portus.
Salue ampliſſima ſupplicum patrona.
Salue ô feſte dies virûm piorum.
Salue lux hominum decuſque Diuûm.
Salue commiſerationis ô fons.
Salue delicium vtriuſque mundi.
Salue vno inferior Tonante tantùm.
Salue omnes ſimul antegreſſa laudes.

Baſilij Zanchij in VIRGINEM MATREM HYMNVS.

SAlue magna parens, hominum Regina Deúmque,

Et per quam cæli mitis aperta via est.
Tu nautis cynosura nites, tu carbasa tendis,
Et per te portus quassa carina subit.
Tu gentem humanam reuocas, tu lumina vitæ
Reddis, & extenta dona beata manu.
Tu præsens Dea cõcilias Natumque Patrẽque,
Ipsa tuo est terris munere parta salus.
Tu Stygios inuicta canes, nigrantia monstra
Disiicis, & diri regna superba Iouis.
Per te cælestesque chori, vitæque perennes
Humano gaudent se sociasse choro.
Tu superũ lux alma micas, tibi lumina Phœbus
Cedit, & extremo quæ nitet orbe soror.
Felix prole parens, nullique obnoxia culpæ,
Humanum decoras prole micante genus.
Iam te gemmato cinctam diademate crines
Cœlicolæ aspiciunt, oraque fixa tenent.
Iam Natum radiantem auro, sceptrisq; paternis
Læta vides terris, & dare iura polo.
Illius Regina potens auerte furorem,
Deponat iusta tela trisulca manu.
Det populis pacem æternam, det gaudia vera,
Aspiciat propiùs quasque redemit oues.

ORATIO *D. Gregorij Nazianzeni ad* B. VIRGINEM MARIAM.

In fine Tragicomœdiæ Christi Patientiæ.

VEneranda ô Virgo, casta, felicissima,
Quando beata nunc beatorum in polo
Exuta quidquid fæcis humanæ, sedes
Æternitatis pallio ornata, vt Dea
Habita, senectæ expers, supremo ex æthere
Benigna adesto vocibus meis; preces

Admitte virgo ô inclyta, hic quando tibi
Verbi parenti, sed supra modum tamen
Legemque, solus inter omnes contigit
Honor. ego fretus his tibi me audentiùs
In verba supplex offeram; & suauissimo
Cõtextam ab horto, qua tuum exornem caput,
Coronam, ô Domina, proferam: vt quæ gratia
Modum supra omnem me tua semper leuans,
Me genere quouis casuum eruis omnium,
Hostes apertos, quodque longè maius est,
Illos latente machina qui me petunt,
Auertis. At tu, quod precor summum, id mihi
Concede; vita sic vt excedam, illius
Vt tantùm habens te præsidem semper, velut
Ingentem opum vim, te tuum erga Filium
Mihi patronam sentiam acceptissimam.
Ne me ergo tradi tu sinas tãquam ad crucem,
Ludibrioque illius exponi, omnium
Iuratus hostis qui sit, & mortalium
Pestis. Tuere me, atque ab æterno assere
Igne & tenebris, per fidem qua iustior
Sum factus, & per gratiam tuam inclytam,
Qua nuspiam vlla notior nobis fuit.
Hoc propter, ecce, texo nunc tibi memor
Gratumque carmen. O puella, gratia
Æquanda nullis, mater, & virgo supra
Omnes decora virgines, & maxima,
Quæ sola vincis omnes cælitum ordines,
Regina, Domina, generis humani bonum,
Amica semper esto tu mortalibus,
Maximaque quouis in loco mihi salus.

AMEN.

EXER-

EXERCITIVM PIVM
IN HONOREM NOMINIS MARIA:

Iam olim à deuotis D. VIRGINIS *seruis vsurpatum, & anno* 1163. *insigni miraculo probatum, Audomaropoli; cùm S. Bertini religiosus* IOSCIO, *qui illud indies recitarat, post mortem quinque rosis conspicuus omnibus diu apparuit: quarum vna ex ore, binæ ex oculis, reliquæ ex auribus funderentur, inscripto singulis vocabulo* MARIA.

Singulis in eo litteris singuli Psalmi respondent cum totidem Salutationibus Angelicis, hoc modo.

M.

MAgnificat: anima mea Dominum. *Luca* 1.
Et exultauit spiritus meus: in Deo salutari meo.
Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius.
Et misericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.
Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles.
Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.
Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham, & semini eius in sæcula.
Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.
Sicut erat, &c. Aue Maria.

A.

Psal. 122. AD te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis.
Ecce sicut oculi seruorum: in manibus dominorum suorum.
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.
Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multùm repleti sumus despectione.
Quia multùm repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.
Gloria Patri. Aue Maria, &c.

R.

Psal. 118. RETribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermones tuos.
Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.
Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.
Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas: in omni tempore.
Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.
Aufer à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisiui.

Etenim

Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur: ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.
Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: & conſilium meum iuſtificationes tuæ.
Adhæſit pauimento anima mea: viuifica me ſecundùm verbum tuum.
Vias meas enuntiaui, & exaudiſti me: doce me iuſtificationes tuas.
Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.
Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.
Viam iniquitatis amoue à me: & lege tua miſerere mei.
Viam veritatis elegi: iudicia tua non ſum oblitus.
Adhæſi teſtimoniis tuis Domine: noli me confundere.
Viam mandatorum tuorum cucurri: cùm dilataſti cor meum.
Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.
Sicut erat, &c. Aue Maria, &c.

I.

IN conuertẽdo Dominus captiuitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati. *Pſal. 119.*
Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione.
Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominum facere cum eis.
Magnificauit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Conuerte Domine captiuitatem noſtram: ſicut torrens in Auſtro.

Qui ſeminant in lacrymis : in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant: mittentes ſemina ſua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos ſuos.

Gloria Patri,&c. Aue Maria.

A.

Pſal.129. AD Dominum cùm tribularer clamaui: & exaudiuit me.

Domine libera animam meam à labiis iniquis: & à lingua doloſa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi : ad linguam doloſam?

Sagittæ potentis acutæ : cum carbonibus deſolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri,&c. Aue Maria,&c.

Jacobi Pontani verſus in nomen MARIÆ.

NOmen melliſluum MARIA, nomen
Scitum, ſuauiculum, elegans, rotundum,
Nomen lilia olens, & hortulorum
Omnes lætitiaſque, gratiaſque.
Nomen dulciſonum, aureumque prorſus,
Sanctitate & amoribus refertum,
Caſtas lætificans piaſque mentes,
Cunctis nomen amabiliſſimumque

Tonanti

Tonanti quibus est placere cordi,
Et quos lumine respicit fauenti
Quem MARIA hominem Deumque fudit.

ORATIO *ad petendam à* DEO *in pietate &* B. VIRGINIS *cultu constantiam.*

DOmine IESV Christe, qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, corda tibi matrique tuæ famulantium ad brauium supernæ remunerationis accende: & pectoribus illapsus, gratiam, qua in tuo & sanctissimæ matris tuæ semper virginis seruitio perseueremus, infunde; quò protectionis tantæ muniti præsidiis, quod te Domine donante concepimus, exequamur, & ad promissa in bono constantibus præmia aliquando pertingamus. Amen.

THESAVRI Precum & Exercitiorum Spiritualium

PARS TERTIA De sanctis ANGELIS.

CAPVT PRIMVM De SS. ANGELIS in genere.

EXERCITIVM I. De splendore cælestis Militiæ.

Ex Meditationibus B. Aloysij Gonzagæ Societatis IESV.



CONSIDERA primò NATVRALEM EXCELLENTIAM horum COELESTIVM PARADISI PRINCIPVM. Ipsi enim inter opera omnia summi artificis Dei manu condita principem locum vendicant: sunt substantiæ spiritales natura sua incorruptibiles, omniumque creaturarum nobilissimæ: intelligentia tanta, vt in rerum naturalium notitia expertes sint omnis erroris & ignorantiæ. Huic quoque tanto lumini intelligendi conformem habent volun-

tatem

tatem;ita firmam & perfectam,vt nulla perturbatione affici vel vinci possint. Si verò te conuertas ad statum in quo beneficio gratiæ nunc versantur, nullo vmquam admisso peccato cõsecuti sunt gloriam & æternam felicitatem. Adhæc in sua essentia ornati sunt habitu diuinæ gratiæ, qui eos pulcherrimos & gratiosissimos in conspectu Dei reddit. In intellectu donati sunt claro lumine gloriæ, quo facie ad faciem vident suum Creatorem,in voluntate verò habitu charitatis, quo amantes amore perfectæ amicitiæ Deum, simul amici & filij ipsius efficiuntur. Nunc ergo anima mea, contemplare horum cælestium ciuium pulchritudinem;qui instar tot stellarum matutinarum, imò clarissimi Solis,resplendent in ciuitate Dei;in quibus, tamquam in lucidissimis speculis, diuinæ perfectiones,vt infinita potentia, æterna sapientia, ineffabilis bonitas, & ardentissima Creatoris caritas relucet. O quàm amabiles,quàm puri & candidi sunt hi beati spiritus, quàm zelosi vindicandæ Domini gloriæ; atque ideò quàm digni vt à nobis peculiariter amentur & colantur! Etenim si honor (vt aiunt Philosophi) est cultus qui alicui debetur ob excellentiam vel virtutem quam in se habet; & idcircò iis hominibus (licet omnes secundùm naturam inter se sint pares) qui aliqua laude aliis præcellũt,maiorem honorem deferre solemus: quanto potiùs nos creaturæ tam viles & abiectæ, si cum cælestibus spiritibus conferamur,omnem honorem & cultum eis deferemus? cùm vnus-

quisque

quisque eorum licet minimus, in suprà commemoratis dotibus & excellentiis nobilissimum quemque hominum mortalium longè superet? Hi sunt filij illi dilecti, qui semper contemplantur faciem Patris;& candida illa & pura lilia, inter quæ ipse pascitur; & montes aromatibus odoriferis pleni,in quibus cælestis sponsus ambulat & se recreat. *Mat.18. Cant.2. & 8.*

Secundò considera numerum horum auli-corum: qui tantus est, vt non solùm excellat numerum hominum qui nunc viuunt, verùm etiam eorum qui vmquam extiterunt, aut futuri sunt vsque ad diem iudicij. similis est arenis maris & stellis quas Sapiens dicit numerari nō posse. Atque,vt asserit S.Dionysius Areopagita,maior est numerus Angelorum cuiuslibet ordinis, quàm in mundo sit in vlla rerum materialium. Millia milliū, dicebat Propheta, ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. vbi more suo Scriptura numerum certum pro incerto ponit, & quidem numerum hominum opinione maximum, vt intelligatur numerum eorum à solo Deo iniri posse; quodque apud Deum numerabile est,id apud homines esse infinitum & innumerabile. Et ideò legimus in Iob: Numquid est numerus militum eius? De quorū numero etiam dixit regius Propheta: Currus Dei decem millibus multiplex,millia lætantium:Dominus in eis in Sina in Sancto. D. Ioannes quoq. visam à se refert magnam turbam in conspectu Dei ex omnibus populis & linguis & nationibus, *Eccl. 1. Cæleſt. Hierarch. c.9. Dan.9. Iob 25. Psal.67. Apoc.7.*

quam numerare nemo poterat. Si hic electorum numerus, quem scimus minimam esse hominum partem, tam magnus est vt numerari non possit; quantum putamus fore Angelorum? Meritò autem tantum hic cælestis Monarchà habet aulicorum numerum. nam si, vt
Prou.14. dicit Sapiens, in multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis; cùm Deus sit Princeps ille excellentissimus
1. Tim.6. Rex regum, & Dominus dominantium, valdè conueniens erat vt familiam amplam, & aulam numerosam in spatioso illo regno & immenso cæli palatio haberet. O quantum gaudium & solatium tibi afferret anima mea, si multitudinem tam nobilium creaturarum, tum natura tum gratia præstantium, atque etiam gloriæ nomine beatarum, intueri posses!

Tertiò considera mirabilem ordinem à Diuina prouidentia Angelicis spiritibus decretum & constitutum, siue cum Deo, siue inter se, siue cum aliis huius mundi creaturis componantur. Si enim conferas illos cum Deo, nulla est inter eos discrepantia; omnes enim eum vnanimiter colunt & reuerẽtur tamquam solum Principem, & cælestis suæ ciuitatis Dominum. Si inter se, nulla in tanta multitudine confusio, summus ordo, admiranda distributio, diuersis intelligendi modis consentaneâ. Alius alio sublimior & excellẽtior, prout Deus illis sua arcana reuelat, eorumque ministerio in hominum salutem vtitur.

COLLOQVIVM.

ORabis Dominum, vt sicut ille ordine tam admirabili in hominum gratiam distribuit Angelorum officia; ita tibi dignetur concedere, vt ab iisdem quamdiu in via eris custodiaris, & ab hostibus defendaris. Deinde sicut illis copiosissima gratiarum dona largitus est, ita & tibi eorum precibus tribuat eorum charitatem, puritatem, & virtutes alias sic imitari; vt Angelicam in terris vitam agens merearis eis aliquando sociari in cælis, cum iisdem beatifica Dei visione fruiturus.

Pater noster. Aue Maria.

EXERCITIVM II.

De Officio SS. ANGELORVM.

PRIMÒ considera, vt beati illi Spiritus curam gerant vniuersalem omnium rerum sublunarium, earum præsertim, quæ nobis necessariæ sunt ac vtiles, & vt ab ipsis moueantur orbes cælestes. Quare omnia quę à natura acquirimus bona in hac vita, administratione Angelorum acquirimus.

Secundò considera, Deum præter naturalia, multa etiam dona cælestia, Angelorum ministerio nobis elargiri, sicut passim in Sacris litteris, & alibi videre licet.

Tertiò considera, singulis hominibus vnum aliquem eorum custodem & animæ rectorem

adiunctum esse : sine quorum custodia procul dubiò essemus nequissimi. Ipsi enim inspirant & suggerunt nobis omnia bona, auferentes à nobis prauitatem nostram,& à dęmonibus nos defendentes. Vnde rectè ait Climachus : Nisi Angeli appropient nobis, inutilis & infructuosus est omnis labor noster. Neque enim habet vim confidentiæ oratio nostra, neque munditiæ pennas vt ingredi ad Deum possit, nisi hanc è proximo assumant Angeli, qui nobis præsunt,eamque offerant Domino.

Quartò considera illos nostra bona opera ante Dei tribunal offerre, intercedere ac orare pro nobis, procurantes cõuersionem nostram, in eaque mirificè lętantes,ac de animarum nostrarum salute sibi mutuo gratulantes, propter magnum amorem quo nos prosequuntur.

Quintò considera supplere eos apud Deum vicem nostram, dum ea quæ nos facere debebamus, ipsi pro nobis faciunt. Quare nascentem Dominum pro nobis susceperunt,ac se illi associarunt:& modò assistunt cum omni reuerentia sanctissimo Sacramento pro nobis.

Colloquium fiat ad Angelos, maximè Angelum custodem; petendo ab eis,vt præter alia, à Deo tibi impetrent promptitudinem, alacritatem,& feruorem in rebus spiritualibus, necnon vehementem amorem in salutem proximi tui;auferendo abs te negligentiam, teporem,& alia vitia contraria.

Pater noster. Aue Maria.

HYMNVS *ad* SS. ANGELOS.

AVete mentes lucidæ,
Noſtræ ſalutis vindices,
Cæleſtis oræ nuntij,
Regis ſuperni milites.
Intra Tonantis Regiam
Choros agentes pſallite,
Lyris, monaulis, organis,
Tribunal ante Iudicis.
Vos in dracones Tartari
Bellum cietis perpetim,
Et nos ab Orci faucibus
Manu potenti tollitis.
Adeſte cœtus inclyti,
Adeſte tot periculis;
Et nos volatu perpeti,
Inferte cæli ſedibus.
Summo Parenti cælitum,
Magnæque Proli Virginis,
Sancto ſimul Paraclito,
Sit ſumma laus & gloria. Amen.

EXERCITIVM III.

De SS. ANGELIS in genere.

Ex Scripturis & SS. Patribus.

CONSIDERA primò, quomodo notiores nobis Angeli deſcribantur.

MICHAEL vocatur Princeps Eccleſiæ, & vnus de principibus primis. *Dan. 10.*

Apoc.12. Præliator fortissimus, & draconis antiqui debellator.
Accusatoris fratrum in profundum inferni deturbator.
Populi Dei defensor perpetuus.
Susceptor animarum.
Inductor in paradisum exultationis.
Solatium fidelium.
Protector omnium se colentium.
Dan.8. GABRIEL dicitur Visionum doctor.
Luc. 1. Ioannis Baptistæ nascituri prænuntius.
Ad MARIAM Virginem, incarnationem Filij Dei nuntiatum missus.
Matthæi 1 & 2. Deiparæ virginis custos.
Infantiæ CHRISTI comes & minister.
RAPHAEL, Angelus salutis.
Tobiæ 12. Vnus è septem spiritibus qui assistunt ante Dominum.
c. 12. Ananiæ magni filius.
c. 5. Tobiæ iunioris ductor & reductor fidelissimus.
c.8. Dæmonis apprehensor & religator.
Oblator orationum ante Dominum.
Adiutor in tribulationibus.
Consolator in angustiis.
c.12. Tobiæ senioris illuminator.

Considera secundò, quomodo Deus ab initio mundi Angelorum opera ad salutem & vindictam vti voluerit.

Gen.3. Per Cherubim viam ligni vitæ custodiuit.
Gen.16. Per Angelum humiliauit Agar sub manu dominæ suæ Saræ.

Per

Per Angelum benedictionem suam Abrahæ denuntiauit.	*Gen.* 18.
Per Angelos ortum Isaaci prædixit.	
Per Angelum immolationem eiusdem impediuit.	*c.* 22.
Per Angelos Loth è medio peccatorum pereuntium eduxit.	*c.* 19.
Angelus eruit Iacob de cunctis malis.	*c.* 48.
Angelus domibus Israëlitarum parcens primogenita Ægypti percussit.	*Exod.* 12.
Angelus Israëlem ex Ægypto, per mare Rubrum in terram promissam deduxit.	*Exod.* 14. *& alibi.*
Per Angelos Deus Moysi legem tradidit.	*Act.* 7.
Angelus, & Balaam & cui insidebat asinam, terruit.	*Num.* 22.
Angelus princeps exercitus Domini in auxilium Iosue missus venit.	*Iosue* 5.
Angelus Manue & vxori eius Sampsonem nasciturum nuntiauit.	*Iudic.* 13.
Angelus ob peccatum Dauidis super Ierusalem manum extendit.	2. *Reg.* 24
Angelus vna nocte in castris Assyriorum centum octoginta quinque hominum millia percussit.	4. *Reg.* 19
Angelus Danieli in lacu leonum de cibo prospexit.	*Dan.* 14.
Angelus Filij Dei natiuitatem pastoribus nuntiauit.	*Luc.* 2.
Angelorum multitudo cecinit gloriam Deo, & pacem hominibus bonæ voluntatis.	
Angeli Filio Dei in deserto ministrarunt.	*Matth.* 4.

Luca 22. Angelus Christum in agonia positum confortauit.

Mat. 28. Angelus à sepulchro Saluatoris lapidem reuoluit & ei insedit.

Luca 24. Angeli veste alba sepulchro assistentes Christum rediuiuum mulieribus prædicarunt.

Act. 1. Angeli Christo cælos ascendente Discipulis apparuerunt, & eos de reditu docuerunt.

Considera tertiò, quomodo iam inde ab initio Ecclesiæ

Angeli SS. Prophetas erudiant.

Apostolis vt nutij præstantissimi occurrãt.

Martyres in tormentis consolentur.

Confessoribus assistant.

Virgines protegant.

Ecclesiam defendant.

Regna terræ custodiant.

Cælestia munera hominibus deferant.

Dæmonis potentiam comprimant.

Bona mortalium opera Deo præsentent.

In conuersione peccatorum lætentur.

Iustorum animas egredientes in requiem deportent.

Colloquium fiet, vt (secundùm quod monet D. Bernardus super Missus) ab Angelis auxilium quæras, & occultis suspiriis, & frequentia lacrymarum; quatenus illi supereminenti Maiestati preces tuas offerant, & inde gratiam referant, qua adiutus hereditatem aliquandò capias salutis. Pater noster. Aue Maria.

Psalmus ad SANCTOS ANGELOS *è variis Psalmis conflatus.*

LAudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.

Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedic anima mea Domino: & noli obliuiſci omnes retributiones eius.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Quoniam Angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos. Gloria Patri.

Vers. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. *Resp.* Adorabo ad templum sanctum tuum, & cõfitebor nomini tuo Domine.

ORATIO.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas, concede propitius: vt à quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum.

Seraphinorum
fervor.
Cherubinorum
scientia.
Throno-
rum
Majes-
tas.

CAPVT SECVNDVM

De prima ANGELORVM Hierarchia & S. MICHAELE.

Hic vide, pie Lector, Matrem Dei in singulis Hierarchis Angelorum, medio loco constitutam; vt & posteà eam videbis inter Apostolos, Martyres, Cõfessores, Virgines, Viduas, mediam: quippe quæ omnes Angelos, ceteroſque cælites virtutibus superat; & Mediatrix apud Deum electa est (iuxta testimonium S. Ildephonsi, Serm. de B. V. 8. & 11.) Opus enim erat Mediatore ad Mediatorem istum, nec alia (D. Bernard. teste Serm. de aquæductu) vtilior quàm MARIA. *Quidquid ergo illud est quod offerre paras,* MARIÆ *commendare memento; vt ab eodem aluco ad largitorem gratiæ, gratia redeat quò influxit.*

EXERCITIVM I.

De prima ANGELORVM Hierarchia.

Ex D. Bernardo lib. 5. De consid.



PRIMÒ putemus SERAPHIM Spiritus totos Diuino igne succenſos, ſuccendere vniuerſa; vt ſinguli ciues Ieruſalem ſingulæ ſint lucernæ ardentes & lucentes; ardentes charitate, lucentes cognitione. Hæc operatur in illis qui con-

didit

didit illos, vnus atque idem ſupremus Spiritus. Ardent Seraphim, ſed igne Dei, vel potiùs igne Deo: quod præcipuum eſt in eis, amant, ſed non quantum Deus, nec quomodo. Cernere eſt in his quomodo amet, qui vnde amet non habet, ſed eſt: & qui nihil horum quæ fecerit odit, quos ſaluãdos fecit quomodo foueat, quomodo prouehat, quomodo amplexetur; quomodo delicta electæ iuuentutis, & paleas ignorantiarum eius ignis ille conſumens, ipſam ſibi purgatiſſimam & ſuo amore digniſſimam reddat.

Secundò putemus CHERVBIM ex ipſo ſapientiæ fonte ore Altiſſimi haurientes & refundentes fluenta ſcientiæ vniuerſis ciuibus ſuis: & vide ne hic ſit, quem Propheta loque-
Pſal.45. batur, fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei. Cernere eſt in iis Deum ſcientiarum Dominum eſſe, qui ſolus ſolam neſciat ignorantiam, qui totus ſit lux, & tenebrę in eo non ſint vllæ; totus ſit oculus, & qui minimè aliquando fallitur, quia minimè clauditur, qui extra ſe non quærat lumen, cui admoueatur vt videat, ipſe qui videt, ipſe vnde videt. Lucent ergo & ſcientia eminent Cherubim, ſed participio veritatis: ac per hoc non vt veritas, nec quantum.

Tertiò putemus THRONOS, alto etiam ab his euolaſſe receſſu: qui ex eo quòd ſedent, Throni dicuntur; & ex eo ſedent, quòd ſedet in iis Deus. Neque enim ſedere in eis qui non ſederent, poſſet. Quæris quid illam ſentiam ſeſſionem? ſummam tranquillitatem, placidiſſi-

mam

mam serenitatem, pacem quę exuperat omnem intellectum. Talis est qui sedet in Thronis Dominus Sabaoth, iudicans omnia cum tranquillitate, placidissimus, serenissimus, pacatissimus, & tales sibi constituit Thronos simillimos sibi. In his cernere est quàm non suspectus omni innocentiæ iudex sedeat in his, qui circumuenire nolit, circumueniri non possit, quippe qui sit amans & videns. Nec vacat sessio? tranquillitatis insigne est. De vultu tali iudiciũ meum prodeat opto, cui insit amor, error absit, absit & perturbatio. Throni ergo sedent, sed insidentis beneficio iudicant & ipsi cum tranquillitate, sed non ad mensuram modúmve pacis pacantis, pacis quæ exuperat omnem sensum.

EXERCITIVM II.

De eadem prima HIERARCHIA.

Ex Meditationibus B. Aloysij.

PRIMÒ contemplare chorum SERAPHINORVM; qui velut Cubicularij secreti & intimi Regis cæli, conuenienter nomini suo non solùm sunt pleni & inflammati caritate, sed spiritalis ignis instar Diuino amore semper ardent, & simul eodem accendunt & illustrant Angelos sibi inferiores.

Secundò contemplare CHERVBINOS, ita vocatos ob plenitudinem scientiæ, maiusque lumen intelligentiæ, quo excellunt omnes reliquos inferiores spiritus; eò quòd clariùs Deum

videant,

videant,& in eo plura cognoſcant. Quare ſunt velut Conſiliarij Regis cæleſtis, clari ſcientia & ſapientia; quam etiam communicant Angelis inferioribus.

Tertiò contemplare THRONOS, qui velut familiares & intimi Dei Secretarij hoc nomine ornati ſunt, quòd ſint quaſi ſedes & Throni regij, in quibus quodammodò reſidet & quieſcit Diuina maieſtas; quam etiam, quocumque vadunt, quaſi in ſede Pontificia ſecum deportant.

EXERCITIVM
De S. MICHAELE Archangelo.
Ex Meditationibus B. Aloyſij.

CONSIDERA primò de inuicto hoc cæleſtis exercitus duce S. MICHAELE ARCHANGELO, quomodo ob egregium ſuum zelum & fidelitatem, à Deo Princeps conſtitutus ſit omnium illorum Angelorum qui ad diuerſa miniſteria in mundum amandantur.

Conſidera ſecundò, quomodo nomine MICHAELIS, quod interpretatur QVIS VT DEVS? fuerit honoratus. nam cùm ſuperbus Lucifer efferretur aduerſus Deum, eique ſimilis fieri vellet, fortiſſimus hic Archangelus non ferens tantam Domini ſui iniuriam, ardentiſſimo zelo exclamauit, dicens: Quis vt Deus? Quis vt Deus? hoc eſt, quis tam audax, tam potens eſt vt audeat ſe aſſimilare Deo? Atque ſi diceret

Non est siue in cælo, siue in tota vniuersitate, creatura aliqua similis Deo nostro. O fortissime MICHAEL, hoc nomine verè dignissime, benedictus sis inter omnes Angelos, & omni laude & honore dignus inter homines; quia ita fidelis fuisti, & zelosus in vindicanda Dei gloria.

Considera tertiò, quomodo hic gloriosus Archangelus non solùm in triumphante, verùm etiam in militante Ecclesia, fuerit à Deo multis dotatus priuilegiis. nam primò in veteri lege factus est protector & custos Synagogę, in noua verò princeps & defensor Ecclesiæ Dei. Hic est præpotens ille dux & capitaneus, cuius ingentem animum & fidelitatem sectatus totus bonorum Angelorum exercitus virulenti illius serpentis audacię se obiecit, & obtrito eius capite victoriam obtinuit, eumque præcipitem de cælo egit cum omnibus suis asseclis. *Apoc. 12.* Adhæc, quotiescumque opus fuit aliquo cæleſti auxilio, & pro salute fidelis populi certandum, semper præstò adfuit inuictus MICHAEL. Hic enim in Ægypto pro Dei populo depugnauit, quando per multa signa & miracula è Pharaonis seruitute liberatus est. *Exod. 7.* Hic est qui horribili illa nocte omnia Ægypti primogenita percussit. *Exod 12.* Hic est qui per 40. annos tamquam capitaneus & dux filios Israel antecedens, in mari Rubro exercitum Pharaonis illos persequentem demersit; deinde occidit & excidit tot gentes & exercitus illis repugnantes; ac deniq. saluos & incolumes perduxit in terram *Exod. 14.*

à Deo

à Deo promissam. Post mortem quoque Moysis, cùm callidus dæmon conaretur populum Dei ratione sacri eius corporis inducere in idolatriam; hic fortis Archangelus, ardēs Diuini honoris & salutis populi zelo, validè se illi opposuit, eumque in fugam coniecit. Hic deniq. Israëlitico populo, dum captiuus in Babylonem abductus est, tempore captiuitatis exacto manum auxiliarem porrexit, omniaque impedimenta liberationis remouit. Quamuis verò in quibusdam locis & actionibus iam recitatis non sit nomen MICHAELIS expressum, tamen quia ille à Deo constitutus est protector & custos illius populi, certò credi potest vel ipsum vel certè alios Angelos ex commissione ipsius interuenisse.

Deut. vlt. Iud. in epist.

Dan. 10. & Zachar. 1.

Considera quartò, quomodo hic glorioſus Archangelus, supra generalem protectionem Ecclesiæ sanctæ quam sustinet, habeat specialem quoq. functionem sibi demandatam, omnes iustorum animas recipiendi qui ex hac vita ad alteram demigrant, easque insidiis & oppugnationibus dæmonum ereptas tribunali Christi præsentandi, vt cōsequantur præmium illis pro ratione meritorum à Deo attributum.

Considera quintò, quomodo in fine & consummatione huius mundi fortissimus quoque hic Archangelus apparebit ad bellum ineundum cum Antichristo, qui confictis miraculis fideles peruertere conabitur, vt Ecclesiam Dei aduersus terribilem illam persecutionem tueatur. obtenta autem victoria, & principe tene-

Tim. 4.

brarum

brarum in puteo abyssi infernalis alligato, ipse Archangelus horribilem illam tubam inflabit, ad cuius sonum omnes mortui resurgent, & æterno Iudici sistentur, extremam sententiam audituri; qua iusti æternæ gloriæ, peccatores autem perpetuis suppliciis addicentur.

COLLOQVIVM.

O Inuicte Princeps, & custos fidelissime Ecclesiæ Dei animarumque fidelium, qui semper tanta caritate zeloque tot pugnis interfuisti, tantasque ex hoste victorias retulisti, non ad conciliandam tibi famam & existimationem vt solent duces huius sæculi, sed ad conseruandum tuendumque honorem & gloriam quam omnes Deo debemus, deinde ad salutem humani generis promouendam; veni quæso in auxilium animæ meæ quæ continenter cum tanto periculo à suis inimicis, carne, mundo, & dæmone, impugnatur: & sicut dux fuisti populo Israël per desertum, sic quoq. esto fidelis dux & comes meus per desertum huius mundi: adsis mihi cum tota cohorte tua in die exitus mei, vt felicem de infernali dracone, ad deuorandum me parato, victoriam referam. Adesto mihi in tremendo iudicio, tum pro me & orando, & respondendo mihi misero peccatori iudicem concilia: ne me precor desere, donec securè me perduxeris ad felicem terram viuentium, ad beatam illam patriam à qua omnes exulamus. Amen.

Dominationum regina
Principatuum dominatrix
Potestatum gloria.

CAPVT TERTIVM

De secunda ANGELORVM Hierarchia & S. GABRIELE.

EXERCITIVM I.

De secunda HIERARCHIA.

Ex D. Bernard. lib. 5. De consid.



PRIMÒ putemus DOMINATIONES adeò cūctis supereminere sequentibus ordinibus, vt respectu horum, ceteri videātur omnes administratorij spiritus, & ad istos tamquam ad Dominos referri regimina Principatuum, tutamina Potestatum, operationes Virtutum, reuelationes Archangelorum, curam & prouidentiam Angelorum. In iis cernere est quantæ sit Dominus maiestatis, cuius nutu imperium constat, & imperio vniuersitas atque æternitas termini sunt. Dominantur ergo Dominationes, sed sub Domino dominantur, sed seruiunt pariter. Quid hoc ad summum, sempiternum, singulareque dominium?

Secundò putemus PRINCIPATVS his quoq. prælatos, quorum moderamine & sapientia omnis in terris principatus constituitur, regitur, limatur, transfertur, mutilatur, mutatur. In his cernere est principium ex quo omnia; & quomodo à cardine ostium, sic ab ipso regi

vniuersitatem. Præsunt ergo Principatus & regunt, sed reguntur & ipsi: ita vt regere iam non norint, si regi desierint.

Tertiò putemus POTESTATES superiores Virtutibus; quatū virtute potestas tenebrarum comprimitur, & coërcetur malignitas aëris huius, ne quantum vult noceat, ne malignari, nisi vt prosit, possit. Cernere est in iis quàm potestatiuè idem Princeps quos regit, protegit; contrarias potestates arcens & propulsans. Præcellit ergo in Potestatibus fortitudo: sed cui debent quòd fortes sunt, & aliter est fortis & plus. Nec tam fortis quàm ipsa fortitudo est.

EXERCITIVM II.

De eadem secunda HIERARCHIA.

Ex Meditationibus B. Aloysij.

PRIMÒ contemplare DOMINATIONES, quæ repræsentantes supremi Principis dominium, regiorum Præsidum more, inferioribus suis imperant, & in diuinis mysteriis ad gubernationem orbis emittunt.

Secundò contemplare VIRTVTES, quæ sua potentia & vi adumbrantes infinitam potentiam Domini virtutum, omnia ardua & difficilia exequuntur, mirabilesque effectus in creaturis ad Dei gloriam operantur.

Tertiò contemplare POTESTATES, qui instar Iudicum repræsentant auctoritatem & po-

testa-

testatem summi & vniuersalis Iudicis, officiumque habent aëreas potestates coërcendi, omniaque impedimenta & molestias ab hominibus remouendi, ne eis aditus ad salutem intercludatur.

EXERCITIVM

De sancto GABRIELE Archangelo.

Ex Meditationibus B. Aloysij.

PRIMÒ considera dignitatem & præstantiam prærogatiuorum Archangeli GABRIELIS: qui licet in Scripturis vocetur Angelus, non ideò existimandum est eum fuisse ex infimo Angelorum ordine, qui peculiariter mittuntur in auxilium & ministeriũ hominum; sed fuisse Angelis superiorem, nempe Archangelum, & inter Archangelos primum. Nam sicuti mysterium, ad quod annuntiandum ille venit, non fuit commune; sed excellentissimum dignissimumque ex iis quæ vmquam DEVS exhibuit: ita cogitãdum est diuinum hunc legatum fuisse vnum ex nobilissimis in illa Hierarchia comprehensis. Hic est fidelis cælestis sponsi amicus, qui factus ab eo conscius altissimi illius secreti de sua Incarnatione, primus illud mundo patefecit. Hic est ille gratiosus Paranymphus, qui mediator fuit inter altissimum Deum, & humilẽ Virgunculam de Nazareth; inter Verbum æternum, & humanam nostram naturam,

Secundò consídera, piè credi posse (vt quidam Sancti affirmant) illum in singularem custodem beatiss. Virgini attributum. Ac sicut DEVS nullam aliam puram creaturam in cælo vel in terra habuit nobiliorem, & quæ ipsum impensiùs amarit, B. MARIA Virgine: sic cogitare potes, sicut Principes huius mundi res sibi carissimas custodiendas dare solent aulicis fidelissimis sibique addictissimis, sic in illa cælesti aula glorioſum Gabrielem meritò & inter meliores & cariores apud Regem cæli numeratum fuisse.

Tertiò consídera alterum huius B. Archangeli officium, quod erat esse Legatum à Sanctiss. Trinitate missum pro negotio sublimi & maximi momenti, nempe pro incarnatione vnigeniti Filij Dei, & redemptione ac salute totius mundi. Quare optimè in eum conuenit nomen GABRIELIS, nomen mysterij plenum, quod interpretatur VIR DEVS. nam Christum annuntiauit mundo, qui simul futurus erat Deus & homo. Deinde hoc nomen GABRIELIS magis propriè idem est, quod FORTITVDO DEI; idque ad denotandum idem mysterium quod annuntiarat mundo, nempe fortissimum & triplicatum funiculum, id est arctissimam Diuinæ naturæ vnionem cum corpore & anima sanctissima Christi, in vna hypostasi & æterni Verbi persona, sicut scriptum est: Funiculus triplex difficilè rumpitur. Dicitur quoque FORTITVDO DEI, quia legationis suæ beneficio diuinã fortitudinem nobis com-

Eccles. 4.

municauit, hoc ipso quo Deus cum humana natura nostram quoque imbecillitatem assumpsit. Vnde homines beneficio huius fortitudinis facti sunt ita animosi & fortes, vt multa fecerint quæ omnem fortitudinem viresque humanas excedunt.

Angelus verè fortis, qui legatione sua hominibus non solùm diuinum robur attulit, verùm etiam ipsum Deum omnium fortissimum, qui ablatis spoliis & forti armato profligato, qui tanto tempore diram in nos tyrannidem exercuerat, nos è seruitute vindicauit, & filiorum Dei libertati restituit.

COLLOQVIVM.

ROgabis hunc excellentissimum Diuę Virginis custodem, vt & te à malis custodire, & beatissimæ Matri commendare, insuper & fortissimum leonem de tribu Iuda, Christum Dei Filium, venturum aliquando iudicem viuorum & mortuorum, tibi conciliare dignetur. Amen.

Virtutum fortitudo.
Archangelorum virginitas.
Angelorum lætitia.

CAPVT QVARTVM
De tertia ANGELORVM Hierarchia & S. RAPHAELE.

EXERCITIVM I.
De tertia HIERARCHIA.

Ex D. Bernard. lib. 5. De consid.

RIMÒ putemus super Archangelos VIRTVTES esse, quorum nutu vel opere signa & prodigia in elementis siue ex elementis facta apparent, ad commonitionem mortalium. Cernere est in his vnam vbique æquabiliter præstò esse Virtutem per quam omnia, viuificam, efficacem, inuisibilem, immobilemque, omnia tamen mouentem vtiliter, tenentem fortiter. Quæ cùm in minùs vsitata effecta apud mortales eruperit, miracula siue prodigia vocant. Virtutes ergo pro suo ministerio & potentatu satagunt excitare corda torpentia hominum, innouatione signorum. Virtus verò in eis manens ipsa facit opera; faciunt & illæ, sed in comparatione eius non faciunt.

Secundò putemus hos Angelis præesse, qui conscij diuinorum mysteriorum, non nisi ob præcipuas & maximas causas mittuntur. E quibus magnus ille Archangelus Gabriel missus legitur ad Mariam, ob causam vtique, qua

maior esse non potuit. Cuius nomen meritò interpretatur Fortitudo Dei, quia non ab alio aliquo fortè excellentiore se (vt assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Vel ideò dictum est, à Deo, ne cui vel beatorum Spirituum suum Deus antequam Virgini reuelasse putetur consilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele, qui vtique tantæ inter suos inueniri potuit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur & nuntio. Nec discordat nomen à nuntio. Dei quippe virtutem Christum, quem meliùs nuntiare decebat, quàm hunc, quem simile nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo quàm virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, Dominum & nuntium communi censeri vocabulo; cùm similis in vtroque appellationis, non sit tamen vtriusque similis causa. Christus Dei virtus & dicitur & est, quæ forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superueniens, ipsum suo brachio debellauit, & sic ei vasa captiuitatis potenter eripuit: Angelus verò, vel quòd eiusœmodi meruerit prærogatiuam officij, quo eiusdem nuntiaret aduentum virtutis, vel quia Virginem natura pauidam, simplicem, verecundam, de miraculi nouitate ne expaueſceret, confortare deberet.

Tertiò putemus Angelos dici, qui singuli singulis hominibus dati creduntur, missi in ministerium, propter eos qui hereditatem capiunt salutis. de quibus Saluator: Angeli eorum semper vident faciem Patris. Cernere in iis est

veritatem atque experientiam vocis illius: Angelis suis mandauit de te. & alibi: Quoniam ipsi cùra est de vobis, qui talium nos & tantorum non desinit iucundare visitationibus, instruere reuelationibus, suggestionibus commonere, sedulitate solatiari. Quantam tibi debent hæc verba inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam: reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, vt videlicet cui adsunt Angeli in omnibus viis tuis. In quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe. Túne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes? An præsentem esse dubitas, quem non vides? Quid si audires? quid si tangeres? quid si olfaceres? Vide quia non solo visu rerum præsentia comprobatur. Non omnia visui subiacent, nec corporalia quidem: quanto magis spiritualia procul sunt ab omni sensu corporeo, & spiritualiter potiùs inuestiganda. Laborandum nobis potiùs est, vt dignos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conuersemur in conspectu Angelorum, ne fortè sanctos offendamus obtutus; & necesse non habeamus, & nos ipsos plangere, ac dicere cum Propheta: Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam: elongatis nimirum eis, quorum præsentia protegere nos, & propulsare poterat inimicum. In his autem maximè exercerì debemus, quibus eos nouimus oblectari,

Serm. 12. in Ps. 90.

Serm. de S. Michaële.

vt

vt est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus, & orationes cum lacrymis & cordis intentione. Attamen super omnia hæc vnitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Et cùm eos adstare credamus psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum, offerreque Deo preces & vota hominum; dolendum valdè est, aliquos graui in sacris vigiliis deprimi somno, nec cæli ciues reuereri, sed in præsentia Principum tamquam mortuos apparere, & verendum ne ob hanc desidiam longè recedant. Si enim se à nobis elongauerint, impetus malignorum quis sustinebit? Memores simus, exultasse Angelos, quãdo conuersi sumus ad pœnitentiam, proficiamus & festinemus complere de nobis eorum lætitiam. Væ tibi quicumque es, qui deliberas redire ad lutum, reuerti ad vomitum. Putásne placatos habebis in iudicio, quos tanto & tam sperato priuare vis gaudio? Exultauerunt inquam, cùm nos ad pœnitentiam venimus, tamquam super his, quos ab inferi porta cernerent euocari. quid nunc erit, si ab ipsa paradisi ianua reuerti viderint, & abire retrorsum eos, qui iam pedem alterum in paradiso posuerunt? Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, inclama eum, & dic; Domine salua nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, & si ad tempus quandoque dissimulet, ne fortè periculosiùs ab illius te manibus ipse præcipites, si te eis ignoraueris sustentatum.

Serm. 7. in Cantica.

Serm. 2. De nat.

Serm. 12. in Psal. 90.

EXER-

EXERCITIVM II.

De eadem tertia HIERARCHIA.

Ex Meditat. B. Aloysij.

CONTEMPLARE primò PRINCIPATVS ita appellatos, quòd sicut hæc extrema Hierarchia à Deo cõstituta est ad exsequenda diuina iussa erga creaturas, ita PRINCIPATVS qui sunt Angeli primi chori, quoniam repræsentant supremum Principem, præpositi sunt gubernationi diuersarum Prouinciarum & regnorum particularium. Hi quoque vt præcipui quemadmodum à Deo immediatè mandata, ita eadem aliis Angelis inferioribus committunt, & auxilium etiam præbent ad ea præstanda.

Considera secundò ARCHANGELOS & ANGELOS, qui conuenienter nomini suo sunt velut legati & nuntij à Deo in mundum variis de causis emissi, atque etiam custodiendis certis locis & hominibus adscripti: nec aliud discrimen inter hos duos choros est, quàm quòd Archãgelis maiora, Angelis minora committãtur.

Considera tertiò, Quòd si acies nostri intellectus longiùs progredi posset, ac penitus inspicere naturam & functionem cuiusque Angeli; deprehenderet eos, sicut singularia singuli officia & exercitia habent in superna Ierusalem, ita singulari quoque ordine suo omnem illam B. aulæ cælestis multitudinem mirificè exornare. Etenim quemadmodum videmus

hoc noſtrum ſpectabile cælum tot ſtellis ornatum & ſecundùm numerum planetarum in orbes diſtinctum mirabili ordine moueri, & vim ſuam in terram ſubiectam exercere: ſic cælum illud ſpirituale & inuiſibile ordine magis admirãdo & diuino tot Angelorum quaſi ſtellarum varietate ornatum eſt; per quos Dominus vniuerſitatis, tamquam per totidem planetarum orbes, omnes donorum & chariſmatum ſpiritualium influxus in humanum genus deriuat.

3. Reg. 10

Ergo age, anima mea. Si Regina Saba, audita ſapientia Salomonis, & conſpecta regij palatij magnificentia, numeroque & ordine miniſtrorum illi inſeruiẽtium, ob ſummam admirationem prudẽtiæ ſapientiſſimi Regis attonita, non habebat, vt loquitur Scriptura, vltrà ſpiritum, dixitque; Beati viri tui, & beati ſerui, hi qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. quanto magis tu occaſionem haberes non tam admirandi cum illa Regina, quàm cum bono illo Propheta deficiendi præ deſiderio & amore beatæ habitationis, ſi poſſes perfectè intelligere dignitatem & excellentiam & ordinem aulæ veri Salomonis, quam ſua æterna ſapientia & arte ordinauit? Quæ conſolatio, quod gaudium, rogo, tibi eſſet, ſi poſt huius vitæ curſum tibi quoque illa felicitas contingeret, vt vnà cum cæleſtibus illis ſpiritibus aulicum agere poſſis tanti Domini, cui ſeruire regnare eſt?

Proſper epiſt. ad Demet.

O ſancti & puri Angeli, ô vetè beati, qui

perpe-

perpetuò diuino conſpectui aſſiſtitis, & tanta cum lætitia faciem cæleſtis illius Salomonis inſpicitis, à quo tanta ornati eſtis ſapientia, tot ditati prærogatiuis, & digni effecti tanta gloria. Vos ſtellæ lucidæ, quæ tam feliciter ſplendetis in cælo empyreo, infundite quæſo in animam quoque meam beatos veſtros influxus, ſeruate fidem meam immaculatam, ſpem firmam, mores inculpatos, amorem integrum in Deum & proximum. Oro vos Angeli beati, vt auxilio veſtro quaſi manu dignemini me per regiam humilitatis viam deducere, quam vos primùm inſtitiſtis, vt poſt hanc vitam vnà vobiſcum æterni Patris faciem contemplari merear, & reponi in locum alicuius ſtellæ olim per ſuperbiam de cælo delapſæ. Amen.

EXERCITIVM

De ſancto RAPHAELE Archangelo & ANGELO CVSTODE.

Ex Meditat. B. Aloyſij.

VM B. RAPHAEL & ſuo nomine, & officiis vtrique Tobię delatis, typum geſſerit Angeli cuſtodis, conſidera aptiſſimè in illum competere nomen RAPHAELIS, quod interpretatur MEDICINA DEI: ab effectu medicinæ, tam ſpiritalis iuueni Tobiæ datæ, quàm corporalis, qua ſeniori Tobiæ patri viſum reſtituit. Quo verò alio officio fungitur erga te Angelus cuſtos, *Tob. 6. & 11.*

ſtos, niſi medici tam corporalis quàm ſpiritualis? Quod vt meliùs intelligas, conſidera tres eſſe humanæ vitæ ſtatus. Primus eſt, quo homo adhuc degit in vtero matris. Secundus à tempore natiuitatis vſque ad mortem & iudicium animæ ſuæ particulare. Tertius eſt, in quo homo verſatur poſt mortem. In vnoquoque ergo horum ſtatuum, congruenter omnibus actionibus RAPHAELIS Angeli, cõtemplare ſingula officia quæ CVSTOS ANGELVS erga te exercet.

Quod ad primum ſtatum attinet, primò narrat Scriptura, cùm ſenior Tobias cogitaret filium ſuum in remotam regionem mittere, ſollicitum fuiſſe de fido comitatu ei attribuendo: & ecce, antequam bonus iuuenis domo paterna pedem efferret, Angelum à Deo miſſum, ſpecie humana ſe offerentem in comitem atque etiam in ducem itineris.

O caritas immenſa, & cura pluſquam paterna Creatoris! qui, antequam è ventre matris prodires, priuſquam vllam inimicorum tuorum & periculorum impendentium notitiam haberes, mandauit vni beatorum Spirituum qui ſemper diuinam eius faciem contemplantur, atque illi ipſi qui primus matris tuę cuſtos, vt tui curam ſuſciperet; inciperetque te in tenello illo ſtatu, multis periculis obnoxio, vnà cum matre præſeruare: quò ſine impedimento vllo ſecurè ad gratiam Baptiſmi peruenire poſſis, & in filiorum Dei numerum inſcribi. Imò ab omni æternitate, antequam Angelos vel aliud quidquam condidiſſet, cùm nondum eſ-

sent abyssi, nondum locata essent fundamenta cæli & terræ, iam ô homo miserabilis, tui memor erat, & de tua salute sollicitus. Et quamquam ab æterno tuam ingratitudinem & indignitatem præuidit; nihilominùs ex mera bonitate sua, nullo tuo antegresso merito, non solùm decreuit tibi illud auxilium præstare, sed etiam omnia beneficia in te conferre, quæ huc vsque à primo tuæ conceptionis momento recepisti, & deinceps vsque ad vltimum omnium maximum, æternam scilicet beatitudinem es recepturus.

Pro secundo vitæ statu, cùm in lucem huius vitæ prodiisti, subiungit Scriptura sacra; primò, quemadmodũ Angelus RAPHAEL egressus cum Tobia è domo patris promiserit se fidelem eius comitem toto itinere futurum, saluumque ad locum destinatum perducturum: non secùs Deus, simul atque natus es, de vno horum cælestium ciuium tibi prospexit, qui tamquam singularis custos & pædagogus tui patrocinium susciperet, tuumque aduocatum apud suam Maiestatem in cælo ageret. *Tob. 6.*

Secundò: sicut Angelus RAPHAEL ducens iuuenem Tobiam per viam, optima consilia illi suggerebat, instruebatque sigillatim qua ratione matrimonium inire deberet, nempe non hominum carnalium more, sed cum sancto timore Dei, crebraq. oratione; sic Angelus tuus custos continenter tibi bona consilia suppeditat, & in omnibus actionibus dirigit: ille enim te excitat & impellit ad multa opera facienda, *Ibidem.*

quæ ſine hoc auxilio non faceres, idque nunc alliciendo Chriſti Domini & Sanctorũ exemplo, nunc voluntatem conſideratione bonitatis Diuinæ infinitorumque eius beneficiorum inflammando, nunc etiam futuri iudicij pœnarumq. inferni memoria mentem illuminando.

Tob. 6. Tertiò pergit Scriptura narrare beneficia, quæ Tobias ab Angelo RAPHAELE, tam quoad ſuam perſonam, quàm quoad bona temporalia, recepit. Cùm enim peruenisſet ad fluuium Tigris, & in eo vellet lauare pedes ſuos, inſiliit in eum piſcis immanis ad eum deuorandum; ſed Angelus eum defendit, & ab eo periculo liberauit: voluitque vt fel eius acciperet ad reſtituendam cæco parenti ſanitatem. Adhæc idem Angelus non ſolùm redemit pro Tobia ſummam eam pecuniæ, ob quam erat miſſus; ſed heredem quoque eum fecit omnium facultatum ſoceri ſui Raguelis. Iam quid aliud agunt Angeli noſtri cuſtodes, niſi vt continenter ad auxilium nobis præſtandum in neceſſitatibus noſtris vigilent, haud ſecùs ac mater intentos ſemper oculos habens in puerulum ſuum, ne fortè labatur aut mali aliquid patiatur? Cogita igitur à quot periculis corporalibus te conſeruarit, quæ æquè ac alij incurrere potuiſſes, atq. etiam quàm fuerit ſollicitus in procurandis tibi bonis temporalibus, vt ſanitate, viribus, & aliis adiumentis, quo vitam conuenienter ſtatui tuo inſtitueres, atque illi ſtatui qui ad ſalutem conſequendam tibi eſſet accommodatior.

Quartò: ſicut Angelus RAPHAEL (vt ipſe

dicit)

dicit) officium sibi vendicabat orationes bonaque opera Tobiæ Deo offerendi; sic Angelus noster custos pro nobis exercet munus procuratoris, in conspectu Dei offerendo orationes nostras & desideria, & qualiacumque opera bona quæ facimus, semperque à Deo aliquod donum gratiæ Diuinæ ad nos referendo. Vtinam videre fas esset, quanto studio Angeli sancti nunc ascendant, nunc descendant pro nobis, vt faciebāt in scala à Iacob Patriarcha conspecta! Ascendunt exponendo necessitates nostras, precandoque Deum vt Diuinam suam misericordiam nobis impertiat; descēdunt autem reportando à Patre cælesti sanctas inspirationes, cogitationes bonas, aliaque diuina auxilia, & interdum etiam correctionem aliquam paternam, qua moti nos excitemus & curemus, ne simul cum hoc mundo condemnemur. *Tob.* 12. 1. *Cor.* 11.

Quintò: sicut Angelus RAPHAEL Tobiam docuit modum quem tenere debebat ad exterminandum dæmonium, vt non haberet amplius potestatem in ipsum, contra quem etiam ipse Angelus pro iuuenis defensione pugnauit; sic Angelus noster custos, non aliter quàm fidus capitaneus, cui commissa est arx aliqua aduersus hostes defendenda, diligenter vigilat ne vi vel fraude ab illis occupetur. Hi enim Angeli sunt fideles illi custodes, quos Dominus dicit collocatos in muris Ierusalem, ad custodiendum per vigilias noctis gregem suum, ne lupus ille infernalis, aduersarius noster, instar leonis animas nostras abripiat. Vigilat Angelus custos *Tob.* 8.

pro nobis contra dæmonem, obiiciendo se eius incursibus, frangendo & debilitando eius vires, & acceptam reparando iacturam, ne amplius tanta confidentia & audacia inuadere audeat. Confirmat quoque nos, nunc remouendo peccatorum occasiones, nunc à multis vitiis & peccatis deterrendo, in quæ destituti eius auxilio facilè incideremus; nunc etiam corroborando nos & animando in occurrentibus tentationibus & afflictionibus, ac denique à Domino impetrando fortitudinem ad victoriam obtinendam.

Sextò: sicut Angelus RAPHAEL dæmonem, ne Tobiam velut omnes reliquos mulieris maritos occideret, comprehensum alligauit in deserto; ita noster bonus Angelus singulariter nobis tempore mortis assistit, vt illa hora ab insidiis & impugnationibus dæmonis nos tueatur & immunes reddat, qua acriùs quàm aliàs solet circuire, quærens quem deuoret: deinde vt à peccatis illis, quibus id temporis maximè obnoxij esse solemus, vt infidelitate & desperatione, nos præseruet; atque ita ex miseriis huius mundi liberi ad cęlestem patriam migrare possimus. Adhæc, postquam anima è corpore excessit, idem Angelus eam comitatur, solatur, animat, vt confidenter se tribunali Diuino sistat, obiiciens eius oculis merita IESV Christi pretiosissima, in quibus tempore illius iudicij fidere debeat. Si autem ad expiandas peccatorum reliquias adiudicata fuerit purgatorio, ibi eam sæpè inuisit, solatur, certiorem reddit de

precibus

precibus piorum pro ea in mundo fusis, & denique de futura liberatione securam esse iubet.

Quod ad tertium, eumque extremum tuum statum pertinet; considera quid denique Angelus RAPHAEL fecerit: quomodo videlicet cùm coniugem iuueni Tobiæ assignasset, omnibusque sui soceri bonis ditasset, multis donis & opibus onustum eum in domum paternam reduxerit: vbi tanto maiore gaudio receptus est, quanto maior erat mœstitia de eius reditu retardato, metuentibus omnibus ne fortè periisset. Hîc simul contemplare tui fidi custodis officium; qui animam tuam, postquam confecta longa & periculosa peregrinatione ab omni macula expurgata fuerit, cælesti sponso per cælestem paranymphum coniunctam, multisque donis & diuinis charismatibus donatam, totam hilarem & lætam deducet in illam supernam Ierusalem matrem nostram, ibiq. magno gaudio & exultatione omnium paradisi Angelorum & Sanctorum, à quibus multò antè fuerat exspectata, cælestis Patris conspectui præsentabit; vt Diuinis eius manibus recipiat coronam gloriæ, & felicitatis eius quæ ab æterno ei præparata fuit, & pro qua nos miseri adhuc ingemiscimus, & suspiramus in hac lacrymarum valle.

Tob. 6. & 10.

Galat. 4.

Rom. 8.

Iam verò, quid retribuere poterimus Domino pro talibus & tantis beneficiis à sua Maiestate receptis? quidquid enim debemus beatis spiritibus, quorum operâ hæc beneficia nobis contigerunt; id totum debemus Creatori,

Psal. 115.

Psal.90. qui Angelis mandauit vt nos custodirent in omnibus viis nostris.

Quamquam ipsis quoque Angelis custodibus, ob immensam eorum in nos caritatem, fidumque ministerium demonstratum, maximas grates debemus. Et primò quidem Angelo tuo nomine assistentiæ perpetuæ debes honorem, cultum & reuerentiam. ac væ tibi, si hic Angelus sanctus tuis peccatis & negligentiis offensus, te sua præsentia Angelicaque visitatione reputauerit indignum.

Genes.1. O anima mea, ô imago Creatoris pulcherrima, vtinam tuam dignitatem agnosceres, quantùm amata sis à Deo, quantique ab Angelis æstimata; non dubium, quin ad non inferendam ampliùs iniuriam illi qui tantopere te honorauit, atque ad non contristandum tuum fidelissimum custodem, rariùs sis peccatorum fæce & sordibus te contaminatura.

COLLOQVIVM *ex D. Augustino, cap. 27. Soliloquiorum.*

DIlexisti me vnice amor meus, antequam diligerem te: & ad imaginem tuam creasti me: omnibus creaturis tuis præposuisti me: quam dignitatem tum quidem seruo, cùm nouerim te, propter quem fecisti me. Insuper facis Angelos tuos Spiritus propter me, quibus mandasti vt custodiant me in omnibus viis meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes super muros Ciuitatis tuæ nouæ Ierusalem, & montes in circuitu eius, vigilantes & custodientes vigilias

noctis

noctis super gregem tuum, ne quando rapiat vt leo animas nostras, dum non esset qui eriperet, ille antiquus serpens, aduersarius noster diabolus; qui quasi leo rugiens semper circumit, quærens quem deuoret. Hi sunt ciues beatæ Ciuitatis supernæ Ierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis, vt eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus viis suis: confortent quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in cõspectu gloriæ Maiestatis tuæ. Diligunt nempe conciues suos, per quos suæ ruinę scissuras instaurari expectant. Ideoque magna cura & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis & locis, succurrentes & prouidẽtes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos & te Domine: gemitus nostros atque suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscum in omnibus viis nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes, quàm piè, quamque honestè in medio prauæ nationis conuersemur: quantoque studio & desiderio quęramus regnum tuum & iustitiam eius: quantoque timore & tremore seruiamus & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, de te, inquam, gaudentibus. Grandis est eis cura de nobis: magnus est affe-

ctus dilectionis eorum erga nos : & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis : custodiunt quos tu custodis : & deserunt quos tu deseris: nec diligunt operantes iniquitatem ; quoniam & tu odisti omnes operantes iniquitatem , & perdes omnes qui loquuntur mendacium . Quoties benè agimus , gaudent Angeli,& tristantur dæmones. Quoties verò à bono deuiamus,diabolum lætificamus, & Angelos tuos suo gaudio defraudamus : gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitentiam agente ; sed diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente. Da igitur, da Pater, eis semper gaudere de nobis , vt & tu semper per eos lauderis in nobis : & nos cum eis in vnum ouile tuum adducamur,vt confiteamur simul nomini sancto tuo , Creator hominum & Angelorum. Hæc ipse commemorans coram te confiteor, laudans te, quoniam beneficia tua magna sunt hæc, quibus nos honorificasti, dans nobis Angelos tuos Spiritus in ministeriũ nostrum. Dederas enim quidquid cæli ambitu continetur ; & quasi parua reputas hæc quæ sub cælo sunt,nisi adderes etiam ea quę sunt super cęlos.

Hymnus ad ANGELVM CVSTODEM.

ANgelus nobis datus est patronus,
Dux vitæ nostræ,medicus salutis,
Tutor,& recti monitor,magister
Semper & æqui.
Noster est custos, socius, minister,
Præses,adiutor,columenque tutum,

Et

Et decus magnum, volucer Parentis
Nuntius alti.
Erigit lapsos, releuat dolentes,
Sanat ægrotos, recreat iacentes;
Dirigit cæcas, timidasque firmat
Robore mentes.
Corripit lapsus hominum benignè,
Eripit magnis animos periclis,
Hostis immitis validè sagittas
Telaque frangens.
Gloriam Patri tribuamus omnes,
Filij nomen celebrent & hymni,
Spiritus sancti resonent perennes
Carmina laudes.

Vers. Angeli eorum semper vident, alleluia.
Resp. Faciem Patris mei qui in cælis est, allel.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui me licet indignum ad imaginem tuam creasti, & Angelum tuum sanctum ad mei custodiam deputasti: da mihi seruo tuo, illius ducatu & custodia, malorum omnium tam animæ quàm corporis pericula feliciter pertransire, & post huius vitæ curriculum, ad gaudia sempiterna peruenire. Amen.

REGINA
APOSTOLORVM

THESAVRI Precum & Exercitiorum Spiritualium

PARS QVARTA De Sanctis.

EXERCITIVM I. De Sanctis APOSTOLIS & INNOCENTIBVS.

EXERCITIVM sequens aggressurus cogita SANCTOS APOSTOLOS te circumstare, tamquam Stellas duodecim; quibus te inclinando, facies vt in Exercitiis primę partis dictum est.

Primò considera, quando Deus humanam carnem assumpsit, APOSTOLOS fuisse, qui eum singulari reuerentiæ significatione loco totius generis humani, præcipuè verò electorum, exceperunt, ac magno cum amore eidem se associarunt: deinde verò Christo seruisse valdè humiliter propter te, & alios homines: tertiò eidem fuisse à secretis in sacrosanctis reconditisque mysteriis, ac aliis rebus ad salutem hominum pertinentibus.

Secun-

Secundò considera ipsos esse Patres Christianæ Religionis, & columnas, quibus salus animarum nostrarum sustinetur. Ipsi namque Maiores nostros à cultu dæmonum, furiarumque omnium infernalium, & ab infinitis superstitionibus, quibus tenebantur impliciti, liberarunt, ostendentes eis verum Deum, & viam salutis æternæ.

Tertiò considera, sicut Deus olim Hebræis propter Abraham, Dauid, & alios Patriarchas seruos suos & electos sæpè pepercit, ita nobis iam parcere, ac frequenter delicta nostra condonare, propter feruentem amorem Sanctorum Apostolorum, & aliorum suorum amicorum: ipsi enim sunt veri nostri Patres, & assidui apud Deum deprecatores.

Quartò considera illos iam nostros esse Aduocatos, eo præsertim die, quo illis honorem exhibemus: Iudices etiam aliquando fore, non solùm nostros, sed etiam totius mundi. Quocirca illos vereri, teque eis commendare debebis, vt in luctuoso illo & tremendo iudicij die pietatem & misericordiam in te exerceãt suam.

Quintò considera B. APOSTOLOS in omni virtutum genere fuisse quidem absolutos, in suprema tamen virtute, quæ est charitas, excelluisse, sic vt ab ea instar Seraphinorum nomen ferè & ordinem acceperint. At beata VIRGO vt nunc in gloria eosdem præcedit spiritus, sic in hac mortali vita nulli in amore Diuino secunda fuit: tum quia plus habuit cælestis gratiæ, cuius primarius effectus est charitas; tum quia maio-

rem habuit notitiam Dei, qui tanto ampliùs diligitur, quanto ampliùs cognoscitur. Reliquas rationes videre est in Medit. 41. R.P. Frãciſci Coſteri de vita B. Virginis. Quanta autem APOSTOLI in proximos charitate flagrauerint, hoc ipſorum labores, pœnæ, vita tota, ac denique mors, quam in Eccleſia plantanda & animarum ſalute procuranda ſubierunt, ſatis ſuperque declarant. Hanc autem in VIRGINE ardentiorem fuiſſe, hinc collige: quòd amicta ſole, hoc eſt, Diuina charitate ſuccẽſa, nihil aliud quàm hominum calorem ſalutemque deſiderauerit, & curauerit. Neque id mirum: Diuinum namque amorem nouem menſibus vtero geſtauerat. Deinde totis triginta annis à charitate ipſa de charitate, in ſchola charitatis, edocta fuerat. Denique ſtudium Filij ſui in proximos continuum ſemper viderat, vtpote ab eo vnicè ſibi commendatum, ſæpiuſque inculcatum.

Sextò, de SANCTIS INNOCENTIBVS conſidera quanta Dei bonitas eluceat in ipſorum gloria: vt quòd Deus eorum mortem non ſolùm pro ſacrificio, ſed etiam pro martyrio acceptauit. Vbi non fuit votum occiſi, ſed neceſſitas; non deſiderium morientis, ſed crudelitas occidentis; nõn meritum, ſed infortunium. Omnia enim ſuppleuit Diuina gratia, mutans miſeriam in coronam, & caſum in meritum: vt diſcas in imperfectionibus tuis, ſi puſillanimis ſis, non deſperare: Deus enim paratus eſt (modò bona nobis non deſit voluntas) imperfectum noſtrum ſupplere.

Collo-

Colloquium fiat ad eosdem, petendo humiliter, vt præter cetera tibi impetrent vehemens desiderium, & zelum iuuandi animas: auertendo abs te vitia contraria, ea præsertim quæ in præiudicium cedunt & damnum proximi tui.

Pater noster. Aue Maria.

Hymnus ad SANCTOS APOSTOLOS *&* INNOCENTES.

AVete cæli Principes,
Auete mundi lumina,
Christi sequela nobilis,
Mundi trementis arbitri.

Omnes in oras gentium
Cæli tulistis dogmata;
Pulsis malis erroribus
Vitæ dedistis semina.

Vos effugastis dæmonum
Tot spectra, tot ludibria;
Vos inferorum luridis
Nos eruistis faucibus.

Iuuate nunc ô Cælites,
Quos procreastis filios;
Vestris manum nepotibus
Ne corruant obtendite.

Et vos beati Infantuli,
Auete ô integelluli,
Cælestis oræ flosculi,
Vitæ perennis stellulæ.

Summo Parenti Cælitum,
Magnæque Proli Virginis,
Sancto simul Paraclito
Sit summa laus & gloria. Amen.

Vers. In omnem terram exiuit sonus eorum.
Resp. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Oratio ad SS. APOSTOLOS.

DEus, qui nos per beatos Apostolos tuos, ad agnitionem nominis tui venire tribuisti: da nobis, eorum gloriam sempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere.

Oratio ad SS. INNOCENTES.

DEus, cuius præconium Innocentes Martyres, non loquendo, sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica; vt fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Amen.

REGINA
MARTYRVM.

EXERCITIVM II.

De Sanctis MARTYRIBVS.

PONE tibi ob oculos magnum exercitum MARTYRVM adstantem: reliqua vt suprà.

Primò considera sanctos MARTYRES propter amorem CHRISTI diriſſimè trucidatos fuiſſe, & quidem ab hominibus crudeliſſimis; qui nihil humani, niſi corpus & nomen præferentes, cetera dæmonibus ipſis erant quàm ſimillimi: tales fuerunt Imperatores, Nero, Diocletianus, Maxentius, & alia humanæ naturæ monſtra atque portenta.

Secundò conſidera eos non vno in loco aut ciuitate tantùm, ſed in variis, imò ferè omnibus locis paſſos eſſe: quales potiſſimùm fuerunt, quos per præcipuas Italiæ ciuitates crudeliſſimè raptatos, in ſingulis earum noua manebant tormenta; neque poſt torturas mors accelerabatur, ſed longis & lentis cruciatibus protrahebatur.

Tertiò conſidera acerbitatem tormentorum, & infinita genera inſtrumentorum, quibus ſancti MARTYRES diriſſimè excarnificati ſunt, cuiuſmodi fuerunt rotæ, lamine candentes, pali, cruces, equulei, vngulæ, ſcorpiones, plumbatæ, culei, plumbum liquatum, & id genus alia quamplurima.

Quartò conſidera, SANCTOS non ſolùm tor-

mentis afflictos fuisse, sed & variis propositis rerum caducarum præmiis allectos; vt quorum inuictos animos infringere tyrannica crudelitas non posset, voluptatum saltem illecebræ emollirent: sed strenuos Christi athletas, contemptis omnibus delitiis, honoribus, diuitiis, & quidquid in mundo est delectabile, immobiles in confessione fidei perstitisse.

Quintò considera, quemadmodum Apostoli fuerint duces & capita veræ Religionis, & primi idololatriæ destructores; ita Sanctos MARTYRES rem ab illis inceptam persecutos fuisse, absoluisseque sanguine suo, diruentes templa diaboli, & è diuerso dilatantes augentesque fidem Catholicam. Vnde & propriam præ ceteris in cælis gloriam, quæ Aureola vocatur, sunt consecuti.

Sextò considera in MARTYRIBVS commendari virtutem fortitudinis, cuius primarius actus est MARTYRIVM. Hæc autem virtus in MATRE DEI supra modum splenduit; eaque omnes MARTYRES superauit. Primò enim rem arduam est aggressa, cùm nihil verita odium Iudæorum cruci assisteret intrepida. Non enim ignorabat Apostolorum metum, sciebatque adolescentem qui excitatus strepitu de strato surrexerat relicta sindone effugisse. Secundò grauissimas sustinuit, non sui, sed Filij corporis, in animo suo pœnas; quæ tanto sunt graviores in animo, quantum animus corpore præstat. Tertiò, sexus femineus, status virgineus, conditio matris, animus tenerrimus, &

auge-

augebant dolores,& fortitudinem Virginis admirabiliorem reddebant. Quartò, vniuersa ferè vita VIRGINIS MATRIS speciem quamdam habuit martyrij ex tot Filij sui persecutionibus,&c.

Colloquium fiat ad eosdem,petendo humiliter, vt præter cetera tibi à Deo impetrent fortitudinem spiritualem tolerandi quæcumque aduersa, & diaboli laqueos superandi. A MATRE autem DEI postula, vt fortiter ea quæ Dei promouent gloriam aggrediaris , magnoque animo perrumpas difficultates,& in malis perferendis inuictus reddaris.

Pater noster. Aue Maria.

Ad SANCTOS MARTYRES *Hymnus.*

AVe cohors fortissima,
Testes auete strenui,
Quos mortis horror imminens
Non flexit à sententia.
Vos pertulistis fortiter
Acerbiora funera,
Quàm parricidis debita
Parata vel latronibus.
Non palluistis forcipes,
Ferrum,faces,nouaculam,
Tormenta mille,lugubri
Quæ prodiere Tartaro.
Nunc bella post acerrima
Cælo triumphum ducitis,
Lætique tot victoriis
Palma decori viuitis.
Ne nos cadentes,viribus

Nec debiles relinquite,
Ne fortè nos vis impia
Sternat nigrante turbine.
Summo Parenti cælitum,
Magnæque Proli Virginis,
Sancto simul Paraclito
Sit summa laus & gloria.

Vers. Pretiosa in conspectu Domini.
Resp. Mors Sanctorum eius.

ORATIO.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui glorioſos martyres fortes in ſua confeſſione cognouimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ELENCHVS SANCTORVM *Qui Chriſtianis bellantibus in infideles olim auxilio fuerunt, & eorum qui pro fide fortiter certantes occubuerunt. Priores ſignum ¶ indicat.*

APPLICABIS *his Sanctis, cùm voles, præcedens exercitium: eoſque inuocabis, ſi pro fide bellum ingruat; quod ſi deſit, in eo certè quod tibi cum mundo, carne & diabolo eſt certamine, eorumdem & efflagitabis opem, & ſequi conaberis veſtigia, iuxta illud Apoſtoli: Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in*

veri-

veritate, & induti loricam iustitiæ, &c. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in Spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus Sanctis.

¶ S. MARIA, non immeritò appellata, auxilium periclitantium, turris Dauid, bellatrix egregia, acies castrorum ordinata.

¶ S. Michaël Princeps exercituum Dei, ac Imperij Romani, vt ait S. Bonauent. c. 9. Spec.

¶ S. Abraham.
¶ S. Moyses.
¶ S. Iosue.
¶ S. Isaias.
¶ S. Ieremias.
¶ S. Elizæus.
¶ S. Ioannes Baptista.
¶ S. Petrus.
¶ S. Paulus.
¶ S. Andreas.
¶ S. Iacobus.
¶ S. Ioannes.
¶ S. Philippus.
¶ S. Marcus.

Sancti tres Magi, qui Christum in cunis adorauerunt, & in Arabia floruerunt.

S. Carolus, Imperator.
S. Henricus, Imperator Bambergæ.
S. Sigismundus, Rex Burgundiæ.
S. Otho, Imperator.
S. Hermenigildus, Rex in Hispania.
S. Eadmundus, S. Richardus, S. Osvvaldus, } Reges Angliæ.
S. Eduardus, Rex Britanniæ.

S. Edilbertus, Rex Cantiorum in Anglia.
S. Stephanus, Rex Hungariæ.
S. Emericus, Regis Hungariæ filius.
S. Olauus, Rex Noruegiæ.
S. Kanutus, Rex Daniæ.
S. Ludouicus, Rex Franciæ.

S. Longinus.
S. Cornelius.
S. Sebastianus.
S. Agathius.
S. Marcellus.
¶ S. Georgius.
S. Gulielmus.
S. Andreas.
¶ S. Mauritius cum sociis.
¶ S. Gereon cum sociis.
¶ S. Meletius.
S. Alexander.
S. Victor.
¶ S. Mercurius.
S. Claudius.
S. Valentinus.
S. Heliodorus.
S. Martialis.
S. Zenon.
S. Faustus.
S. Marcellinus.
S. Gomarus.
SS. Quadraginta milites.

SS. Basilides cum sociis.
SS. Processus & Martinianus.
SS. Ioannes & Paulus.
¶ S. Sergius.
¶ S. Gallicanus.
¶ S. Hilarius.
¶ S. Germanus.
¶ S. Isidorus.
¶ S. Eimarus.
¶ S. Stephanus.
¶ S. Venciflaus.
¶ S. Demetrius.
¶ S. Dionysius.
S. Artemius.
S. Gerardus.
S. Theodorus.
S. Leontius.
S. Leopoldus.
S. Bauo.
S. Rogatus.
S. Modestus.
S. Quirinus.
S. Anastasius.

S. Sym-

S. Symphorianus.
S. Theophilus.
¶ S. Eustachius.
¶ S. Martinus.
¶ S. Ambrosius.
¶ S. Augustinus.
S. Menna.
¶ S. Franciscus.
¶ S. Antonius.
¶ S. Bernardus.
¶ S. Hilarion.
¶ S. Iudith.
¶ S. Maria Magdalena.
¶ S. Clara.
¶ S. Vrsula.

ORATIO *ex Sancto Bernardo ad* SANCTOS MILITES.

O Glorioſiſſimi ſancti Dei Milites, qui Chriſtianæ militiæ duros labores in Angelicæ felicitatis requiem commutaſtis, reſpicite ad imbelles & imbecilles commilitones veſtros; qui inter hoſtiles gladios, & ſpiritales nequitias, veſtris laudibus occupamur. Dulces patroni, aduocati fideles, fortes athletæ, exurgite in adiutorium nobis, vt & nos de noſtra ereptione gaudeamus, & vos de plena victoria gloriemini. O piiſſime IESV da illis ſic de ſua gloriari victoria, vt noſtrorum non obliuiſcantur certaminum, ſed noſtram in tuo iudicio ſuſcipiant & agant cauſam.

ORATIO *pro defenſione* ECCLESIÆ.

O Mnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorum, reſpice in auxiliū Chriſtianorum; vt gentes paganorum & hæreticorum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur.

ORATIO *sumpta ex Daniele Propheta c.9. ad auertendam belli tempore iram Diuinam.*

DOmine Deus noſter, qui eduxiſti populum tuum de terra Ægypti in manu forti,& feciſti tibi nomen ſecundùm diem hanc: peccauimus, iniquitatem fecimus Domine in omnem iuſtitiam tuam: auertatur obſecro ira tua,& furor tuus à ciuitatibus noſtris; à monte ſancto tuo, & ſancta matre noſtra Catholica Eccleſia. Propter peccata enim noſtra,&iniquitates patrum noſtrorum, Eccleſia tua, ac populus eius in opprobrium ſunt omnibus hoſtibus per circuitum. Nunc ergo exaudi, Domine Deus noſter, orationes ſeruorum tuorum; & oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum quod deſertum eſt, propter temetipſum. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos,& vide deſolationem noſtram,& ciuitates ſuper quas inuocatum eſt nomen tuum. Neq. enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam; ſed in miſerationibus tuis multis. Exaudi Domine; attende & fac;ne moreris, propter temetipſum Deus meus; quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitates & ſuper populum tuum, Domine Deus noſter.

NOTÆ HISTORIALES in Elenchum ſuperiorem.

1. BEatam VIRGINEM *adfuiſſe ſæpiùs Principibus Chriſtianis contra aduerſarios pugnantibus, templa ob hanc cauſam paſſim erecta teſtan-*

teſtantur. Quorum omnium inſtar eſſe poteſt B. Mariæ in Zel; quod, ob patrocinium aduerſus Turcas Vngaris præſtitum, erectum eſt. *Bonfinius in ſua hiſtoria. Dan. 10.*

2. S. MICHAEL EM, *qui vocatur Princeps exercituum Dei, & Princeps Iudæorum ac Eccleſiæ, Niceph. lib. 7. c. 50. & Herman. Gigas in ſua hiſtoria circa annum 330. narrant in traiectu Boſphori apparuiſſe in ſomnis Conſtantino Imperatori, & dixiſſe: Ego ſum Michael Archangelus Domini Sabaoth, Chriſtianorum tutor, qui tibi contra impios tyrannos auxilium præbui: & eam ob cauſam Conſtantinum ibidem duas Eccleſias Archangelo Michaeli extruxiſſe.*

Narrat Cromerius lib. 10. hiſtor. Leſeum Polonorum principem cum parua manu inſecutum multa Lituanorum millia, qui Poloniam diuexabant: cumque ex labore itineris paululùm requieuiſſet, Michael Archangelus illi adſtitit, & ſuum illi auxilium promiſit, ac de victoria certum reddidit; qui victor rediens eidem Angelo Lublini templum extruxit.

Refert Socrat. lib. 7. c. 25. imperante Theodoſio in Oriente, Ioannem quemdam in Occidente arripuiſſe Imperium, & Theodoſium miſiſſe aduerſus eum exercitum; qui ab Angelo paſtoris habitu ductus per occulta loca, ſubitò Rauennam occupauit, & Ioannem oppreſſit. Tradit Luitprandus lib. 2. hiſt. c. 14. Venciſlaum Boëmiæ Regem occurriſſe in finibus Duci Curinenſi, qui fines regni huius vaſtabat, eique obtuliſſe ſingulare certamen, vt multorum cædibus parceret. Vbi ventum eſt ad manus, Angeli apparuere, qui

Venciſlaum protegentes arma miniſtrabant. Quo viſo Dux petiit veniam, eaque obtenta diſceßit.

Notum quoque eſt quomodo Angelus Domini in caſtris Aſſyriorum vna nocte deleuerit 185. millia, Ieroſolymamque liberauerit.

4. Reg. c. 19.

Gen. 14. 3. *Abraham paruo numero domeſticorum diuina potiùs quàm humana virtute quatuor Reges debellauit.*

Exod. 14. 4. *Moyſes extendens manus contra mare, fecit vt Ægyptij ſubmergerentur: & ipſo orante*

Num. 13. *vicit populus Iſrael; cum verò ceſſaret, vicit Amalec.*

Ioſue 16. 5. *Loquente Ioſue Domino; Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Ailon; ſteterunt ſol & luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.*

6. *Triumphus Dauidis pueri de gigante Goliath, refertur in libro 1. Regum, c. 17. ac victoriæ eius cælesti planè virtute partæ.*

4. Reg. 19. 7. *Precibus Iſaiæ ab Angelo cæſa ſunt 185. millia Aſſyriorum.*

2. Mach. 15. 8. *Ieremias orat pro Iuda Machabæo, eique gladium tradit, dicens; Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduerſarios populi mei Iſrael.*

4. Reg. 6. 9. *Ad preces Eliſæi exercitus Regis Syriæ cæcitate percuſſus eſt.*

10. *Cùm Mahometes obſediſſet olim Rhodum, & hoc ſæculo noſtro Solimannus Melitam, vir quidam viſus eſt in aëre, qui Turcas ab ingreſſu inſulæ arceret, quem plerique Ioannem Baptiſtam militum patronum eſſe crediderunt.*

11. *Anno* 915. *cùm Ioannes Decimus exercitum misisset in Apuliam aduersus Saracenos, Petrum & Paulum in iis prælijs conspectos, victoriam Christianis maximam peperisse narrat Luitprandus lib.* 2. *c.* 14. *Eosdem quoque in oppugnatione Rhodi conspectos noctu incensis facibus circa mœnia excubantes, ac vbi iam fere oppidum caperetur, minaci vultu Barbaros repulisse, refert Sabellicus lib.* 1. *dec.* 4.

12. *Anno* 198. *cùm Antiochia premeretur à Turcis, S. Andreas apparuit Petro cuidam clerico, monens vt Christianæ militiæ Principibus suo nomine ediceret, vt in Ecclesia Principis Apostolorum lanceam, qua transfixus est Christus, defossam humi quærerent; qua cùm vsi essent, victoriam reportarent.* *Tyrius lib.*6.*c.*4.

13. *Post annum Domini* 826. *cùm Ramirus totum diem aduersus Saracenos pugnasset, noctu ipsi S. Iacobus adstitit, qui iussit vt omnes peccata sua confiterentur, & Eucharistiam sumerent. Quod vbi factum est, sexaginta millia hostium fusa sunt. Eo in prælio ipse Apostolus equo candido vectus cum vexillo niueo, quod rubra crux transuersa distinguebat, apparuit. Quo signo gens ea etiamnum vtitur, quando ad bella procedit. Simile quid hac nostra ætate in India accidisse, refert Cardanus, cùm pauci Hispani à* 40. *millibus Indorum premerentur.* *Roder. Tolet. Archiep. in Histor. Cap. Fulg. lib.*1.*c.*6. *De rerũ varietate, lib.* 15. *cap.* 81.

14. *Theodosius Imperator aduersus Eugenium pugnans, nec suis fidens viribus, tota nocte precibus exacta, sub galli cantu somno oppressus, vidit duos viros albo habitu indutos, qui animum*

adde-

adderent, dicerentque se fore antesignanos. Horum alterum fuisse Ioannem Euangelistam, alterum Philippum Apostolum, testatur Theodoretus & Cuspinianus lib. 5. hist. c. 24.

15. *Cùm Henricus* II. *Imperator Boleslaum debellaret, visi sunt sancti Martyres, Georgius, Laurentius, & Adrianus, exercitum ducere, & hostium cuneos dissipare. Æmilius refert Georgium, Demetrium, Mercurium Romanis ante Syriæ Metropolim pugnantibus auxilium tulisse; fuisseque non tantùm à Christianis, sed etiam ab aduersariis, animaduersos tres equites qui hostes fugarent. Sic Thessalonicenses à Bulgaris per S. Demetrium liberati sunt, ex cuius equo ignis exiliens magnum incussit hostibus terrorem.*

Lib. 4. hist.

Euagrius lib. 4. c. 3.

16. *Rex Persarum obsidens Sergiopolim, existimans eam defensoribus vacuam, vidit innumeros milites in mœnibus dispositos, atque optimè armatos: cumque id fieri naturaliter non posse cognosceret, tribuit hoc sancto Martyri Sergio, obsidionemque soluit.*

17. *Gallicanus, voto Deo facto, scilicet, fore se Christianum, idque ex instinctu Pauli & Ioannis, si ab hostibus liberaretur, Scythas ex Thracia eiecit, fecitque Romani Imperij tributarios. Vide quæ habet Surius in Vita Gallicani, 26. Iunij; vbi concludit horum Sanctorum ope ac consilio victoriam esse concessam.*

Guicciardin. lib. 2. hist.

18. *Carolus* VIII. *Galliarũ Rex cùm à Francisco Gonzaga fermè opprimeretur, voto sancto Martino & Dionysio nuncupato victor euasit.*

19. *Cùm Sabaria à Turcis obsideretur, &*

mœnia

mœnia in ipsorum quasi potestate essent, apparuit in aëre eques, qui stricto gladio minitans hostes abegit. Existimarunt ciues Martinum fuisse loci illius quondam incolam. Visum quoque fuisse S. Ambrosium, cùm Conradus II. Imperator Mediolanum obsideret, exitiumque minatum esse, nisi obsidionem solueret, Cuspinianus ait, lib. 13. Paulus Diac. dicit Azazilam Imperatoris Romani ducem instructum ab Ambrosio, quomodo superandi essent in Africa Barbari. Ita cùm Mediolanum à Methis & Heluetiis anno 1230. vexaretur, visus est idẽ Ambrosius flagello Barbaros infectans. Inde factum est, vt deinceps cum flagello depingeretur. D. Augustinus moriens obtinuit, vt ciuitas sua liberaretur ab hostibus, vt patet in eius Vita. Fulgosus lib. 1. c. 6.

20. *Pharos ignea de Hilarij basilica egressa, visa est Alarico Regi tamquam super se aduenire, atque ita territus à cœptis recessit. Hæc tempore Clodouæi Regis Franciæ, vt refert Greg. Turon. lib. 2. histor. c. 37. Bonfin. lib. 4. decade 1. Et Germanus Saxones Gallos graui bello infestãtes, sola Diuini nominis acclamatione fugauit.*

21. *Post annum 1126. Alphonsus Rex Hispaniæ cùm Bæticam obsidione cinxisset, in somnis admonitus & confirmatus à S. Isidoro, prælio commisso victor euasit: teste Roder. Tol.*

22. *Quo die Godefridus Bolionius Ierosolymam expugnauit, visus est S. Eimarus Episcopus orare, & alios ad strenuè pugnandum excitare.* Fulgosus lib. 1. c. 6.

23. *Cùm Conradus Imperator aduersus Rem Vngarorum S. Stephanum exercitũ duxisset,*

pridie eius diei quo pugna erat indicta, tesserarius quidam per Cæsarianorum militum contubernia & tentoria discurrit, qui Imperatoris edicto Germanum quemque solutis castris domum repetere iubet. Nocte insequenti antequam lucesceret, Conradus conspicit soluta castra, nec potuit auctor huius facti inueniri. quare hoc existimauit oratione Stephani accidisse, & datis simul dexteris domum rediit.

24. *S. Franciscum plurimas compescuisse seditiones, ipsius Annales perhibent.*

25. *De S. Antonio refert Athanas. sæpè ipsum discipulis suis referre solitum, Imperatores à se auxilium in bellis expetiuisse: nec dubium est quin obtinuerint. Ita S. Bernardus, vt in Vita eius dicitur, grauissima dissidia ad arma deducta lenis sermone suo terminauit.*

26. *S. Hilarion, primùm in Licinio militauit, sed postmodum ad fidem conuersus extitit lumen Monachorum.*

27. *S. Iudith victoriam de Holoferne reportauit, vt sacra narrat Historia. Territus Alexander Magnus cõspectu Iaddi summi Sacerdotis, pepercit Ierosolymis, teste Iosepho lib. 11. c. vlt.*

Surius in vita S. Magd. 21. Iunij.

28. *Carolus Rex Siciliæ bello nauali cum Rege Aragonum congressus circa annum Domini 1279. apud Barcinonem capitur, obscuroque carceri mancipatur: in quo cùm se ieiunio & oratione B. Mariæ Magdalenæ commendasset, pridie festi sui adstitit inuocata, Regique præcepit, vt se sequeretur, quem intra breue tempus propriis Regno restituit.*

29. *S. Cla*

29. *S. Clara iussit deferri ad ostium monasterij venerabile Eucharistiæ Sacramentum, & in oratione posita, vrbem à Saracenorum crudelitate liberauit. Ita Surius in Vita ipsius, cap. 14. & 15.*

30. *Temporibus Clementis* IV. *anno Domini* 1266. *cùm Colonia obsidione cingeretur, Comes Cluensis & Stephanus de VVylen vno in tentorio nocte quiescentes, viderunt sanctam Vrsulam radianti corona præfulgidam, cum turba vndecim millium Virginum, SS. quoque Maurorum ac Thebæorum agmina (vt antiquæ imagines in monasterio Pantaleonis, & in antiqua Basilica S. Gereonis testantur) ciuitatem & portas roseis crucibus consignare, & contra hostium vim ac potentiam præmunire. Hoc miraculo territi hostes, abierunt.* *Bredenb. lib. 4. cap. 22.*

Deniq. testatur Eusebius, post Tertullianum, in exercitu Marci Antonini Imperatoris, dum pugnaret aduersus Marcomannos & Quados, fuisse Legionem Christianorum, quæ, cùm siti extrema premeretur exercitus, precibus à Deo pluuiam & fulmina impetrarit, quibus hostes debellati sunt. Et anno decimo Leonis Isauri Imperatoris, Saraceni Nicæam Bithyniæ obsidebant: verùm post deiectos muros, apparitione Sanctorum qui in ea coluntur, territi, re infecta recesserunt; vt ait Cedrenus.

EXER-

REGINA
CONFESSO
RVM.

EXERCITIVM III.

De SS. Doctoribus, Confessoribus, & Pontificibus.

Præludia vt suprà.

PRIMÒ considera Sanctos Episcopos fuisse successores Apostolorum, per quos longè lateque aucta fuit & propagata Catholica Religio. Cuius rei illustre habemus exemplum in sancto Bonifacio Apostolo Germaniæ; qui, teste Gregorio Papa secundo, vltra cētum millia hominum in vna illa prouincia ad fidem Romanam reduxit, exceptis infinitis aliis vicinarum regionum populis ab eodem ad dictam fidem conuersis. Item de sancto Vincentio, quem aiunt conuertisse 8000. millia Saracenorum, Iudæorum 25000. peccatorum verò 100000.

Secundò, illos fuisse patres ac lumina mundi, præcipuè verò earum prouinciarum ac ciuitatum quibus ipsi præerant: atque virtutibus suis & miraculis tam ethnicorum quàm prauorum Christianorum saluasse animas.

Tertiò considera, eos difficilia valdè & ardua, vt ad summam perfectionem pertingerēt, superasse, dum contemplatione rerum cælestium, & assiduis occupationibus circa salutem

animarum, sanctissimæ Saluatoris nostri vitæ & vestigiis insiterunt: neque diebus quietem, neque noctibus admittentes; quippe qui has orationibus, illos piis operibus transigebant.

Quartò considera, eos non solùm cultum dæmonum ex hoc mundo sustulisse, aut innumerabilia eaq. enormia radicitus euulsisse peccata; sed etiam pestilentissimas quasque hæreses funditus extirpasse: quod multò est difficilius, quàm aut conuertere Ethnicos, aut malos Christianos in viam salutis perducere.

Quintò considera, eos non solùm in vita, sed etiam post mortem, Christi fidelium curam habere; earum maximè ciuitatum & prouinciarum, quas ipsi olim tamquam vigilantissimi Pastores salutari doctrina gubernarunt & pauerunt: pro iisdem nunc apud Deum existentes assidui deprecatores & aduocati.

Sextò considera VIRGINIS MATRIS diuinam sapientiam, & sanctas illi coniunctas virtutes. Hæc enim, cùm insigni polleret ingenio tenaciq; memoria, totis triginta annis quibus Filium suum vel virtutes exercentem conspexit, vel docentem sola audiuit, multò ampliùs profecit, quàm quisquam Apostolorum vel Doctorum. Cùm porrò descenderet Spiritus sanctus in Apostolos, vt eos omnem doceret veritatem; hanc vtique Dei Matrem priùs eruditam, etiam multò ampliori sapientia repleuit. CONFESSORES autem Sanctos, qui vel in persecutionibus Christi fidem palàm in iudicio cõfessi sunt, vel qui vitæ sanctitate illustre fidei

testimo-

testimonium dederunt, ac cum mundo, carne, & diabolo summa animi patientia decertarunt, BEATA VIRGO longè superauit ; cuius iniuria eo fuit indignior & pœna grauior, quo nobilior ipsa erat, & viliores illi, qui inferebant, & grauiora mala quæ irrogabantur. Patiebatur Regina cælorum, Dei Creatoris mater, &c. & quidem à vilissimis Iudæis & improbissimis hominibus. Pertulit porrò exilium, paupertatem, irrisionem; & hæc omnia patienti animo, qui sui semper similis, nec malis deiiciebatur, nec prosperis efferebatur.

Colloquium fiat ad eosdem, & ad VIRGINEM MARIAM, petendo humiliter, vt tibi præter cetera, à Deo impetrent cognitionem rerum cęlestium, patientiæ & mansuetudinis virtutem, ac denique puram rectamque in omnibus actionibus tuis intentionem.

Pater noster. Aue Maria.

HYMNVS.

AVete sacri Præsules,
Antistites iustissimi;
Iter salutis inuium,
Qui reddidistis peruium.
Virtutis almæ semitam,
Qui tradidistis gentibus;
Qui veritatis candidæ
Pugnastis ob sententiam.
Tot impiorum dogmata,
Tot inquinatas hæreses,
Sermone, signis, moribus,
Nostro fugastis climate.

Triſti migraſtis ſæculo,
Eſtis tamen ſuperſtites,
Veſtris notata litteris
Imago viuit nobilis.
Quis poſſe det veſtigiis
Hærere nobis talibus?
Præcepta quis ſalubria
His figat in præcordiis?
Summo Parenti cælitum,
Magnæque proli Virginis,
Sancto ſimul Paraclito
Sit ſumma laus & gloria. Amen.

Verſ. Elegit vos Dominus ſacerdotes ſibi.
Reſp. Ad ſacrificandum ei hoſtiam laudis.

ORATIO.

EXaudi, quęſumus Domine, preces noſtras: & per Beatos Confeſſores tuos, Pontifices atque Doctores, qui tibi dignè meruerunt famulari, ab omnibus nos abſolue peccatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ELENCHVS SANCTORVM, *Qui Gentes, ac in primis Belgas, legem Chriſti docuerunt.*

S. PETRVS paſtor ouium & princeps Apoſtolorum, Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ poſt Chriſtum caput ac decus.

S. Paulus gentium in fide, & veritatis Doctor. Hi Antiochiam, Pontum, Cappadociam,

Gala-

Galatiam, Bithyniam, Asiam, Græciam, Cyprum, Italiam, Romam, &c. lumine fidei illustrarunt, anno Domini 38. & 68.

S. Andreas crucis amator, Achaiam & Scythiam ad sanctam & Apostolicam Romanam fidem conuertit.

S. Iacobus Hispanorum Apostolus, & inter Apostolos protomartyr, Hispaniam.

S. Ioannes dilectus Christi discipulus, Euangelista & Propheta, Asiam.

S. Iacobus frater Domini, & primus Ierosolymorum Episcopus, Iudæam excoluit.

S. Philippus Phrygiam, & Scythiam.

S. Thomas Parthos, Medos, Persas, Bactros, Hyrcanos, Indos, & (vt aliqui volunt) Germanos docuit.

S. Bartholomæus Indos citeriores.

S Matthęus Euāg. & S. Matthias Æthiopes.

S. Simon Ægypti, Cyrenes, & Aphricæ oras fide imbuit.

S. Iudas Thadæus Persidis & Mesopotamiæ Apostolus primus exstitit.

S. Marcus Euangelista, Alexandriæ.

S. Lucas medicus nobilis, & Euangelista, D. Pauli Apostoli sectator, ac omnis peregrinationis eius comes, easdem cum eo regiones lustrauit.

S. Dionysius primus Galliæ fidem orthodoxam annuntiauit.

S. Maternus, Eucharius, Valerius, primi Germaniæ fuere ac Belgij Apostoli, nec non Treuirenses Episcopi, anno 101.

S. Remigius opus Euangelij à S. Dionysio cœptum in Gallia perfecit, anno 499.

S. Siluester baptizato Constantino toti Imperio fidem annuntiauit, anno 314.

SS. Damianus, Fugatus, & Augustinus Anglos ad fidem adduxerunt, anno 150. & anno 590.

S. Palladius Scotos, anno 203.

SS. Egbertus & Patricius Hibernos, anno 423. Alij, anno 493.

S. Leander Episcopus fidei in Hispania restaurator fuit, anno 590. Alij, 600.

S. Martinus Sueuiam ab Arianismo reuocauit, anno 540.

S. Vigbertus Traiectum conuertit, anno 528.

S. Willibrordus Frisiam excoluit, anno 690.

S. Wilbertus Hollandiam.

S. Willibertus Axeliam.

S. Willibaldus Hulstum.

S. Winiboldus Biervlitum.

S. Lebuinus
S. Evvaldus
S. Werenfridus
S. Marcellinus
S. Adelbertus
} Gelriam & Westphaliam iuuerunt.

SS. Emebertinus & Arnolphus Brabantiam, Flandriam & Hannoniam doctrina Apostolica imbuerunt, anno 686.

S. Rumoldus Mechliniam, anno 770. hic Mechliniæ colitur Kal. Iulij.

S. Bonifacius Germaniam, anno 716.

S. Heridagus Daniam, an. 710. Alij, an. 760.

S. Ari-

S. Arigarius Daciam, Suetiam, Gothiam, Gronlandiam & Boëmiam, anno 816.

S. Adelbertus Pannoniam, Russiam, Lituaniam, Moscouiam, Prussiam, Poloniam, anno 980. S. Norbertus Antuerpiæ &c.

S. Bruno Ruthenos, anno 1025. 1123.

S. Otho Pomeraniam, sanam & Apostolicam fidem docuit, anno 1123.

ELENCHVS *alter* SANCTORVM *Belgij, cum indicio loci in quo vel eorum ossa seruantur vel memoria est celebrior.*

S. Amelberga cum filiabus Pharailde, Reinilde, Gandaui coluntur, 8. Ian.

S. Gudula Bruxellæ, quæ Regia est Ducum Brabantiæ, Ianuar. 4.

S. Bertilia cum filiabus Waldetrude, Aldegonde, Mareoli, Mont. Hannoniæ, Malbodij, 3. Ianuar. & 9. Aprilis.

S. Arnulphus, Cisonij, 28. Ianuar.

S. Berlendis, Merbecæ iuxta Niniuen, die 3. Febr. colitur.

S. Vedastus, Atrebati, die 6.

S. Amandus, in monasterio eiusdem.

S. Chrysolius, Cominij, die 7.

S. Lambertus, Leodij, die 7.

S. Siluinus, Audomaropoli.

S. Saluius cũ socio Superio, iuxta Valencenas.

S. Eleutherius, Tornaci, die 20.

S. Aldetrudis cum sorore Magdelberta, Malbodij & Leodij, die 25. & 7. Septemb.

S. Vindecianus Atreb. Episc. in monte S. Eligij, Martij 11.

S. Aldelfendis, Marchianis, die 16.
S. Gertrudis, Niuellæ, die 17.
S. Amandus, Gandaui, die 19.
S. Drogo, Valencenis, Aprilis 9.
S. Erkembodus, Audomaropoli, die 12.
S. Floribertus, Gandaui in S. Petro, die 25.
S. Walburgis, Furnis in Flandria, Maij 1.
S. Albertus, Crifpinij, die 2.
S. Walbertus Comes Arkenfis.
S. Maurontus, Duaci, die 4.
S. Rictrudis cum filiabus Clotfende & Eufebia, Marchianis, die 12.
S. Seruatius Tongrenfium Epifcopus, Traiecti, die 13.
S. Dympna, in Ghele.
S. Adrianus, Montibus S. Gerardi, die 27.
S. Landelinus, Lobiis, Iunij 15.
S. Cyricus, in Monafterio S. Amandi, die 16.
S. Itisberga, foror Caroli magni, iuxta Aëriam, die 20.
S. Hidulphus Dux Lobienfis, Binchij, die 23.
S. Oduinus, Hougardiæ, die 25.
S. Regina cum filiabus Rafrende & Aua, Dononij iuxta Valencenas, Iulij 1.
S. Etto, Lætiis, die 10.
S. Levvina, Bergis, die 24.
S. Bauo, Gandaui in S. Petro, Auguſti 1.
S. Ionatus, Marchianis.
S. Abel, Binchij, die 5.
S. Gaugericus Cameracenfis Epifc. Coloniæ, die 11.
S. Maurus, in Abbatia Florinenfi, die 22.

S. Ber-

S. Bertinus, Audomaropoli, Septemb. 5.
S. Madelberta, Leodij, die 7.
S. Orgerus, Ruremondæ, die 10.
S. Vinciana, Gandaui, die 11.
S. Guido & Wanedulphus, Anderlaci iuxta Bruxellam.
S. Hiltrudis, Lætiis, die 27.
S. Piatus Tornacensis Apostolus, Siclinij quiescit, Octob. 1.
S. Gerardus, Bronij iuxta Namurcum, die 3.
S. Valeria, in Hunolcourt, die 8.
S. Gislenus, in Hannonia, die 9.
S. Olla, iuxta Cameracum.
S. Venantius, iuxta Aëriam, die 10.
S. Gummarus, Liræ in Brabantia, die 11.
S. Donatianus, Brugensium Patronus, die 14.
S. Gosuinus, Aquicincti, die 16.
S. Gurdinellus & S. Amatus, Duaci, die 19.
S. Willebrordus, Grauelinganorum Patronus, Luxemburgi.
S. Oelbertus, iuxta Antwerpiam. die 22.
S. Oda, prope Huyum, die 23.
S. Vulganus, Lendij, Nouemb. 2.
S. Hubertus, Andanij, die 3.
S. Winocus, Bergis, die 6.
S. Maxellendis, partim Cameraci, partim Cameracesij, die 13.
S. Trudo, in oppido eiusdem, die 23.
S. Sarius, Cameraci.
S. Maximus, Ypris, die 27.
S. Radbodus, Dauentriæ, die 29.

S. Eligius, partim Brugis, partim Nouiomi, Decemb. 1.

S. Autbertus, Cameraci, die 13.

S. Euerardus, Dux Foroiulienſis, Cameraci, die 16.

Hi ſunt poſt Apoſtolicos viros, Sancti præcipui qui Belgium noſtrum, quà doctrina, quà vitæ ſanctitate illuſtrarunt: hos proinde tamquam fidei noſtræ auctores & conſeruatores, & Belgij Patronos, omni tempore, ſed maximè ſchiſmatis vel hereſis inualeſcentis, magna pietate ad obtinendum auxilium inuocabis.

ORATIO *ad* SANCTOS *pro Prouincia afflicta, ex Victore Vtic. l. 3. hiſt.*

ADeſtote Angeli Dei mei, qui numquam deeſtis, conſtituti in miniſterio veſtro, propter eos qui hereditatem capeſſuri ſunt æternæ ſalutis, & videte prouinciam noſtram totam dudum tantarum eccleſiarum cuneis fultam, nunc ab omnibus deſolatam; tantis ordinibus ſacerdotum ornatam, modò ſedentem viduam & abiectam.

Conſiderate & videte quia Sion ciuitas Dei noſtri facta eſt vilis: facta quaſi polluta menſtruis inter inimicos ſuos. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius, quia vidit gentes inuadere, & ingredi atria ſua, de quibus præceperas, ne introirent eccleſiam tuam. Viæ eius lugent, eò quòd nemo veniat in die feſto. Egreſſus eſt à facie eius omnis decor, & deliciæ, didicerunt vias aſperas ambulare. Virgines & iuuenes eius in aulis educati monaſte-

riorum, abierunt in captiuitatem inimicorum, dum lapides sancti eius dispergunturin capitibus omnium platearum. Dicite Deo nostro susceptori,& habentes fiduciam supplicandi,quoniam tribulatur, & venter illius turbatus est à fletu eius, quia sedit inter gentes, & requiem non inuenit, nec est qui consoletur eam. Quæsiuit qui simul contristaretur,& non fuit; consolantem, & non inuenit: dum manducaret in esca sua fel, & in siti sua potaretur aceto; sponsi & Domini sui passiones imitando,qui idcircò passus est pro ea,vt sequatur vestigia eius.

Deprecamini Patriarchæ, de quorum stirpe nata est, quæ nunc laborat in terris, ecclesia. Orate sancti Prophetæ,cognoscentes afflictam quam anteà vaticinante præconio cecinistis. Estote Apostoli suffragatores eius; quam vt congregaretis, vniuersum orbem, ascendente in vobis Domino, vt equi velocissimi, cursitastis. Præcipuè tu beate Petre, quare siles pro ouibus, & agnis, à communi Domino magna tibi cautela & sollicitudine commendatis?

Tu sancte Paule gentium magister, qui ab Ierusalem vsque ad Illyricum prędicasti Euangelium Dei? Agnoscе quid hæretici faciunt,& filij tui gemunt lugendo captiui. Vniuersique ingemiscite sancti simul pro nobis Apostoli.

Sed scimus quia indignum est vobis pro nobis orare: quia ista quæ venerunt nobis,non ad probationem, quomodo Sanctis, sed malis meritis supplicia debebantur: sed & pro malis

orate iam filiis, quia & Christus orauit etiam pro inimicis Iudæis. Sufficiant castigationi, quæ iustè illata sunt nobis, & iam iamque delinquentibus venia postuletur. Dicatur Angelo percutienti: Sufficit, iam cohibe manum tuam. Quis ignoret hæc nobis probrorum nostrorum scelera procurasse, aberrantibus à mandatis Dei, & in lege eius nolentibus ambulare? sed prostrati rogamus, vt non spernatis vestros miseros peccatores, per eum qui vos ad Apostolicum culmen prouexit humiles piscatores, Dominum nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in sæcula.

PSALMVS.

Psal. 45. DEus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio eius, non commouebitur: adiuuabit eam Deus manè diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: auferens bella vsque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni.

Vacate, & videte quoniam egò sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

Gloria Patri, &c.

Vers. Domine clamaui ad te, exaudi me.

Resp. Intende voci meę, cùm clamauero ad te.

Vers. Effundo in cõspectu tuo orationẽ meam.

Resp. Et tribulationẽ meam ante te pronuntio.

Vers. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem.

Resp. Et abundantia diligentibus te.

Vers. Fiat pax in virtute tua.

Resp. Et abundantia in turribus tuis.

Vers. Suscipiant montes pacem populo.

Resp. Et colles iustitiam.

Vers. Exurgat Deus, & dissipẽtur inimici eius.

Resp. Et fugiant qui oderunt eum, à facie eius.

Vers. Deus ne elongeris à me.

Resp. Deus meus in auxilium meum respice.

Vers. Adiutor meus, & liberator meus es tu.

Resp. Domine ne moreris.

Vers. Domine exaudi, &c.

Resp. Et clamor meus, &c.

Vers. Dñs vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

DEus, qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium, potentia tuæ defensionis expugnas, auxiliare famulis tuis, implorantibus misericordiam tuam: vt omnium inimicorum nostrorum feritate depressa, incessabili te gratiarum actione laudemus.

REGINA RELIGIO
SO
RVM.

EXERCITIVM IV.

De Sanctis Sacerdotibus, Anachoretis, & Cœnobitis.

Præparatio superiori similis.

PRIMÒ considera, quale & quàm arduum sit SACERDOTVM munus, totiusque Cleri; nempe, vt in hoc mundo & Angelicum & plusquam Angelicum officium colant. Angelicum quidem, dum in continua Dei laude occupantur; plusquam Angelicum verò, dum Christi corpus ore conficiunt, sacrificium tremendum Deo offerunt, Sacramenta ministrãt, animas regunt, atque ad æternam salutem sanctis legibus, monitis, & præceptis dirigunt.

Tu si clero es ascriptus, expende quàm exigua sollicitudine in his muniis versèris; ánne maiore cura pecunias, honores, delicias, voluptates, vanitates, & nugas cogites, desideres, loquaris, consecteris. Attende tuæ magnitudinem dignitatis. Non enim in mortis hora à te pecuniæ repetentur, sed animæ, & diuini honoris, Sacramentorumque ritè per te administratorum ratio.

Secundò considera EREMITARVM & ANACHORETARVM vitam, quam in solitudinibus & desertis locis summa cum pietate & austeri-

tate

tate transegerunt. Qualis fuit S. Paulus ex Thebaide, qui ab anno ætatis decimoquinto vsque ad centesimum decimum tertium hominibus incognitus vixit; & Simeon Stilites, qui in altissima quadraginta cubitorum columna solus sub dio multis annis perseuerauit; & infiniti alij, qui in tenera sua ætate, & à primis quasi annis mundum reliquêre, petiuêre loca deserta & inculta, ad vnius Dei seruitutem tantùm apta: vt ita statim post receptam per baptismum innocentiam, perfectionis viam ingrederentur, vitam in ea ducentes Angelicam.

Tertiò, hos omnes res terrenas & caducas, quas hoc tempore homines vt acquirãt & conseruent, passim se mutuò trucidant, sine planctu, sine lacrymis, sine vllis suspiriis, imò cum ingenti gaudio reliquisse, paupertatem reputantes diuitias, tribulationes consolationem, contemptum verò honorem.

Quartò, eos non solùm ab hominibus, sed multo grauiùs à dæmonibus ipsis afflictos fuisse atque tentatos: sicut legimus de sanctissimis viris, Antonio, Hilarione, ac Patre illo, qui per quatuor continuos annos ne vnicam quidem horam quietam habebat.

Quintò, eos, quamuis non minùs ac nos omnibus subiecti fuerint necessitatibus humanis, in tanta tamen vixisse abstinentia, vt homines sine corpore videri potuerint; preces interim fundentes ad Deum continuas, Angelorum instar, qui semper diuinam contemplantes maiestatem, eam laudant atque glorificant.

Sextò

Sextò, vitam illorum plenam fuisse stuporis & admirationis. Primò ob eximiam eius puritatem: secundò, propter magnitudinem & frequentiam miraculorum: tertiò, propter conuersionem infinitarum pænè animarum ad vitam meliorem: quartò, ob rarum & excellens genus mortis à plurimis obitæ.

Septimò considera sanctorum COENOBITARVM, præter alias virtutes, singularem obedientiam, in eo ferè positam, quòd Superiori, tamquam Christi Domini vicario, promptè, integrè, alacriter obedierint.

Octauò considera, Beatissimam MATREM DEI hos omnes sanctitate superasse; multa enim illa Sacerdotibus similia ex officio Matris fecit. Non consecrauit illa Christi corpus, sed beatis illis verbis, ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT MIHI SECVNDVM VERBVM TVVM, Dei Filium humana carne in vtero vestiuit. Hoc sacrum corpus, suo sancto corpore nouem mensibus, velut in nobilissima theca aut ciborio, circumgestauit: natum posteà manibus tractauit, omnibus videndum, tenendum, osculandum, venerandum exhibuit, &c. *Luc. 1.*

Etsi autem ab hominum consuetudine in deserta loca non abierit, vt imitata CHRISTVM Filium suum, nobis vitæ exempla relinqueret, fuit tamen solitudinis amantissima: vt fuit & filius, qui post quadraginta dierum ieiunium, frequens noctes integras duxit insomnes in oratione, & quidem in monte. Vnde factum est, vt in conclaui frequenter cum Deo versa-

retur, rarò & breuiter loqueretur, multumque sileret: obedientiam porrò tanto studio coleret, vt ne Cæsaris quidem Augusti in orbis descriptione mandatum, quantumuis prægnans, negligendum putaret; purificationis legem, vt esset ab ea libera, haud transiliret, semper illud gestans in pectore: ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT MIHI SECVNDVM VERBVM TVVM.

Colloquium fiat ad eosdem, petendo humiliter, vttibi impetrent attentionem & cordis puritatem in oratione: abnegationem omnium rerum terrenarum, tui ipsius, & propriæ voluntatis, carnisque (per veram pœnitentiam) mortificationem, in loquendo modestiam, in agendo prudentiam, in omnibus promptissimam obedientiam, quò virtutibus perfectorum instructus eius maiestati placeas, & præmium piè conuersantibus paratum adipiscare.

Pater noster. Aue Maria.

Ad SS. RELIGIOSOS *ac* EREMITAS

Hymnus.

AVete solitudinis
Clausträque mites incolæ,
Qui pertulistis impios
Cœtus furentis Tartari.
Gemmas & auri pondera,
Et dignitatum culmina
Calcastis, & fœdissima
Quæ mundus offert gaudia.
Vobis olus cibaria
Fuêre, vel legumina;

Potum-

Potumque lympha præbuit,
Humusque dura lectulum.
Vixistis inter aspides,
Sæuisque cum draconibus;
Portenta nec teterrima
Vos terruêre dæmonum,
Rebus procul mortalibus,
Mens auolabat feruida;
Diuumque iuncta cœtui
Hærebat inter sidera.
Summo Parenti cælitum,
Magnæque Proli Virginis,
Sancto simul Paraclito,
Sit summa laus & gloria. Amen.

Vers. Iustos deduxit Dominus per vias rectas.
Resp. Et ostendit illis regnum Dei.

ORATIO.

ADesto Domine supplicationibus nostris, quas in beatorum Sacerdotum, Anachoretarum, & Monachorum Confessorum tuorum memoria deferimus: vt qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt precibus adiuuemur. Per Christum Dominum nostrum.

REGINA
VIRGINVM

EXERCITIVM V.

De Sanctis Virginibus Martyribus & non Martyribus.

Præludia communia erunt.

PRIMÒ considera, VIRGINES CHRISTO virginitate voto insolubili non rarò firmata desponsari : cuius amore infinitæ pænè iam cum eo regnantes , omnem à se & sensuum & cogitationum fœditatem repulerunt. Vnde B. Agnes ad Tyrannum castitati insidiantem: Ipsi sum desponsata,cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur.

Secundò considera ingenuum VIRGINVM candorem , puritatem animi , atque integritatem : quæ tanta fuit , vt per eam sibi societatem & familiaritatem cum Angelis comparauerint. vt in SS. Agnete & Cæcilia patet.

Tertiò, plurimas illarum seruasse virginitatem vsque ad extremam ætatem , & id non in cœnobiis aut eremis tantùm , sed in suis quoque ædibus : non tamen sine multo labore ac difficultate , macerando se ciliciis , ieiuniis, & aliis carnis afflictionibus.

Quartò, eas nec blanditiis nec minis ad castitatem violandam induci potuisse : quinimò in tolerandis suppliciis ac morte subeunda (si sexum spectes ac tenerrimam aliquarum ætatem)

tem) aut fortiores aliis martyribus fuisse, aut æquales; imbecilliores numquam. Tales fuere, Sancta Catharina, S. Agatha, S. Apollonia.

Quintò, VIRGINES glorioſas, præter ſingularem quamdam reuerentiam & familiaritatem, quam cum FILIO DEI ſponſo ſuo contraxerũt, aliis etiam eminentioribus coronis, quas laureolas appellant, inſignitas eſſe & ornatas: ex quibus multæ ſunt quæ duabus decorantur, vna per martyrium, altera per integerrimam cordis munditiem.

Sextò conſidera Angelicam planè MATRIS DEI puritatem, quæ prima Virginitatem Deo per votum conſecrauit; & oculis, ore, vultu, totoque corporis habitu caſtitatem ſpirauit, quippe quæ puriſſimum Deum attraxit in vterum.

Colloquium fiat ad eaſdem, petendo humiliter, vt præter cetera à Deo tibi impetrent ſolidam puritatem; auertendo abs te non ſolùm cogitationes impuras, ſed vanas etiam, & quouis modo pernicioſas diſtractiones: ac denique illa omnia, quæ corpus & animam fœdare poſſunt: vt ſic faciliùs caſtiſſimis precibus à Sanctiſſima VIRGINE VIRGINVM donum caſtitatis impetrare valeas.

Pater noſter. Aue Maria.

Hymnus ad SANCTAS VIRGINES.

AVete ſanctæ Virgines,
Pares beatis mentibus;
Quæ puritate ſidera
Soliſque flammas vincitis.

Vos nil ſuperbus terruit
Vultu tyrannus horrido,
Nec perculêre barbaro
Traiecta ferro viſcera.
Non blanda mundi gaudia
Flexêre vos ô Virgines,
Sed depuliſtis fortiter
Carnis ferocis impetum.
Agnum proinde proximè,
Quoçumque pergit, cingitis;
Per vos cohors cæleſtium
Nouo reſultat cantico.
Mentis peruſtæ maculas
Lauate rore myſtico;
Vt corde puro lampades
Chriſto feramus obuiàm.
Summo Parenti cælitum,
Magnæque Proli Virginis,
Sancto ſimul Paraclito,
Sit ſumma laus & gloria. Amen.

Verſ. Adducentur Regi virgines poſt eam.
Reſp. Proximæ eius afferentur tibi.

ORATIO.

DA nobis, quæſumus Domine Deus noſter, Sanctarum Virginum palmas inceſſabili deuotione venerari: vt quas digna mente non poſſumus celebrare, humilibus ſaltem frequentemus obſequiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

REGINA
VIDVARVM

EXERCITIVM VI.

De Sanctis Viduis & coniugatis.

Loci compoſitio & præludia eadem.

PRIMÒ cõſidera omnium quidem Chriſtianorum eſſe ſectari humilitatem, virtutum omnium fundamentum; in VIDVIS tamen præcipuè relucere, quæ & inſigni illa Virginitatis gloria deſtitutæ ſunt, & à mundo viris ſuis orbatæ negliguntur. Hæc autem humilitas in eo ſolo reperitur, qui eſt vilis abiectuſque ſemper in oculis ſuis, taliſque ab omnibus deſiderat & gaudet haberi.

Secundò conſidera B. VIRGINIS humilitatem, non ex amiſſa virginitate, aut ex alicuius mali occaſione, ſed ex interna virtute, ſinceraq. animi demiſſione. Quæ electa in matrem Dei, non niſi pro famula ſe geſſit, tum Dei, tum hominum. Elizabethæ vetulæ miniſtrauit, Ioſepho marito ſeruiuit, in vili ſtabulo peperit, cubauit, & manſit. Denique poſtremum vbique locum inter Chriſtianos dilexit, maluitque latere quàm agnoſci.

Tertiò conſidera, VIDVAS, quæ verè viduæ ſunt, de quibus S. Paulus, plerumque in cauſa eſſe, vt plurimæ virgines animæ & corporis integritatem conſeruent, dum ab illis incommoda & ſalutis pericula diſcunt, quæ in matrimonio expertæ fuere.

Quartò, B. VIRGINEM singulariter amare VIDVAS, primò ratione maximi doloris, quem sentiunt ob neglectum statum Virginitatis; quem, si fieri posset (intelligentes nunc eius excellentiam & summam quietem) etiam propria morte reuocarent: secundò ratione singularis in hoc statu corporis & animæ sanctitatis, ac voti quo se Deo subinde perpetuò obstringant.

Quintò, huius status beneficio homines diuinis rebus peculiariter curandis fieri idoneos; nempe solutos mundanis curis, valenteſque in omni loco puras manus leuare ad Deũ: exemplo Melaniæ senioris, cuius maritus cùm diem suum obiisset, calente adhuc defuncti corpusculo, aduoluitur illa ad pedes CHRISTI, ac veluti arridens dixit: Expeditiùs posthac tibi seruitura sum Domine. Exemplo quoq. B. Annæ & Iudith: quarum hæc mox à mariti morte se in clauſtrum secreti cubiculi abdidit, illa verò in templum migrauit; ibidemque orationi ieiuniisque noctes dieſque impenderunt.

Sextò, B. VIRGINEM peculiari modo fauere & adesse afflictis & desolatis, ac instar turturis gementibus, vt solent VIDVÆ. Nam vt sancta fides, teste Ambrosio, plurimos habuit persecutores; ita & Viduæ. Hos autem supra omnes Viduas experta est MATER DEI, excitatos in se à dæmonibus, dæmonumque membris. Cùm enim illius officium esset caput serpentis conterere, in nullam creaturam tantum concepit odium diabolus, quantum in MATREM DEI CREATORIS: in quam effudisset omnem in-

dignationem ſuam,& fluuium omnium malorum, niſi CHRISTVS matrem ſuam tutatus eſſet, dæmoniſque vires confregiſſet, & terra aperiens os ſuum, aquas illas omnes abſorbuiſſet. *Apoc.12.*

Septimò, labores ac miniſteria quæ magna cum deuotione exhibuerunt & exhibent VIDVÆ electis & ſanctis, qui peculiari affectu Beatiſſimam VIRGINEM MARIAM colunt. Nam magis decet Viduam ſuſcipere peregrinos,illiſque miniſtrare,quàm Virginem; quòd ſtatus hic ſolitudine & clauſura conſeruetur ac vigeat,qui proinde occaſionem non habet præſtandi hæc officia charitatis. Ac vt reperiantur virgines, quæ extra clauſtra cum laude viuant; non tamen decorum eſt, vt cum viris familiariter agant,iiſque ſeruiant, aut charitatis officia exhibeant. Quod vbi,qua decet modeſtia à Viduis præſtatur, nemo eſt qui iure offendatur, aut vitio vertat.

Nonò conſidera, B. VIRGINEM in matrimonio ſuo cum ſancto Ioſeph inito omnes coniugatas ſuperaſſe vitæ ſanctimonia & meritis. Nam virtutibus illis quæ in matrimonio præcipuè commendantur prædita per excellentiam fuit,fide ſcilicet, prole, & ſacramento. Fides ſeu fidelitas ſeruatur coniugi: proles ad Eccleſiæ augmentum ſuſcipitur: ſacramentum à Deo indiſſolubili nexu ſanctificatur. Hęc tria in hoc ſancto coniugio illuſtria ſunt. Nam vterque fidem ſeruauit, ſoliſque Deo virginitatem conſecrauit: indiſſolubile manſit vincu-

lum,

lum, sola Ioſephi morte ſolutum; ſignificauitq. CHRISTI coniugium cum Eccleſia; non quidem per carnalem copulam, ſed per ſpiritualem ac ſanctiorem rationem : quia ſicut MARIA VIRGO Virgini Ioſepho coniuncta fuit, ita CHRISTVS Virgo ſibi Eccleſiam Virginem caſtiſſimis nuptiis coniunxit. Proles non defuit, qui eſt finis fructuſque matrimonij; quæ proles in matrimonio quidem nata eſt, non tamen ex matrimonio ſuſcepta, ſed ex Virginis fecunditate, ne maledictione legis Virgo coniunx teneretur. Admirabilis planè fuit illa fecunditas, ſicut & proles ipſa. Virgo ſiquidem concepit hominem Deum, non per interualla temporum, ſed vno momento hominem omnibus membris perfectum, vſu rationis pollentem, plenum gratia & veritate. Mirabilis mater quæ parentem ſuum genuit, Deum ſuum lactauit, quæ nec primam ſimilem viſa eſt nec habere ſequentem.

Colloquium fiat ad eaſdem, petendo humiliter, vt præter cetera tibi & aliis impetrent humilitatem, conſtantiam, fidem, luctum ſpiritualem, charitatem in proximos perfectam. B. VIRGINIS opem implora, vt fecundas eius nuptias imitari valeas, multos ſcilicet generando CHRISTO ſpirituales filios, idque verbo & exemplo; quos ſuauitate lactis foueas, atque in viros perfectos iuxta ætatem plenitudinis Chriſti nutrias.

Pater noſter. Aue Maria.

Hymnus ad SANCTAS VIDVAS.

AVete ſanctæ Viduæ,
Aſſuetæ piis fletibus;
Quas Chriſti mater optima
Veris ſolatur gaudiis.
Vos ſemper fide ſtabiles
Manſiſtis: inſtar turturis
Pudici, nouos thalamos
Abhorruiſtis iugiter.
Non vana vobis gaudia,
Sed cælitum delitiæ,
Preceſque ad Deum impigræ
Sunt cordi, vt eſca ſpiritus.
Summo Parenti cælitum,
Magnæque Proli Virginis,
Sancto ſimul Paraclito,
Sit ſumma laus & gloria. Amen.

ORATIO.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter, vt ſicut de Beatarum N.N. Viduarum commemoratione gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum noſtrum, &c.


SPECVLVM PECCATORIS
Dominū iudicium
Vltor iniquitatum gladius.
Caro concupiscit aduersus spiritum.
Deducar in puteum interitus.
Peccatum
Peccatum meū contra me est semper.
Diabolus
Satanas stat a dextris meis ut aduersetur mihi
Vermis
Vermis meus non morietur.
Mors
Circumdederunt me dolores mortis.
In aranearum elementa
Quatuor tela sedet.
Elementa tandem tempore et calore soluentur.
Puteus infernalis.

THESAVRI
Precum & Exercitiorum Spiritualium
PARS QVINTA
De humanis miseriis & nouissimis.

CAPVT PRIMVM,
Considerationes seu Exercitia varia.

I. *De miseria* HOMINIS *ex parte corporis.*

RIMÒ considera, te olim nihil fuisse:
Te ex limo terræ, re vilissima, formatum esse:
Animal irrationale creari potuisse:
Conceptum esse cum sorde peccati:
Filium iræ, & Dei inimicum factum.
Secundò, quo cibo nutritus sis in vtero:
Quàm miserè in lucem editus:
Quàm grauis aliis in infantia.
Tertiò, te nunc vas esse putredinis plenum:
Morbis innumerabilibus obnoxium:
Educatum in lacrymis:
Viuentem in miseriis:

Moriturum in anguſtiis:
Eſcam futurum vermium:
Quod nunc es, fuiſſe olim mortuos:
Quod illi ſunt, te paulò pòſt futurum.

II. *De Miſeria* HOMINIS *ex parte animæ.*

PRimò conſidera, vt anima ex nihilo ſit creata:
Labe carnis inquinata:
Infirmitate & ignorantia plena:
Originali peccato fœdata:
Iræ Dei obnoxia.

Secundò, quàm multa flagitia illi in vita accreuerint:
Quoties peccato ſeruierit:
Quoties ſe dæmoni ſubiecerit:
Quot tentetur carnis titillationibus,
Quot huius ſæculi illecebris,
Quot illuſionibus dæmonis.

Tertiò, vitam hanc infinitis perturbationibus ſubditam:
Potentiam inimicorum maximam:
Prælium animæ periculoſum:
Terram durum exilium:
Infernum horrendum receptaculum.

III. *De Effectibus peccati.*

PRimò conſidera peccato maculari baptiſmalem animæ pulchritudinem:
Priuari animam dulcedine diuinæ gratiæ:
Offenſo creatore, iniuriã fieri ceteris creaturis:
Amicam fieri Luciferi, & ſeruam peccati:
Aſſcribi numero reproborum omnium.

Secundò, Peccatorem ex vno peccato in aliud atque aliud præcipitari:
Derelicta syndereſi, omnia perperàm agere:
Intellectus lumen obſcurari:
Memoriæ vim ad diuina minui:
Voluntatem illicitis inflammari:
Appetitum ſenſitiuum perturbari:
Tertiò, Merita Chriſti parum animæ peccatrici prodeſſe:
Sanctorum & Iuſtorum ſatisfactionibus priuari:
Præteritorum benefactorum fructu ſpoliari:
Inſpirationes ſanctas conſuetudine peccandi ſuffocari:
Cælum claudi, infernum aperiri.

IV. *De punitione peccati.*

COnſidera primò, vt Lucifer ob ſuperbiam è cælo in æterna tormenta detruſus ſit:
Adam ob inobedientiam ex deliciis in miſerias eiectus:
Totus terrarum orbis ob luxuriam diluuio obrutus:
Quinque vrbes ob libidinem igne cælitus miſſo conſumptæ:
Ob inuidiam, Dathan & Abiron hiatu terræ abſorpti:
Furtum infelicis Achan lapidatione mulctatum:
Audacia Ozæ repentina morte punita:
Adulterium Dauid ſeueriſſimè caſtigatum:
Ieſabelis impietas præcipitio & canum dilaceratione vindicata:

Blasphemia Sennacherib mira exercitus strage, & ipsius interitu:
Superbia Regis Antiochi horrendo morbo pediculari:
Mendacium Ananiæ & Saphiræ morte repentinadamnatum.
Secundò, Peccatum nisi morte Christi expiari non potuisse:
Qualem ille pœnam tulerit in cruce:
Quomodo propter scelera nostra attritus fuerit:
Quomodo à Deo Patre derelictus.
Tertiò, ob vnum solum veniale multos purgatoriis flammis cruciari:
Ob vnicum mortale plurimos inferno detineri,
Sine spe misericordiæ æternis suppliciis addictos.
Quid facies miser peccatorum põdere pressus?

V. *De morte, ex parte corporis.*

PRimò considera, quàm grauiter moriens cum morbo & morte conflictetur:
Quid prosint medici, eorumque remedia, & consilia:
Quid iuuent parẽtum & amicorum lacrymæ:
Quòd mundus deserendus, quem tantopere amarat:
Quòd res omnes, quarum vsu & possessione priuatur.
Secundò, quòd singulorum membrorum dolore torqueatur:
Quinque sensus paulatim eum deserant:

Nudus,

Nudus, vt ingressus erat, discedat è vita:
Cadauer vix ad paucas horas ab amicis domi toleretur,
Vermibus deuorandum obiiciatur.
Vbi iam forma, doctrina, vel prudentia, quam admirabaris?
Quæ memoria erit de ipso post aliquot annos?
Tertiò, sic statutum est omnibus semel mori.
Post mortem autem iudicium. & quale iudicium? quàm exactum, quàm seuerum?
Hora, locus, modus incertus.

VI. *De morte, ex parte animæ peccato obnoxiæ.*

PRimò considera, vt anima cognoscens finem suæ peregrinationis obstupescit:
Exitum viæ, quam ingressura est, timens, ingemiscit:
Corpus, quod delicatè tractauit, cogitat esse relinquendum:
Luenda videt quæcumque fecit, & cogitauit:
Id eam magis excruciat quod in vita charissimum fuit.
Secundò, tetris dæmonum spectris horribiliter exagitatur:
Satanas peccata in Deum admissa obiicit:
Nunc cognoscit, quàm imprudenter vixerit:
Quàm melius esset pœnitentiam, quàm voluptatem coluisse:
Intus sentit conscientiam accusantem, ac se condemnantem:
Horret prodire ante offensi Iudicis conspectum:

In ſingula momenta tremendam ipſius ſententiam expectat:

Circúſpicit vndique,&defenſorẽ non inuenit.

Tertiò, ſoluta corpore, ignotas regiones ingreditur:

Ab Angelo cuſtode, cuius monita contempſit, deſeritur:

A dæmonibus, quibus obediuit, violenter rapitur:

Æternis tandem inferni flammis adiudicatur.

VII. *De morte,ex parte animæ iuſtæ.*

PRimò conſidera, quomodo gaudeat iam aduenisſe finem laborum:

Corpore,quod ſemper domitum habuit,quàm libenter ſpolietur:

Memoria iciuniorum ac pœnitentiæ plurimùm recreetur:

Contra dæmones viuæ fidei clypeo muniatur:

Spei adminiculo contra deſperationem confirmetur:

Charitatis operibus roboretur:

Virtutum fragrantia delectetur.

Secundò, quomodo Sanctorum præſentia in vltimo conflictu recreetur:

Dæmonum irruentium agmina, Chriſti munere, diſſipentur:

Eccleſiæ & amicorum precibus mirum in modum reficiatur:

Sacramentorum, quæ coluit, ſalutarem vim experiatur.

Tertiò, quomodo intus ſentiat conſcientiam pacatam:

Extrinsecus Angelum videat consolantem:
Iuxta se Matrẽ Dei sibi respiciat applaudẽtem:
Sursum Christum sponsum ad regnum gloriæ inuitantem.
Sic ad cælestes nuptias gestit euolare,
Torrente diuinę voluptatis perpetuò inebriari.

VIII. *De signis præcedentibus iudicium.*

PRimò, considera aduentum, & tremenda facta Antichristi:
Persecutionem bonorum, qualis numquam fuit:
Bellum, famem, & pestem toto orbe terrarum grassantia.
Secundò, signa proximè iudiciũ præcedẽtia:
Mare insolitis fluctibus & procellis agitabitur:
Monstra & belluæ marinæ in terras eiicientur:
Ipsum mare conflagrabit, & aqua fluctuans ardebit:
Herba, plantæ, & arbores rorem emittent sanguineum:
Palatia, arces, oppida, & vrbes corruent:
Saxa saxis, montes montibus collidentur:
Terra motibus concutietur insolitis:
Omnes montes vallibus æquabuntur.
Tertiò, abiicient se homines in cauernas pauore attoniti:
Stellæ cadere de cælo videbuntur:
Terra, & quidquid in ea est, cum hominibus igne consumetur:
Mortuis omnibus, omniũ succedet resurrectio:
Ossa mortuorum carnem resument, vt adsint ad iudicium.

Tum fiet cælum nouum, & terra noua. Quid tunc eris?

IX. *De generali Iudicio.*

PRimò considera, quomodo quisque attendit sibi ipsi, & non alteri:

Cerne damnatorum animas in horrendis corporibus:

Considera varietates ordinum Iudicem expectantium:

Vide signum filij hominis rutilans in cælo.

Secundò, intuere descendentes turmatim Angelos, & Iudici locum dantes:

Aspice venientem Iudicem cum summa maiestate:

Is erit inflexibilis, cùm sit summè iustus:

Fugere, aut occultare te non poteris, cùm sit omnipotens:

Nihil eum latebit, qui scrutatur corda & renes omnium:

Omnes omnium cogitationes & facta patebunt omnibus.

Tertiò, reddenda erit ratio de donis externis corporis & animæ:

Nihil omnino inultum manebit:

Multi erunt accusatores, amicus nullus reprobis:

Bonorum rectè facta coram omnibus prædicabuntur:

Maxima cum lætitia audient boni; Venite benedicti:

Exprobrabuntur malis peccata coram omnibus, & audient; Ite maledicti:

Absorptis inferno reprobis, cælum iusti conscendent.

X. *De Inferno.*

PRimò, attentè considera loci deformitatem, profunditatem, & fœtorem:

Vide flammas sulphureas, & in ipsis damnatos infelices:

Tortorum horribiles formas, atrocitatem, & vim indefessam:

Audi horrendos miserorum vlulatus, & blasphemias.

Secundò, aduerte singularum partium supplicia:

Visus torquetur tenebrarum densitate, & dæmonum præsentia:

Auditus maledictionibus continuis, & tortorum irrisionibus:

Tactus acerbitate ignium, frigorum, & discerptionum:

Gustus incredibili rerum omnium, quæ ibi sunt, amaritudine:

Odoratus tetro odore loci, & peccatorum:

Memoria recordatione præteritarum voluptatum:

Intellectus apprehensione æternarum pœnarum:

Voluntas acerbissimo odio eorum, qui ibi, & in cælo sunt:

Corpus totum omnibus tormentorum generibus excruciatur:

Anima atrocissimè angitur, sine spe relaxationis.

Tertiò, considera multos damnatos, qui minùs quàm tu peccauerunt:

Neminem in æternum liberatum iri, qui cum peccato mortali decesserit.

XI. *De gloria Paradisi.*

PRimò, considera loci splendorem, amœnitatem, amplitudinem.

Secundò, quãtum sit gaudium videre S. Trinitatem fontem bonitatis:

Videre Christum Regem cælorum in decore suo:

Cernere beatissimam Virginem stellis coronatam, sole circumdatam, cum Filio regnãtem:

Frui iucundissima Sanctorum consuetudine:

Audire suauem harmoniam & cantica sequentium Agnum:

Cum Sanctis conuersari:

Eorum bonis vt propriis affici, & lætari.

Tertiò, quàm iucundum erit videre sub pedibus dæmones Dei munere superatos:

Super caput gloriam Christi meritis & gratia comparatam:

Recordari præteritæ pœnitentiæ fructus vberrimos:

Deum sine fine visum, absque fastidio amare, & sine fatigatione laudare:

Securissimam & æternam possessionem tenere eorum quæ nec óculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

His omnibus ob vanam delectatiunculam te priuabis?

CONSIDERATIO *animæ corpore abeuntis. Ex B. Petro Damiano, Epistola ad Blancam, c. 6.*

PEnsandum est, cùm iam peccatrix anima vinculis incipit carnis absolui, quàm amaro terrore concutitur, quantis mordacis conscientiæ stimulis laceratur? Recolit vetita quæ commisit: videt mandata quæ negligenter implere contempsit. Dolet indulta pœnitentiæ tempora sese inaniter percepisse, plorat immobilem districtæ vltionis articulum ineuitabiliter imminere. Manere satagit, ire compellitur; recuperare vult perdita, non auditur.

Post terga respiciens, totius transactæ vitæ cursum velut vnum reputat breuissimum itineris spatium; ante se oculos dirigit, & infinitæ perennitatis spatia deprehendit. Plorat itaque, quia intra tam breue spatium acquirere lætitiam potuit omnium sæculorum, &c. Deflet etiam se, propter tam breuis illecebræ voluptatem, inenarrabilem perennis suauitatis amisisse dulcedinem.

Erubescit, quia propter illam superbiam qua vermibus erat obnoxia, illam neglexit quæ choris Angelicis erat inferenda.

Iam radios mentis attollit, & cùm diuitiarum immortalium gloriam contemplatur, eam propter vitæ huius inopiam perdidisse confunditur.

Cumque sub se reflectit oculos ad huius mundi conuallem tetramque caliginem, super se miratur æterni luminis claritatem, & liquidò

deprehendit, quia nox erat & tenebræ, quod amauit. O si rediuiuum pœnitentiæ tempus mereri posset, quàm duræ conuersationis iter arriperet! qualia & quanta promitteret, quantis se deuotationum vinculis innodaret! Interea dum hebescentes oculi contabescunt, & dum pectus palpitat, raucum guttur anhelat, dentes paulatim nigrescunt, & quamdam velut rubiginem contrahunt; pallescunt ora, membra cuncta rigescunt: dum hæc itaque & huiusmodi tamquam vicinæ morti præcedentia famulantur officia, adsunt omnia simul & gesta & verba.

Nec etiam ipsæ cogitationes desunt: & cuncta hæc amarum aduersus auctorem testimonium reddunt. Coaceruantur omnia ante despicientis oculos; & qui conspicere refugit, coactus & inuitus attendit.

Adest prætereà, hinc horrenda dæmonum turba, illinc virtus Angelica. In illo qui medius est, liquidò deprehenditur cui parti iure possessio vendicetur. Nam si pietatis in eo videntur insignia; inuitationis Angelicæ blanditiis delinitur, atque harmonicæ melodiæ dulcedine vt exeat prouocatur. Quòd si eum sinistræ parti, meritorum nigredo & fœditatis squalor adiudicet; intolerabili mox terrore concutitur, repentini impetus violentia perturbatur, præcipitanter inuaditur, ac de miseræ carnis ergastulo violenter euellitur, vt ad æterna supplicia iam cum amaritudine pertrahatur.

Iam verò post egressionem de corpore, quis

expli-

explicare valeat quot armatę ſpirituum acies in inſidiis lateant; quot frementes cunei feralibus telis inſtructi iter obſideant;& ne tranſire libera poſſit anima, velut militari more conſtipatæ legiones oppugnent?

Hæc & huiuſmodi frequenter in corde verſare,quid eſt aliud quàm lenocinantia vitæ huius blandimenta reſpuere, mundo repudium dare, illices motus carnis elidere, ſolumque perfectionis adipiſcendæ propoſitum indeclinabiliter cuſtodire?

D. DOMINICI CARTHVSIANI exhortatio ad pœnitentiam.

HOmo Dei creatura,
Cur in carne moritura,
Eſt tam parua tibi cura
Pro æterna gloria?
Illa quanta ſit ſi ſcires,
Præter eam nil ſitires,
Nec mundana ſic ambires,
Vana,tranſitoria.
Et ſi pœnas infernales
Agnouiſſes,quæ & quales,
Tuos vtique carnales
Appetitus frangeres.
Et innumera peccata,
Dicta,facta, cogitata,
Mente tota conſternata
Meritò deplangeres.
Tot ſunt gaudia ſanctorum,
Tot tormenta reproborum,

Quòd immenſitas amborum
Nullo ſenſu capitur:
Donec anima poſt mortem,
Aut bonorum ſumat ſortem,
Aut malorum ad cohortem
Improuisè rapitur.
Quando caro ſepelitur,
Heu de ſpiritu nil ſcitur;
Vtrùm gaudet, an punitur,
Non fit magna mentio.
Luctus quidem ſimulatur,
Sed ſubſtantia vaſtatur,
In propinquis generatur
Zelus & contentio.
Mors eſt bonis, mors eſt malis,
Sed ſors nimis inæqualis
Subinfertur, æternalis
Vitæ vel interitus.
Exequiæ ſi celebrantur,
Si vel noti conuiuantur,
Nil defuncto ſuffragantur
Si tunc eſt immeritus.
Nullum tempus pœnitendi,
Mora nulla reuertendi,
Nec tunc locus fugiendi,
Miſeris ſupererit.
Si vis ſurſum, detrahêris,
De abyſſis extrahêris,
Iudici vt præſenteris;
Nihil tibi proderit.
Si Ieſum non dilexiſti,
Nec Mariæ ſeruiuiſti,

Nec patronum quæsiuisti
Tibi in subsidium;
Quis orabit pro delicto,
Quis spondebit pro conuicto,
Quis iudicio tam stricto
Fiet in præsidium?
Pacis Angeli adstabunt,
Sicut scriptum est, plorabunt,
Iustam tamen approbabunt
Iudicis sententiam.
Et quod sonat magis durè,
Omnes Dei creaturæ
Aggrauabunt iusto iure
Ream conscientiam.
Sed hæc factis ex scelestis
Est sui ipsius testis,
Nullam Iudicis in gestis
Intuens iniuriam.
Tunc horribiles tortores
Tot incutient terrores,
Vt iam sentiens dolores,
Vertatur in furiam.
Tunc à bonis reprobata,
In seipsa desperata,
Anima sic desolata,
In profundum mergitur.
Vbi chaos obfirmatur,
Vt numquam egrediatur,
Sicut Abraham testatur,
Huc illuc non pergitur.
O quæ lingua vel narrare,
Vel quis sensus cogitare,

Quis vel audet numerare
Mala multiplicia;
Quæ damnandis sunt parata,
Et diuersis deputata,
Prout singula peccata
Exigunt & vitia!
Ignis, frigus procellarum,
Sulphur, fœtor tenebrarum,
Iugis luctus animarum,
Pars earum calicis.
Sempiterna mors, dracones,
Fames, dæmones, bufones,
Amarissimos agones
Superaddunt miseris.
Tot sunt loca tenebrosa,
Tot tormenta monstruosa,
Quòd hæc terra spaciosa
Atque visibilia
Quasi parum sint miranda,
Nec ad illa comparanda:
Ista quippe enarranda,
Hæc indicibilia.
Sic lætitia Sanctorum,
Iucunditas Angelorum,
Dei gloria Deorum,
Est inenarrabilis.
Eris clarè Deum videns,
Fruens & amore tenens,
Potens, sciens, placens, gaudens,
Fulgens, liber, agilis.
Vbi conditoris tui
Vultu semper possis frui.

Felix prorsus, illa cui
Visio conceditur.
A qua numquam separatur,
Sed perpetuò lætatur;
Mali nihil formidatur,
Nec quis ibi læditur.
Illic Angelorum chori,
Sancti facie decori,
Viuere, & numquam mori,
Mortis nec memoria:
In æternum sed gaudere,
Summo bono inhærere,
Cuncta bona possidere,
In æterna gloria.
Numquam auris hîc audiuit,
Nec videre quisquam sciuit;
Solùm qui in cælis viuit,
Scit experientia,
Quid à malis liberati,
Et in gloria locati,
Ipsi possident beati
In Christi præsentia.
Sed his paucis propalatis,
Partim tactis & narratis,
Quæ tum sanctis, tum damnatis,
Præparata legimus;
Iam prudentiùs agamus,
Sanctam vitam eligamus,
In hoc mundo defleamus
Mala quæ peregimus.
Non viuamus vt iumenta,
Ne post mortem ad tormenta

Veniamus & lamenta
Intolerabilia.
Modò veniam precemur,
Mortem Christi meditemur,
Ad superna præparemur
Desiderabilia.
Ecce mundus euanescit,
Decor eius iam marcescit,
Et quotidie vilescit
Fallax eius gloria,
Quæ demergit ad inferna.
Ergo gloria superna,
Vita nobis sempiterna,
Iugis sit memoria.
Vt defuncti subleuemur,
Cum cœlitibus lætemur,
Et in Deo gloriemur,
Summè delectabili.
Qui solus glorificandus
Est, amandus & optandus,
Laudeque magnificandus
Est interminabili.

QVERELA SIVE DIALOGVS ANIMÆ ET CORPORIS DAMNATI,

quem aiunt quidam S. Bernardum per nocturnum visum composuisse.

NOctis sub silentio tempore brumali,
Deditus quodammodò somno spiritali,
Corpus carens video spiritu vitali;
De quo mihi visio fit, sub forma tali.
Cùm dormirem paululùm vigilando fessus,

Ecce

Ecce quidam ſpiritus, nouiter egreſſus
De prædicto corpore, vitiis oppreſſus,
Corporis cum gemitu plangebat exceſſus.
Iuxta corpus anima ſtetit & plorauit,
Et eam cum gemitu ſic interrogauit:
O caro miſerrima, quis te ſic proſtrauit,
Quam mundus tam proſperè pridie ditauit?
Nónne mundus pridie tibi ſubdebatur?
Nónne te prouincia tota verebatur?
Vbi nunc familia, quæ te ſequebatur?
Cauda tua florida iam nunc amputatur.
Non es nunc in turribus de petris quadratis,
Sed nec in palatiis magnæ largitatis:
Nunc delata feretro paruæ quantitatis,
Iaces nunc in tumulo breuiore ſatis.
Quid tibi palatia proſunt, vel quid ædes?
Vix nunc tuus tumulus benè capit pedes.
Quemquam falsè iudicans amodò non lædes:
Per te data nobis eſt in inferno ſedes.
Ego, inquam, anima nobilis creata,
Ad ſimilitudinem Domini formata.
O caro miſerrima, mecum es damnata!
Si ſcires ſupplicia nobis præparata,
Verè poſſes dicere, Heu quid fui nata?
Vtinam ad tumulum de ventre tranſlata!
Non eſt mirum, fateor, quia dum vixiſti,
Quidquam benefacere me non permiſiſti:
Sed ſemper ad ſcelera peſſima traxiſti:
Vnde ſemper erimus in dolore triſti.
In pœnis acerrimis ſum, & ſemper ero.
Nullæ linguæ ſæculi dicerent pro vero
Vnam pœnam miſeram, quam infelix fero:

Sed, quod magis doleo, veniam non ſpero.
Vbi ſunt nunc prædia, quæ tu congregaſti,
Vel celſa palatia, turres quas fundaſti?
Et numorum copia quam tu plùs amaſti,
Gemmæ per quas annulis digitos ornaſti?
Vbi lecti ſtrati iam tam miri decoris,
Veſtis mutatoria vario coloris?
Species aromatum placidi ſaporis,
Vaſa, menſæ, gauſapæ niuei candoris?
Vbi modò volucres, vel caro ferina,
Vel murenæ nobiles, vel electa vina?
Non agnis, nec gregibus redolet coquina.
Talis peccatoribus imminet ruina.
Tua domus qualiter tibi modò placet?
Eius nónne ſummitas ſuper naſum iacet?
Iam clauduntur oculi, lingua tua tacet.
Nihil tibi ſupereſt, quod iam lucro vacet.
Quidquid dudum miſero congregaſti more,
Dolo, fraude, fœnore, metu, vel rigore,
Longæua per tempora, cum magno labore,
A te totum rapuit mors, humus humore.
Non modò circumdaris amicorum choris:
Cùm per mortem cecidit flos tui decoris,
Rumpitur cuiuſlibet vinculum amoris.
Tuæ iam triſtitia ceſſauit vxoris.
In tuis parentibus amodò non ſperes,
Quia ſibi remanent terræ, Bacchus, Ceres,
Et theſauri copia, pro qua pœnas feres:
Mortem tuam breuiter plangit tuus heres.
Non credo, quòd mulier tua, ſiue nati,
Darent quinque iugera terræ ſiue prati,
Vt nos, qui de medio iam ſumus ſublati,

A pœnis redimerent, quas debemus pati.
Iam scis caro misera, quàm sit malè tuta
Mundi nequam gloria, fallax, & versuta,
Repleta doloribus, vitiis polluta,
Et veneno dæmonum nequiter imbuta.
Pretiosis vestibus non es nunc induta:
Tuum valet pallium vix duo minuta,
Paruo linteamine iaces inuoluta.
Tibi modò pauperes non ferent tributa.
Et licet non sentias nunc tormenta dura,
Scias quòd suppliciis non es caritura.
Nam testantur omnia Scripturarum iura,
Quòd tormenta postmodum mecum es passura.
Te, qui pater pauperum non eras, sed prædo,
Iam rodunt in tumulo vermes & putredo.
Tecum diu nequeo stare, iam recedo.
Nescis ad opposita respondere, credo.

Respondet CORPVS.

TAndem postquam anima talia dixisset,
Sese corpus erigit, quasi reuixisset:
Postquam verò gemitus multos emisisset,
Quærit quisnam talia locutus fuisset.
Es tu, inquit, spiritus meus, qui sic faris?
Non sunt vera penitus cuncta, quæ causaris:
Iam probabo pleniùs, argumentis claris,
Quòd, si quædam vera sint, in multis nugaris.
Feci te multoties in multis errare,
Et à bonis actibus sæpè declinare.
Sed si caro faciat animam errare,
Plus est culpa spiritus; audi tamen quare.
Mundus & dæmonium fœdus pepigere,
Et carnem miserrimam secum coniunxere:

Quam si rigor animi cesset coërcere,
In peccati foueam cadunt ambo verè.
Sed, vt mihi dixeras, Deus te creauit,
Et bonam, & nobilem; sensu te ditauit,
Et ad suam speciem pariter formauit,
Vt ancilla fierem tibi me donauit.
Ergo, si tu domina creata fuisti,
Et dabatur ratio per quam debuisti
Nos in mundo regere; cur mihi fauisti
In rebus illicitis, & non restitisti?
Num carnem, vt animam, iustum est culpari,
Quæ se, cùm sit domina, sinit ancillari?
Nam caro per spiritum debet edomari,
Fame, siti, verbere, si vult dominari.
Caro sine spiritu nihil operatur:
Eius adminiculo viuens vegetatur.
Caro quæ per spiritum non suppeditatur,
Per mundi blanditias mox infatuatur.
Caro quæ corrumpitur, per se malum nescit.
Carni sine spiritu nihil innotescit.
Si, quod iubes, exequor, culpa tibi crescit:
Caro sine spiritu, mortua quiescit.
Si voluntas spiritus in opus ducatur
Per carnem pedissequam, caro quid culpatur?
Culpa tangit animam, per quam imperatur,
Id quod caro fragilis viuens operatur.
Carne quidem grauiùs tu peccasti, crede,
Carnis sequens libitum, fragilis & fœdæ.
Rodunt mea viscera vermes in hac æde,
Iam non loquar ampliùs, anima recede.

Respondet ANIMA.

Adhuc, dixit anima, tecum volo stare,
Et tua, si potero, dicta refrenare:
Vt quid mihi loqueris corpus tam amarè,
Volens mihi penitus culpam imputare?
O caro miserrima, quæ viuens fuisti
Stulta, vana, friuola, à quo didicisti
Verba tam asperrima, quæ iam protulisti?
Attamen in pluribus rectè respondisti.
Istud enim consonum scio veritati,
Restitisse debui tuæ voluntati:
Sed tua fragilitas prona voluptati,
Nugis mundi dedita noluit hoc pati.
Quando te volebam, ô caro, castigare,
Verbere, vigiliis, vel fame domare;
Mox te mundi vanitas cœpit effrenare,
Et illius friuolis coëgit vacare.
Et ita dominium de me suscepisti,
Perditrix domestica de me sic fuisti:
Per mundi blanditias me post te traxisti,
In peccati puteum tandem me misisti.
Scio me culpabilem; nam in hoc erraui,
Quòd, cùm essem domina, te non refrenaui:
Sed tu me deceperas fraude tam suaui,
Quare tu deliqueras culpa magis graui.
Si mundi delicias dolos machinantis
Despexisses fatui, sed & incantantis
Dæmonis astutias; è cælo tonantis
Adhæsisses monitis, essemus cum Sanctis.
Sed tamen tripudiis mundi fraus arrisit,
Ac vitam diutinam firmiter promisit:
Quod mori non putabas, sed mors hæc emisit;

Quando de palatio, ad tumbam te misit.
Hominum fallacium mundus habet morem,
Quod magis amplectitur, quibus dat honorem;
Illos fallit citiùs per necis rigorem,
Et dat post diuitias vermes & fœtorem.
Qui tibi, dum vixeras, amici fuere,
Iacentem in tumulo nolunt te videre.
Corpus hoc intelligens cœpit quasi flere,
Et verbis humilibus ita respondere.

Respondet CORPVS.

QVi viuendo potui multis imperare,
Aurũ, gemmas, prædia, nummos cõgregare,
Castella construere, gentes iudicare,
Putásne quòd credidi tumulum hunc intrare?
Optimè nunc video, & est mihi clarum,
Quòd nec auri dominus, nec diuitiarum,
Honor, vis, scientia, virtus nec herbarum,
Mortis possunt fugere stimulum amarum.
Ambo quidem possumus à Christo culpari.
Et culpamur, fateor, sed non culpa pari:
Tibi culpa grauior debet imputari.
Multis rationibus potest hoc probari.
A sensato quolibet hoc non ignoratur,
Iura clamant, ratio pariter testatur,
Vt cui plus præ ceteris virtutum donatur,
Ab eo plus vtique tandem exigatur.
Vitam & memoriam, sed & intellectum,
Tibi dedit Dominus, sensumque perfectum,
Quibus tu compescere debebas affectum
Prauum, & diligere id quod erat rectum.
Postquam tot virtutibus ornata fuisti,
Et tu mihi fatua pronam te dedisti,

Meisque blanditiis minùs restitisti;
Satis liquet omnibus, quòd plus deliquisti.
Addo (licet referam corde cum amaro,
Quod iam mihi patens est argumento claro)
Exeunte spiritu, agit ne quid caro?
Mouet ne se postea vel citò, vel rarò?
Videt ne, vel loquitur? hoc est ergo clarum:
Spiritus viuificat, caro prodest parum.
Si haberet anima Deum suum charum,
Numquam caro vinceret vires animarum.
Si Deum, dum vixeras, amasses perfectè,
Et si causas pauperum indicasses rectè,
Nec prauorum hominum adhæsisses sectæ;
Non me mundi vanitas concepisset, nec te.
Quæ viuebam splendidè, sericis amicta,
Ecce quæ de omnibus sunt mihi relicta,
Putredo cum vermibus, & hæc domus stricta,
Quibus, post delitias mundi, sum amicta.
Et scio præterea, quòd sum surrecturа,
In die nouissimo, tecumque passura
Pœnas mortis perpetes: heu mors illa dura,
Mors interminabilis, fine caritura!

Respondet ANIMA.

AD hæc clamat anima, voce cum obscura:
Heu si numquam fuissem in rerum natura!
Cur permisit Dominus, vt sim creatura,
Cùm præscita fuerim esse peritura?
O felix conditio pecorum brutorum!
Cadunt cum corporibus spiritus eorum;
Nec post mortem subeunt loca tormentorum.
Talis esset vtinam finis impiorum!

Respondet Corpvs.

Corpus post hæc loquitur animæ tam tristi:
Si tu apud inferos anima fuisti,
Dic mihi, te deprecor, quid ibi vidisti?
Si qua spes sit miseris de dulcore Christi.
Quid ibi nobilibus paratur personis,
Qui priùs, dum vixerant, sedebant in thronis?
Si sit illis aliqua spes redemptionis,
Pro numis, pro prædiis, ceterisque donis.

Anima respondet.

Corpus, tua quæstio caret ratione.
Cùm infernum subeunt damnatæ personæ,
Non est spes vlteriùs de redemptione,
Nec pro eleemosynis, vel oratione.
Si tota fidelium pietas oraret,
Si totam pecuniam mundus suam daret,
Si tota Religio ieiuniis vacaret,
In inferno positum numquam liberaret.
Non daret diabolus ferus & effrenis
Vnam vinctam animam in suis catenis,
Pro centenis millibus prædiis terrenis;
Nec quandoque sineret, vt careret pœnis.
Ad hoc quod interrogas, quid ibi paratur
Personis nobilibus; hoc pro lege datur,
Quanto quis in sæculo magis exaltatur,
Tanto cadit grauiùs, si transgrediatur.
Diues ergo moriens, si forte damnatur,
Grauibus præ ceteris pœnis implicatur:
Nam, quanto delitiis plùs delectabatur,
Tanto pœna grauior sibi deputatur.

AVCTOR.

POstquam tales anima prompserat mœrores,
Ecce duo dæmones, pice nigriores,
Quos pennâ describere non possent scriptores,
Nec mundi depingere totius pictores:
Ferreos in manibus stimulos ferentes,
Ignemque sulphureum per os emittentes:
Similes ligonibus sunt eorum dentes,
Visi sunt ex naribus prodire serpentes.
Aures erant patulæ, sanie fluentes,
Et erant in frontibus cornua gerentes,
Per extrema cornuum venenum fundentes;
Digitorum vngulæ vt aprorum dentes.
Isti cum funiculis animam ceperunt,
Quam secum ad inferos gementem traxerunt:
Mox maligni spiritus passim occurrerunt,
Qui vice tripudij dentibus striderunt:
Et ei cum talibus votis applauserunt:
Quidam cum corrigiis ipsam perstrinxerunt,
Quidam vncis ferreis ipsam disruperunt,
Quidam plumbum feruidum in eam fuderunt.
Quidam fimum stercorum in os proiecerunt,
Et quidam in faciem eius imminxerunt:
Quidam suis dentibus ipsam corroserunt,
Demum & à corpore pellem detraxerunt.

DÆMONES.

ADhæc dicunt dæmones, quasi fatigati;
Ij qui nobis seruiunt, sic sunt honorati.
Possis modò dicere sicut bufo crati.
Sed debes in centuplum duriora pati.

ANIMA dicit.

POst hæc tandem anima gemens suspirauit;
Et voce qua poterat, parum murmurauit:
Quando verò barathri limen subintrauit;
Eiulans insonuit: Iesu fili Dauid.

DÆMONES.

COnclamantes dæmones responderunt ei:
Tardè nimis inuocas nomen tui Dei.
Parum prodest amodò Miserere mei.
Non est vltrà veniæ spes, nec requiei.
Non lumen de cetero videbis diei:
Decor iam mutabitur tuæ faciei:
Nostræ sociaberis dehinc aciei.
Erit apud inferos hoc solamen ei.

AVCTOR.

TAliâ dum videram dormiens, expaui;
Et extra me positus, statim vigilaui:
Mox expansis manibus ad Deum clamaui,
Orans vt me protegat à pœna tam graui:
Mundumque cum friuolis suis condemnaui.
Aurum, gemmas, prædia nihil reputaui;
Rebus transitoriis abrenuntiaui,
Et me Christi manibus totum commendaui.
Ecce mundus moritur, vitio sepultus.
Ordo rerum vertitur; sapiens fit stultus:
Exulat iustitia, cessat Christi cultus:
Et in mundo iugiter labor & tumultus.
Mundus ad interitum pergit his diebus.
Dij facti sunt iterùm Iuppiter & Phœbus.
Nam qui nummos possidet, & abundat rebus,
Hic vt Deus colitur, sceptris, aciebus.
Et quæ Theologicæ virtutes vocantur,

Fides,

Fides, Spes, & Charitas, ferè suffocantur:
Fraus, & auaritia, & quæ deriuantur
Ex his, iam in sæculo toto dominantur.
Si sis ortu nobilis, si vultu serenus,
Si benignus, humilis, moribusque plenus;
Hæc nil tibi proderunt, si tu sis egenus.
Nam sola pecunia formam dat & genus.
Dummodò sim splendidis vestibus ornatus,
Et multa familia sim circumuallatus,
Prudens sum, & sapiens, & morigeratus;
Ego tuus nepos sum, tu meus cognatus.
Ista cùm defecerint, statim euanescit
Nostra consanguinitas, morte refrigescit
Cessatque notitia: ita quòd me nescit,
Qui, dum diues fueram surgens mihi cessit.
O miranda vanitas! ô diuitiarum
Amor lamentabilis! ô virus amarum!
Cur tot viros inficis, faciendo carum,
Hoc quod transit citiùs quàm flamma stuparum?
Si mundus diuitibus tria posset dare:
Iuuentutem floridam, & mortem vitare,
Pulchram & durabilem prolem procreare;
Benè possent diuites nummos congregare.
Homo miser cogita, mors ista compescit.
Quis est ab initio qui morti non cessit?
Hic si viuit hodie, cras fortè putrescit.
Cuique prorsus hominum parcere mors nescit.
Quando genus hominum morti deputatur;
Quo post mortem transeat quisquam, ignoratur.
Vnde quidam sapiens ita de se fatur:
Contremisco iugiter, dum mens meditatur,
Quid sum, & quò propero, quid mihi paratur.

De morte dum cogito, contriſtor, & ploro.
Vnum eſt, quod moriar; & tempus ignoro:
Tertium, quod neſcio, quorum iungar choro.
Sed, vt ſuis merear iungi, Deum oro.

Hymnus B. Petri Damiani de gloria Paradiſi, ex cap. 26. Medit. D. Auguſt.

AD perennis vitæ fontem
Mens ſitiuit arida;
Clauſtra carnis præſtò frangi
Clauſa quærit anima,
Gliſcit, ambit, eluctatur
Exul frui patria.
Dum preſſuris ac ærumnis
Se gemit obnoxiam,
Quam amiſit, dum deliquit,
Contemplatur gloriam;
Præſens malum auget boni
Perditi memoriam.
Nam quis promat, ſummæ pacis
Quanta ſit lætitia?
Vbi viuis margaritis
Surgunt ædificia,
Auro celſo micant tecta,
Radiant triclinia.
Solis gemmis pretioſis
Hæc ſtructura nititur,
Auro mundo tamquam vitro
Vrbis via ſternitur:
Abeſt limus, deeſt fimus,
Lues nulla cernitur.
Hiems horrens, æſtas torrens,

Illic

Illic numquam sæuiunt:
Flos perpetuus rosarum
Ver agit perpetuum:
Candent lilia, rubescit
Crocus, sudat balsamum:
Virent prata, vernant fata,
Riui mellis influunt:
Pigmentorum spirat odor,
Liquor & aromatum:
Pendent poma floridorum
Non lapsura nemorum.
Non alternat luna vices,
Sol vel cursus siderum:
Agnus est felicis vrbis
Lumen inoccíduum:
Nox & tempus desunt ei,
Diem fert continuum.
Nam & Sancti quique velut
Sol præclarus rutilant,
Post triumphum coronati
Mutuo coniubilant,
Et prostrati pugnas hostis
Iam securi numerant.
Omni labe defæcati
Carnis bella nesciunt:
Caro facta spiritalis
Et mens vnum sentiunt,
Pace multa perfruentes
Scandala non perferunt.
Mutabilibus exuti
Repetunt originem,
Et præsentem veritatis

Contemplantur ſpeciem:
Hinc vitalem viui fontis
Hauriunt dulcedinem.
Inde ſtatum ſemper iidem
Exeuntes capiunt;
Clari, viuidi, iucundi
Nullis patent caſibus:
Abſunt morbi ſemper ſanis,
Senectus iuuenibus.
Hinc perenne tenent eſſe,
Nam tranſire tranſiit:
Inde virent, vigent, florent,
Corruptela corruit;
Immortalis vigor, atræ
Mortis ius abſorbuit.
Qui ſcientem cuncta ſciunt,
Quid iam ſcire nequeunt?
Nam & pectoris arcana
Penetrant alterutrum:
Vnum volunt, vnum nolunt,
Vnitas eſt mentium.
Licet cuique ſit diuerſum
Pro labore meritum,
Charitas hoc ſuum facit,
Quod dum amat alterum;
Proprium ſic ſingulorum,
Commune fit omnium.
Vbi corpus, illic iure
Congregantur aquilæ:
Quo cum Angelis & ſanctæ
Recreantur animæ,
Vno pane viuunt ciues

Vtriusque patriæ.
Auidi & semper pleni
Quod habent desiderant.
Non satietas fastidit,
Neque fames cruciat:
Inhiantes semper edunt,
Et edentes inhiant.
Nouas semper harmonias
Vox meloda concrepat:
Et in iubilum prolata,
Mulcent aures organa:
Digna, per quem sunt victores,
Regi dant præconia.
Felix cæli quæ præsentem
Regem cernit anima:
Et sub sede spectat altæ,
Orbis volui machinam;
Solem, lunam, & globosa
Cum planetis sidera.
Christe palma bellatorum,
Hoc in municipium
Introduc me post solutum
Militare cingulum:
Fac consortem donatiui
Beatorum ciuium.
Præbe vires inexhausto
Laboranti prælio:
Vt quietem post præcinctum
Debeas emerito;
Teque merear potiri
Sine fine præmio. Amen.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

PRECES & EXERCITIA in afflictione & morbo.

EXERCITIVM *tempore afflictionis aut infirmitatis.*

VM Deus opt.max.te vel proximorum aliquem quauis tribulatione, aut corporis infirmitate visitauerit, considerabis quomodo idem Dominus iam olim amicum suum Iob vlcere pessimo in exemplum patientiæ percuti à Satana permiserit. *Iob 2.*

Quomodo idem vulneret & medeatur, percutiat & sanet. *Iob 5.*

Quomodo Moysen à lepra liberauerit. *Exodi 4.*

Ægyptios ob peccata vlceribus percusserit. *& 9.*

Populum Israël de Ægypto eductum, à variis malis seruauerit.

Mariam à lepra quoque mundauerit. *Num. 12.*

A serpentibus percussos ænei serpentis aspectu sanitati pristinæ restituerit.

Sanctæ suæ legis transgressoribus varias infirmitates prænuntiauerit. *Exodi 15.*

Quomodo mortificet & viuificet; deducat ad inferos & reducat. *1. Reg. 2.*

Populum suum ob Dauidis peccatum afflictum eiusdem precibus à peste liberarit. *2. Reg. 24*

*Psal.*146. Quomodo contritos corde sanet, & propter misericordiam suam in se sperantes saluos faciat.

3.*Reg.*13. Regi Ieroboam aridam manum restituerit.

*Ibid.*17. Viduæ filio ad Eliæ preces vitam reddiderit.

4. *Reg.*20 Ezechiam Regem ad Deum humiliter recurrentem, à graui morbo liberauerit.

Tobiæ 2. Tobiam in exemplum patientiæ cæcum fieri permiserit.

c.11. Eumdem per Angelum suum lumen cæli videre fecerit.

c.12. Dæmonium à Sara compescuerit.

*Matth.*8. *& alibi.* Febricitantes, & complures à malignorum spirituum vexatione exemerit.

*Mat.*12. *&* 14. Omnes malè habentes sanauerit.

Paralyticos, aridos, leprosos, surdos, mutos, claudos, cæcos curauerit.

Mulierem à sanguinis fluxu, & contractam liberarit.

Mortuos ad vitam excitarit.

Quare meritò ad CHRISTVM Dominum, tamquam fortitudinem nostram, firmamentum & refugium nostrum, adiutorem & protectorem, liberatorem & susceptorem, ac cornu salutis nostræ, accurres, ab eo auxilium in tempore oportuno accepturus.

CANTICVM *Regis Ezechiæ.*

Isaiæ 38. EGo dixi, In dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi.

Quæsiui residuum annorum meorum: dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viuentium.

Non aſpiciam hominem vltrà : & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me : quaſi tabernaculum paſtorum.

Præciſa eſt velut à texente, vita mea ; dum adhuc ordirer, ſuccidit me: de manè vſque ad veſperam finies me.

Sperabam vſque ad manè : quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea.

De manè vſque ad veſperam finies me : ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba.

Attenuati ſunt oculi mei : ſuſpicientes in excelſum.

Domine vim patior, reſponde pro me: quid dicã, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animæ meæ.

Domine ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & viuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amariſſima.

Tu autem eruiſti animam meam vt nõ periret: proieciſti poſt tergum tuũ omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam.

Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine ſaluum me fac: & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.

PSALMVS.

Pſal.114. DIlexi, quoniam exaudiet Dominus : vocem orationis meæ.
Quia inclinauit aurem ſuam mihi : & in diebus meis inuocabo.
Circumdederunt me dolores mortis : & pericula inferni inuenerunt me.
Tribulationem & dolorem inueni : & nomen Domini inuocaui.
O Domine libera animam meam : miſericors Dominus & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.
Cuſtodiens paruulos Dominus : humiliatus ſum, & liberauit me.
Conuertere anima mea in requiem tuam : quia Dominus benefecit tibi.
Quia eripuit animam meam de morte : oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.
Placebo Domino : in regione viuorum.
Gloria Patri, &c.
Verſ. Clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur.
Reſp. Et de neceſſitatibus eorum eduxit eos.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ad CHRISTVM.

Granat. in tract. de paſſ. DOmine IESV Chriſte Fili Dei viui, per amariſſimas anguſtias, quæ te in monte Olueti tantopere coarctarunt, & per admirabilem illum horrorem ac tremorem, qui carnem tuam ſanctiſſimam ita conſtrinxerunt, vt diceres, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, te humili corde ac corpore ad terram vſq.

proſtra-

prostrato rogamus; vt in vltimo illo transitu, quo ex hac vita migrandum erit, cùm timor ac tremor cor nostrum ac intellectum occupabũt, succurrere,& in tam tristi agonia fortitudinem ac spem de tua misericordia largiri digneris. O dulcissime Magister, ne nos in tam horribili certamine deseras: at sicut Pater tuus cælestis Angelum de cælo misit, qui te consolaretur;ita nobis Angelum mittas,qui eo tempore nos comitetur,muniat ac corroboret aduersus omnes insultus inimici, & in omnibus adiuuet; nec consentiat, vt prauorum spirituum exercitus aduersum nos prænaleant, aut tentationibus suis & mendacibus persuasionibus nos decipiant prosternantque. Arma quoque cor nostrum virtute passionis tuæ,& confirma,ne vlla aduersitas aut infirmitas, quantumuis diuturna ac vehemẽs, impatientiam aut fastidium aut murmurationem in nobis pariat. Sed in omnibus ac per omnia, anima nostra se subiiciat,ac offerat sanctissimæ tuæ voluntati,siue illa infirmitatem, siue sanitatem, siue aduersitatem,siue vitam concedat: eo planè modo,quo tu Domine naturalem tuam voluntatem Patris tui cælestis voluntati postposuisti,cùm diceres; Non mea voluntas fiat, sed tua. Non tibi supplicamus,ô Domine,vt dulcem concedas mortem, aut exiguos dolores, aut facilem denique ægritudinem: hæc enim tuo relinquimus nutui ac beneplacito, vt de iis disponas; non pro nostro arbitrio,inquam,sed pro nostra necessitate ac vtilitate. Hæc verò gratia potissima est

quam efflagitamus, vt scilicet in quibuscumque casibus, des nobis talem fortitudinem, animique robur, quæ nullo pondere flectatur; sed stare potiùs nos faciat fortes, & immobiles vsque ad extremum vitæ momentum: vt ex hac societate, quæ per Diuinam tuam gratiam nobis tecum communis est, ad illam transire mereamur, quam tecum habent Sancti per gloriam.

Oratio ad CHRISTVM *cruci affixum.*

O Domine Iesu Christe, qui præ amore tuo erga me tibi ipsi parcere noluisti: quæso vt sic cor meum tuis sacris vulneribus transfigas, animamque meam sanguine tuo inebries, vt quocumque oculos conuertero, te cruci videam affixum; & quamcumque rem intuitus fuero, ea mihi videatur roseo illo tuo sanguine tincta: quo nempe totus in te transformatus, nihil inueniam extra te, ac nihil videam præter plagas tuas. Hæc sit consolatio mea, in hac quam patior infirmitate, vt tecum sim confixus cruci; hæc sit maxima afflictio mea, cogitare aliquid extra te, quod non sit propter te, Saluator mundi. Obsecro te, vt me cum Apostolo tuo B. Andrea clamantem exaudias & dicentem: O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo; vt per te me recipiat, qui per te me redemit: qui viuit & regnat in sæcula, &c.

TESTAMENTVM, *siue protestatio* CHRISTIANI HOMINIS, *quotidie & præsertim in infirmitate facienda, & sæpiùs repetenda.*

EGO peccator indignissimus, pretiosissimo Domini nostri IESV Christi sanguine redemptus, palàm profiteor me sincero corde ignoscere omnibus, qui quouis modo mihi iniuriam vel molestiam aliquam intulerunt; & humiliter rogo tam præsentes quàm absentes omnes, vt mihi vicissim ignoscant, & dimittant, si in aliquo eos offendi.

Agnosco me hactenus non vixisse purè, nec sanctè coram Domino, sicut viuere debueram. Agnosco scelera mea multa nimis. Agnosco culpas, & negligentias meas infinitas. Agnosco quidquid mali per totam vitam meam commisi: & supplici mente à misericordissimo Domino Deo nostro veniam peto, dolens quòd vmquam eum offenderim, & proponens deinceps vitare peccata, & peccandi occasiones. Vtinam numquam in vita mea Diuinam bonitatem offendissem! Vellem certè, si liceret, in signum verę contritionis, sanguineum sudorem & sanguineas lacrymas pro peccatis & excessibus meis abundanter effundere. Verùm quamuis grauiter, & multis modis hactenus offenderim, non tamen diffido de benignissima misericordia Redemptoris mei, sed spero per meritum passionis & mortis eius fore me æternæ vitæ atque hereditatis participem. Passionem eius sacratissimam pro refugio munimentoque tutissimo habeo. Eam inimicis meis inuisibili-

bus ſemper & vbique tamquam armaturam inexpugnabilem obiicio. Eam ſanctæ Trinitati pro meritis quæ mihi deſunt, & perfecta ſatisfactione, offero: & cum Eccleſia Catholica fidem meam profiteor, dicens; *Credo in Deum Patrem omnipotentem, &c.* Proteſtor itaque coram ſanctiſſima Maieſtate Dei mei, ac glorioſiſſima Virgine Maria matre eius, totaque Curia cæleſti, me cupere & velle in ea fide vitam hanc finire, in qua conuenit obedientem ſanctæ matris Eccleſiæ filium mori. Ideoque intimo corde deſidero, humiliterque peto, propter Deum mihi ſubueniri in extremis, & muniri ſanctis Pœnitẽtiæ, Euchariſtiæ & Extremę Vnctionis Sacramentis. Proteſtor iterùm iterumque, me credere vniuerſa, quæ ipſa Catholica Romana fides continet, & quæ à veris orthodoxis Chriſti fidelibus credẽda ſunt. Quòd ſi (vt varia ſe offerunt pericula) eorum occaſione (quod abſit) ab hac fide deuiarem, vel impugnatione dæmonis, vel violentia morbi preſſus, aliquid huic propoſito contrarium cogitarem, loquerer, aut facerem, iam illud reuoco, & conteſtor nunc & tunc, me nullo modo conſentire talibus cogitationibus, verbis, vel operibus. Gaudeo & gratias ago tibi miſericordiſſimo Creatori & Saluatori meo, cuius ineffabili pietate me in hac fide moriturum confido. In manus tuas ſanctiſſimas animam meam & corpus meum nunc, & in hora mortis meæ commendo. Tu mihi ſuccurre bone Ieſu: adeſto mihi Ieſu. Peccaui in cælum & coram te,

iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Deus propitius esto mihi peccatori. Domine adauge mihi fidem meam. Domine saluum me fac. Media vita in morte sumus, quem quęremus adiutorem nisi te Domine? qui peccatis nostris iustè irasceris. Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & misericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos: ne proiicias nos in tempore senectutis; cùm defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos. Sancte Deus, &c. Peccauimus tibi Domine cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Sancte Deus, &c.

Tibi quoque, ô Angele Dei, qui mihi ad custodiam datus es, commendo fideliter hanc meam sententiam & voluntatem, humiliter petens, vt illam offeras Patri meo clementissimo tempore necessitatis meæ, cùm ab ipso donata sit, vt eam in sanguine filij sui Domini nostri Iesu Christi sanctificare dignetur, & me ad perfectionem perducere, antequam moriar. Quia ipsi cupio hîc & in æternum, tamquam minimum suum ac vilissimum mancipium, quod tamen manus eius fecerunt & plasmauerunt, diligenter seruire.

Tu qui corda scrutaris & renes, scis quid possim tua gratia, fac vt in cælo & in terra voluntas tua in me fiat. Gaudium accedat matri tuæ sanctissimæ Virgini Mariæ, Angelo custodi, N.N.N. patronis meis, & tibi gloria in æternum & vltrà. Amen.

Alia CATHOLICI HOMINIS *proteſtatio cum propoſito vitæ melioris, quo anima excitetur ad pœnitudinem peccatorum, & Dei amorem, præſertim in hora mortis exercenda.*

AVdiant cæli, audiant Angeli & cælites omnes hanc fidei meæ confeſſionem, ac earum iniuriarum, quas aduerſus Deum benefactorem meum, imò aduerſus cælum ipſum (vnde meritò exulo) perpetraui, humilẽ agnitionem. Audiat me terra, & incolæ eius, ſintque mihi vniuerſæ creaturæ emendationis vitæ teſtes, concipiantque horrorem ex culpis meis: qui verò ob has ſcandalum aliquod paſſi ſunt, conſiderent hanc voluntatis meæ mutationem, publicam ſatisfactionem, & exemplum.

Attentus ſit infernus, & qui eum inhabitant maligni ſpiritus, infelices animæ, ſummo iure æternis ignibus addictæ: illi quidem, quòd non ſe voluerint ad Deum cõuertere; hæ verò, quòd vel in infidelitate permanſerint, vel in ſancta fide diuinoque amore perſiſtere noluerint: intelligant quanto ego eorum exemplo tremo & expaueſco. Denique intelligant generatim omnes, quotquot hanc ſchedam veræ proteſtationis, & ad Deum oblationis animæ meæ, ac vltimam voluntatem meam viderint, quomodo Ego N. peccator miſerrimus, filius prodigus, non priuatus iudicio, aut mentis impos, ingenuè fatear ac declarem: Quòd cùm ab æterno Patre meo, toto vitæ meæ decurſu, maximum patrimonium cæleſteſque opes acceperim; eas tamen ſpreuerim, alienauerim, diſſipauerim,

non

non ęstimando quāta dignitas sit esse filiū Dei.

Declaro me iure titulo Creationis esse seruum eius, cùm eo nomine me condiderit ad imaginem & similitudinem suam, vt illi obsequerer, ipsum cognoscerem & amarem. Titulo Redemptionis, cùm vt bonus pastor è cælo descendere dignatus sit, quò animam meam ceu ouem perditam quæreret, subque dæmonum tyrannide constitutam, sanguine suo pretioso emeret, ac triginta tribus annis incredibili labore transactis redimeret. Titulo Donationis, cùm in Baptismi susceptione solemne ediderim votum renuntiandi pompis & legibus dæmonis ac mundi: & tunc quidem ipsissimus & omnipotens Deus, cùm esset Dominus omnium & Rex gloriæ, ego verò inimicus eius, filius iræ, & mancipium satanæ; Deus, inquam, non celsitudinis suæ sed solius bonitatis memor, voluit vt in nomine S^tæ Trinitatis sacris aquis abluerer: in quibus me Pater titulo filij insigniuit, Filius merita sua & fructus passionis & sanguinis sui mihi applicuit, Spiritus sanctus animam sibi meam in sponsam adoptauit. O me infelicem, qui tantum nequiui æstimare aut conseruare honorem! & qui gratus esse debueram, totamque vitam in amore & laudibus eius traducere, tot culpis (heu me!) gehennam merentibus, vt sceleratus proditor eam prodigere potiùs aut contaminare studui! Eius bonitas ita in mediis criminibus meis inexpugnabilis fuit, vt cùm optimi Domini maximè obliuiscerer, ille oculos misericordiæ suæ

haud-

haudquaquam auerterit, sed tum publicis, tum secretis inspirationibus animam exstimulare non destiterit: cùm me surdum fingerem, ipse me nunc minis, nunc blanditiis, nunc beneficiis, nunc consolationibus, nunc afflictionibus & tribulationibus ad se amandum prouocauerit. Denique tempus vitæ meæ aliud non fuit, quàm pugna quædam meorum scelerum ac negligentiarum cum Diuina bonitate ac patientia eius insuperabili. Quamdiu huius vitæ vsura licuit vti, Deus me ingratissimum & iniquissimum vt seriò pœniterem expectauit; at ego conceptus in peccatis & natus, noua nouis cumulaui, nec peccare desij. Quare tamquam peccator, & reus infamis, me coram Iustitię diuinæ tribunali sisto, & confiteor iniquitates meas, guttis maris superiores. Me æternis cruciatibus dignum iudico, & sententiam tuam de iis latam iustissimam fateor. Si tamen liceat à summo iure ad misericordiæ solium prouocare, & ipsum supremum interpellare iudicem, ad tribunal Gratiæ humiliter appello. Actorem causæ meæ & patronum eligo IESVM CHRISTVM, vt per infinitæ misericordiæ suæ leges, ac suam inexhaustam gratiam, me defendat inermem. Offero eius merita, ipsius scilicet vitam, passionem, mortem, exemplum, & triginta trium annorũ opera omnia infiniti pretij: quæ non tam sua, qui nulla eguit satisfactione, aut expiatione, quàm mea causa præstitit. Et tu REGINA CÆLORVM, vita, dulcedo, spes nostra, mater misericordiæ, patiaris obse-

cro,

cro, vt te patronam & aduocatam eligam. Insuper deploratæ causæ meæ, te Angelum custodem, cui noti sunt gressus mei & actus, quàm possum demississimè inuoco. Sint aduocati mei Sancti omnes: præsertim illi quos peculiari colui obsequio. Tibi denique Deus meus prostratus, fide Catholica excitatus, spe nutritus, & charitate firmatus, supplico, vt consideres me esse plasma manuum tuarum: non hoc condemnes tam nobile opus, aut destrui patiaris, cùm ad tam funestum finem haud sim creatus, sed vt conspectu suauissimo fruar, & bonitatem tuam perpetuis in cælo laudibus celebrem. Salutare tuum exspectabo Domine. Amen.

Oratio ad B. VIRGINEM MARIAM
ex Sermone S. Chrysostomi.

AVe mater, cælum, puella, virgo, thronus, Ecclesiæ nostræ decus, gloria & firmamentum; assiduè pro nobis, & amicis nostris vita functis precare IESVM Filium tuum, & Dominum nostrum: vt per te misericordiam inuenire in die Iudicij, & quæ reposita sunt iis qui diligunt Deum bona consequi possimus, gratia & benignitate Domini nostri IESV Christi: cum quo Patri simul, & sancto Spiritui gloria, honor, & imperium, nunc & semper in sæcula sæculorum. Amen.

MILES CHRISTIANVS.

Induite vos armaturam Dei vt posſitis ſtare aduersus insidias diaboli. Epheſ. 6.

THESAVRI Precum & Exercitiorum Spiritualium

PARS SEXTA.

Exercitia hominis Christiani ad virtutem aspirantis.

CAPVT PRIMVM.

Exercitivm quotidianum.

E ex illorum sis numero, qui in vanum acceperunt animã suam, & hac Christi *voce notantur, qua ait*; Quid hîc statis toto die otiosi? *néve perennis exilij cogaris audire sententiam*; Discedite à me operarij iniquitatis: *operæpretium erit in accuratæ vitæ rationis studium incũbere; & si nequeas totos dies, Religiosorum more, diuino te deuouere obsequio, decimam certè cuiusq. diei partem eidem consecrabis. Quarum prior auroræ, posterior nocti respondeat, sic vt vtrumq. hoc tẽpus ab ipso ordiaris, & cum eodẽ feliciter finias.* Mat. 20.

Exercitivm Matvtinvm.

1. QVamprimùm somno defunctus expergiscéris, memoria ac mente reuolue, te

pere-

peregrinum, extremeq. inopem esse: cui quantum vitæ restet incertum; quique tantum confeceris, quantum ab ea hora, qua anima tua diuino nutu in hoc corporis domicilium infusa, in lucemque edita, effluxit temporis.

2. Illud animo quoque repete diligenter, animam tuam ad imaginem & similitudinem Dei conditam, cęlumque sedem eius, ac verum esse patrimonium: vbi eam benignissimus Pater, ipsi Angeli, & cæleſtes conciues tui auidè præstolantur.

3. Oculos tuos in eum defige locum, vbi modò versaris, à cæleſti patria remotissimum, hostibus refertum; quorum hi ab instituto te retardare conantur itinere, illi aliò errabũdum deducere, alij in necem propellere. Insuper cõsidera, quanta sit naturæ imbecillitas ad casum sponte sua pronæ: sicque sublimem illam beatorum patriam salutando petes, vt à sanctiss. Trinitate plenam tribus animæ tuæ potentiis. intellectui, memoriæ, & voluntati, impetrent salutem; & aduersus hostes tuos, mundum, dęmonem ac carnem, victoriam glorioſam. Denique iterata tertiò Dominica prece cum Salutatione Angelica, & Apostolico Symbolo, Deum trinum & vnum reuerenter adorato.

4. Memor esto sacrificij quod Christus Dominus verus Dei viui filius die Paraſceues in cruce óbtulit Patri ad tua & mundi scelera expianda. Et cùm nihil in te sit, quo tanto pro munere gratias referre vales, si teipsum, & quidquid vel cogitaueris vel dixeris, egeris ve

passus hoc die & quocumque tempore fueris, liberaliter offer, protestatus ingenuè, nihil à te profecturum quod fieri non cupias intuitu Dei; quem obnixè rogabis vt Christi sanguinis merito te locupletet, ac sensuum custodiam largiatur. Quo nomine subiunges Orat. Dominicam, & Salutationem Angelicam, in honorem vulnerum eius quinquies repetitam: tum sacræ Missæ officio, in quo eiusdem passio ac mors offertur, qua decet mentis attentione ac reuerentia, libenter adesto.

EXERCITIVM DIVRNVM.

1. COgitabis te non ampliùs esse iuris tui, sed Iesu Christi, qui sanguinis pretio toties te redemit, & à diaboli iugo liberauit, quoties implicitum noxis, liberum reddidit. Et præterquam quòd hoc primo diluculo te obtuleris Deo, gaudeas vel maximè, quòd tanti Principis sis mancipatus obsequio.

2. Considerabis quòd sicut hi qui ad catenas damnantur, sua frustrantur libertate, nec superbire ob aliquam indulgentiam, vel lamentari ob pœnam solent; ita te, qui Christi seruus es, tot amoris astrictus vinculis, quot illius in te dona relucent, gerere decet. Sic vt siue te solatio, siue doloribus affici sinat, non sit quo extollaris, vel anxiè queraris, sed potiùs in bonis maximis ducas paternã hanc dispositionem.

3. Quantumuis autem huic te addixeris Domino, cogitandum tibi erit, vt illi ex amore, non vt seruus, sed instar amantissimi filij seruias. Te enim eò loci posuit, vbi res omnes

creatæ, tibi sint ceu magistri, ceu ductores, ceu impulsores ad augustam tanti numinis Maiestatem religiosè colendam. Vbi demum te, tuaque omnia, & Diuini & Angelici óculi perpetuò contemplantur, & obseruant, tuosque minutim enumerant gressus: quibus coram, fortè hac nocte sistêris, vt minimarum quarumcumque actionum & cogitationum rationem reddas. His peractis animam tuam VIRGINI MATRI cælique Reginæ, Angelica dicta precatione, commendabis; vt illius ope fretus, sincerus, fidusque CHRISTI cultor euadas.

CONSCIENTIÆ EXAMEN *noctibus singulis instituendum.*

VBi iam nox aderit, nonnihil secedes, vt tecum exacti temporis rationes ineas.

Ac primò quidem supplices ad Deum fundes preces, vt mentis oculos tibi aperiat, quibus tam magnitudinem quàm multitudinem beneficiorum cernas, quæ de manu eius accepisti, siue ea sint naturæ, siue gratiæ: inter quæ primum erit, quòd ipsemet Deus, & non alius artifex ad imaginem & similitudinem suam te creauerit, vt esses heres cæli, & socius Angelorum, cùm antequam nascereris, totum hunc mundum vsibus tuis destinârit, & huc vsque conseruârit: Filium suum vnigenitum dederit, qui pœnas sacrilegis tuis sceleribus debitas suo capite luerit: Sacramenta instituerit animæ tuæ morbis curandis aptissima: Sanctos in cælestes sedes transtulerit, vt essent tibi patroni & aduocati; ceteraque res creatas ceu magistras esse

voluerit, vt tanto aptiùs tantæ posses inseruire Maiestati: Angelum insuper custodem atque ductorem dederit, qui ignauia torpentem excitaret, qui toties cor tuum pulsaret, quoties vel bonam aliquam inspirationem, vel consilium, vel lectionem, vel concionem, vel bonum aliquod exemplum ante oculos poneret. qui æternæ vitæ thesauros tibi præparauerit, & in præsens vsque tempus semper misericors, beneficia beneficiis cumulans, tuam toleraverit iniquitatem. Quibus ergo laudibus atque gratiis adeò munificũ prosequêris benefactorem?

2. Gratiam atque lumen enixè petes, quo peccati turpitudinem malitiamque agnoscas, excitatoque in te animi de admissis sceleribus dolore, tantum aduersus ea sentias odium, vt in posterum ad vomitum non redeas.

3. Diligenter animaduertes, quemadmodum his donis vsus fueris, quæ tibi contulit Deus, iuxta discursum illum, qui in proximo attingitur puncto. Ac primo loco ea sint quæ mente cogitationéve volueris; cùm te non lateat, illam esse creatam, non solùm vt imago Dei sit tribus ornata potentiis, sed etiam instar horti vel domus Sanctissimæ Trinitatis, in qua libens sedem figat, & vt dulcis hospes suauiter ambulet: quam cùm summa cura obseruare debueras, & sic vndequaque munire, vt nil nisi sanctum purumque eam subiret; ita laxasti ac prostituisti, vt locum dares omnibus mundi quisquiliis, ac sensibus tuis talem in modum vsus es, vt in arma eos ad offendendum Deum

ac proximum tuum cõuerteris. Si porrò actiones omnes tuas expenderis, aut planè peruersas aut multis erroribus permixtas cernes; imò & pessimam tuam peccandi consuetudinem, pronitatemque deprehendes, quibus te dæmon ceu catenis quibusdam implexum pro libitu suo ad præcipitium trahit. Accedunt scelerum altæ radices, quæ vixdum purgato pœnitudine animo, nouas generant noxarum spinas.

4. Instanter orabis Christum Dominum, vt culpas admissas benignè remittat: illique tamquam mundi Saluatori, singula errorum tuorum, quibus constrictus es, vincula detegas; ac cõcepto melioris vitæ proposito, quamprimùm licebit, ad humilem tui accusationem, exomologesimque confugias: tum verò pari conatu inuigilabis ad tui custodiam, propriæ voluntatis expugnationem & mortificationem, vt tandem prauos quosque motus moresque radicitus euellas.

EXERCITIVM NOCTVRNVM.

1. PRiusquam te somno des, hæc meditaberis: nempe postquam sol iam occubuerit, ceteris rebus quiescentibus, & alta silentia tenentibus, Angelos cælorum incolas & Dei famulos in terra degẽtes haudquaquam quiescere, sed diuinum Numen contemplando, perpetua illius luce longè maxima dulcedine frui; quod tibi meritò tristitiam pariet, qui dum somnum corpori tuo putredini ac vermibus subiecto indulges, tanto splẽdore priuaris.

2. Cùm certum sit, somnum nihil aliud

esse,

esse, quàm mortis imaginem, veram autem humanæ mentis quietem deliciasque in Dei aspectu ac cõtemplatione pulchritudinis eius consistere: lectulum tuum vt sepulcrum aspice, menteque in Deum erecta, te tanto tempore sepultum fore, ac Dei spoliatum memoria, ex animo dole. Ipsi ergo supplica, vt quandocumque expergiscaris, non se aliud tuis cogitationibus ingerat, quàm eius bonitas; & vbi surrexeris, cælesti ornatus gratia viuas, diemque transigas.

3. Quemadmodum verò exactus hic dies imaginem refert totius temporis, quo tibi in hac vita mortali agendum est: ita nox mortem, ac tempus quo corpus hîc obscuro iacet conclusum tumulo. Itaque bis Oratione Dominica pronuntiata, adiuncta Salutatione Angelica, tam pro teipso quàm pro animabus illis quæ duras illas purgatorij pœnas sustinent, humiles fundes CHRISTO Domino preces, tui & totius mundi causa mortuo & sepulto, vt te soletur, gratiamque concedat, qua exiguum hoc quod restat vitæ, illæso pede decurras, ac cælesti semper præditus gratia feliciter termines.

Modus excitandi animi affectum in DEVM.

SEmper hoc tibi propositum habe, quòd Diuina intelligentia ipse Deus in se oculos suos dirigat, omnes cogitationes & intentiones cordis, verba pariter & facta, totam animam & corpus penetrando consideret. Confundere in præsentia eius, quòd tam mortificatus sis, tam tepidus, tam ingratus; quòd eius sanctissimum

beneplacitum tam malè adimpleas, nec tantam bonitatē ex toto corde diligas. Concipe deinde propoſitum in animo tuo, illi ſummo Domino vniuerſorum, reuerēdiſſimo, optimo, & benefactori maximo complacēdi, & dic: Vtinam in oculis ſummi Dei gratiam inuenire poſſem! vtinam illi placerem! vtinam puro corde diligerem eum! &cetera huiuſmodi in tertia perſona: quę poſtmodum in ſecunda perſona fient, dum te in Domini familiaritatē ſenſeris admiſſum.

Inſtitue etiam ſemel in die quamdam recollectionem, & in mente tua concepta Diuina præſentia, quod conſuetudine facillimum eſt, compoſito quaſi quodam faſciculo principalium beneficiorum, ſcilicet creationis, redemptionis, conſeruationis, promiſſæ glorificationis & ſimilium, Deo pro his gratias age. Poſtmodum de peccatis in generali propoſitis dole, & veniam precare. Deinde gratiam pete, & illuminationem, pœnitentiam, atque in virtutibus profectum, &c. Habe firmiſſimum propoſitum numquam peccandi, nec venialiter quidē ex propoſito & deliberatione. Quòd ſi natura immortificata reluctata fuerit, ratione contradic eidem quantum potes, & Domini auxilium poſce humiliter.

Aliud EXERCITIVM QVOTIDIANVM, *R. P. Franciſci Borgiæ Generalis Societ* IESV.

VBi cognoui ad abſolutam iuſtitiam non ſatis eſſe peccatis abſtinere, ſed talibus inſuper actionibus inſiſtendum, quæ Diuinæ

placeant

placeant Maiestati; animam meam, cùm opus aliquod aggredior, tribus cõsiderationibus ceu totidem stimulis excitare conor: primò confusione; secundò, gratiarum actione; tertiò, humili aliqua postulatione. verbi gratia;

Dum manè excitor:

1. Confundor vehementer, quòd tam altùm stertam, ac in multam lucem interdum dormiam, cùm Christus in oratione Dei pernoctet.

2. Gratias ago, quòd dignetur aures meas aperire, & cor durum penetrare, ne ad vocem eius obdurescant.

3. Peto humiliter, vt semper cor meum in actionibus diurnis sit vigilans, nec dissipari sinat Christus eos influxus quos tam misericorditer à somno me excitans, in animum illabi permisit.

Cùm vestibus tegor:

1. Confundor quòd me vestibus induam, cùm Christus mei causa suis exuatur in cruce.

2. Gratias ago, quòd nostram ille humanitatem pro nobis ingratis futuris induerit, & veste gratiæ nos texerit, quos eam non semel laceraturos nouerat.

3. Peto humillimè, vt quando me induens, nudum quempiam vestiuero, sit illi hoc opus misericordiæ gratum; idque intuitu ignominiosæ illius vestis, quam iussu Herodis induit.

Cùm ad audiendum sacrum propero:

1. Confundor quòd grauatus tot delictis & imperfectionibus, ad Deum in templo suo lau-

dandum me confero; quem Angeli purissimi & perfectissimi, trementes tamen, perpetuò laudant.

2. Gratias ago, quòd cùm ex eius domo peccatis abstractus tam sæpè abierim, toties tamen me reuocet, & stans ad ostium pulset.

3. Peto vt per eam charitatem, qua Virginis filius in templo præsentatus, Deo præsentari, eiusque templum effici merear.

Cùm ad orationem componor:

1. Confundor multitudine peccatorum meorum, & exemplo Publicani dicere cogor: Propitius esto mihi peccatori.

2. Gratias ago, quòd Christus pro me orauerit, ipseque impetrarit, vt cùm oro, exaudiar.

3. Peto vt per eam orationem, quam in deserto & alibi pro peccatoribus fudit, ea concedere dignetur, quæ oratione illa quam nos docuit, petere iussit.

Cùm interfum sacro Missæ officio:

1. Confundor, quòd in tanto Christi erga me charitatis argumento, debitam animi præparationem omittam, qua Deo assistam: quodque beneficij huius continuatio, quæ me ad id maximi faciendum incitare debuerat, negligentem potiùs ingratumque reddiderit.

2. Gratias ago, quòd me Angelum efficit, si viua eum quem adoro fide confitear. Ad Angelos enim spectat Deo assistere, eumque sine intermissione laudare.

3. Peto per illud cruentum Sacrificium, quod cruenti in cruce oblati vera est repræsen-

tatio,

tatio, Sanguinis sui merita mihi impertiat; huiusque virtute eum lacrymarum imbrem concedat, quo peccata abluam, & mortuo in me veteri homine, cum Christo resurgam.

Cùm mensæ assidens prandium sumo:

1. Confundor, quòd eius pane cibisque vescor cui infidelis & ingratus semper fui.

2. Gratias ago, quòd me, cũ ipsius inimicus essem, hactenus tam liberali manu nutrierit.

3. Peto vt per eum amorem, quo in deserto turbas paucis panibus saturauit, suæ gratiæ pane me quotidie pascat.

In negotiis quæ ad nostram vel proximi vtilitatem pertinent:

1. Confundor, quòd me meam vel proximi causam Deus agere velit, qui mihi ipsi atq. aliis sæpè detrimenti causa fui: cùm præsertim tanti momenti sit proximorum vtilitati studere, vt ea causa Christus in hunc mundum venerit, vt nimirum causam meam & proximi ageret.

2. Gratias ago, quòd cùm his ipse negotiis nihil indigeat, ea tamen, quasi indigeret, grata habeat.

3. Peto vt per eam charitatem qua dixit in iis oportere se esse, quæ sui Patris essent, eam mihi gratiam concedat, vt in his semper versor, quæ ad eius gloriam & honorem pertinent.

Cùm vesperi orationi vaco:

1. Confundor, quòd Deum alloqui debeo, coram quo facies suas præ reuerentia & timore velant Dominationes & Potestates.

2. Gratias ago, quòd ad orandum, animum mihi dans, iubeat vt à se quiduis petam.

3. Peto, vt per eam voluntatis suæ cum Patris voluntate consensionem, quam in horto orans cum lacrymis sanguineis declarauit, Diuinæ voluntati conformis, & in vita & in morte esse merear.

Cùm mensæ ad cœnandum accumbo:

1. Confundor, ob negligentias eo die commissas: quare dolens comedo, & sunt mihi lacrymæ meæ panes, die ac nocte.

2. Gratias ago, quòd de prandij beneficio homini ingrato cœnam præparauerit.

3. Peto, vt per ineffabilem illam charitatem, qua se in vltima cœna in cibum dedit & potum, me præparet, vt hunc ipsum cibum humiliter recipiam, eique perpetuo amoris vinculo coniungar.

Cùm oro cubitum iturus:

1. Confundor, quòd cùm Christus in cruce tanto & amore & dolore pro me preces fuderit; ego tamen parum amem, parumque contrister.

2. Gratias ago, quòd moriatur ille, & ego viuam.

3. Peto, vt per eum dolorem quem sensit, ipse quidem moriens, eius verò Mater morientem aspiciens, id mihi concedat, vt & in morte mea, mortis ipsius recorder; & propter ipsius mortem, mea sit æterno Patri accepta.

Cùm me noctu vestibus exuo:

1. Confundor, quòd requiescere in lecto

desi-

desidero exutus vestibus, cùm pro me CHRISTVS & indutus vestibus somnum ceperit, & vbi caput reclinaret non habuerit.

2. Gratias ago, quòd iis quæ pro me passus est, mihi veterem hominem exuerit.

3. Peto, per eum dolorem quem sensit cùm vestibus crucifigendus exueretur, vt mihi gratiam tribuat qua nudus rebus terrenis crucem amplexer, atque in cruce moriens nuptialem vestem merear, quam præparauit æternus Pater diligentibus se.

CAPVT SECVNDVM.

REMEDIA contra peccata.

Remedium generale.

CVM *Dominicæ passionis & mortis amaritudinem ad memoriam reuoco, nihil adeò se offert asperum, quod non æquanimiter sufferendum iudicem. Si namque in ligno viridi, omni scilicet virtutum genere florente* CHRISTO, *tantum Diuina Iustitia rigorem exercuit; quid eidem, in me siccum & aridum vermiculum, nec non peccandi iam vsu putridum, non licebit statuere? Quare me perpetua quadam cordis compunctione ad ipsum conuertam, qui solus Saluator, & filius Dei, creaturam suam & opus manuum suarum, vulnere suo (cùm plagæ illius non sit alia sanitas, vt Sapiens ait) sanare potest, & gratiam dare, ne in posterum*

enormi-

enormiter peccando, ipsum conculcem, & sanguinem Testamenti, in quo semel sanctificatus sum, pollutum ducam, aut spiritui gratiæ contumeliam faciam. Hac licebit ratione clariùs cum D. Bernardo, Agnum illum præ doloribus, in cruce tostum, sic audire loquentem:

O homo! vide quid pro te patior.
Non est dolor sicut quo crucior.
Ad te clamo qui pro te morior.
Vide pœnas quibus afficior.
Vide clauos quibus confodior.
Et cùm sit dolor tantus exterior:
Tamen intus est planctus grauior,
Cùm te tam ingratum esse experior.

Aut vt alibi, ex D. Augustino lib. de sancta Virginitate, sibi proponit celebris concionator Philip. Diez, eumdem Agnum verba facientem:

Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogita. Hæc in stitera cordis appende, vt totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fuit fixus in cruce.

Si porrò ad peccati naturam fœditatemque, quæ mortem Christo intulit, descendero, nihil ita sensibus aut voluntati suaue erit, quod non perhorrescam. Quid enim aliud peccando assequar, quàm deplorandum planè animæ statum: quæ relicto illo summo & incommutabili bono, spretisque omnium virtutum odoramentis, non solum auctore

rem sui Deum sibi inimicum facit, sed & se omni quasi illius, & Ecclesiæ suæ auxilio fauoreque indignum reddit: cùm hæc sit maioris cuiusque sceleris, quod mortale vocatur, conditio, vt hominem spiritali vita sic priuet, ac si esset cadauer aliquod fœtidum, & velut mortuum Christi membrum, à consortio Sanctorum & cælesti curia spiritali quodam modo excommunicatum aut proscriptum, dæmonum ludibriis expositum, plenum confusionis, vt filia Babylonis, absque iugo & freno, vt filia Belial, mancipium peccati, vas iniquitatis, contumeliæ, iræ & maledictionis: ad nihil denique aptum, nisi vt tamquam ciuis inferni cum ceteris iniquitatem operantibus dum altissimè dormit, & voluptatum illecebris seu aranearum telis insidens securè nimis agit, in profundissimum puteum detrudatur, & intolerabili igne, qui ab æterno illi paratus est, concremetur.

REMEDIA PARTICVLARIA contra vitia capitalia, & alia quædam grauiora, cuiusdam viri deuoti.

Contra SVPERBIAM.

VBi cognoui Deum altissimum pro me extremè humiliatum, numquam adeò me deprimere potuit homo, quin maiori me vilipensione dignum iudicarem.

Contra AVARITIAM.

VBi cognoui animam meam nulla re posse satiari, præterquam solo Deo meo; miratus sum, me aliud præter ipsum quærere posse.

Contra

Contra LVXVRIAM.

VBi cognoui corporis mei nobilitatem, & quòd mihi conceditur purissimum corpus CHRISTI *sumere in os meum, dignum duxi omnibus modis laborare pro perpetua cordis & corporis puritate, ac memor esse doctrinæ D. Hieronymi, qui ait, Nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam: si fugero, gladium deuitaui; & ideò fugio, ne vincar. Nulla securitas est, vicino serpente dormire; potest fieri vt me non mordeat, tamen potest fieri vt aliquando me mordeat, &c.*

Epist. vlt. select.

Contra IRACVNDIAM.

NVlla hominum infidelitas me perturbare potuit, cùm perpendi quàm infidelis Deo meo fuerim ego. Et quoniam hic motus plerumque ita infixus est naturæ ac moribus, vt euelli atque euinci non queat, si præuidere hunc possum, ratione reprimo: aut si priùs occupatus fuerit animus ab indignatione, quàm consilio prospici aut prouideri potuerit ne occupetur, meditor quomodo animi mei motum vincam, iracundiam temperem, ac iuxta D. Ambrosij præceptum lib. 1. Offic. c. 21. 43. & 47. resisto iræ. si possum; cedo, si non possum. Cauere studeo ne in perturbationes priùs incidam, quàm animum meum ratio componat. Examinat enim mentem plerumque aut ira aut dolor, aut formido mortis, & improuiso percellit ictu. Ideò præuenire pulchrum iudico cogitatione, quæ volvendo mentem exerceat, ne repentinis excitetur commotionibus, sed iugo quodam rationis & habenis constricta mitescat. Boni speculatoris

esse

esse iudico, ita prætendere animo, vt appetitus neque præcurrat rationem, neque deserat, ne præcurrendo perturbet atque excludat; eamque deserendo destituat. Plerumque dum animus exagitatur, amittitur non solum ratio, sed etiam inflammatur vultus vel iracundia vel libidine, pallescit timore, voluptate homo se non capit, vel nimia gestit lætitia. Hæc cùm fiunt, abijcitur illa naturalis quædam censura, grauitas morum, auctoritas ac constantia amittitur.

Contra GVLAM.

VBi gustaui cælestium ciborum dulcedinem, nulla terreni edulij me seducere potuit ingluuies.

Contra INVIDIAM.

VBi cognoui quòd Deus me tantum peccatorem in gratiam receperit, non potui aliquem hominem odisse propter ipsius iniquitatem.

Contra ACEDIAM.

VBi perpendi quòd post breuissimum laborem æterna conquiritur beatitudo, nimis exiguum arbitratus sum quemcumque ego toleranero laborem.

Contra VITIVM LINGVÆ.

CVm plures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quemquam tacendo; sapientem esse iudicaui, qui nouit tacere. Hinc iuxta D. Ambrosij monita, linguæ meæ præcepi, vt proferat sermones libra examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus; vt sic fiam mitis, mansuetus, atque modestus. Lib. 1. Offic. cap. 2. & 4.

Contra INIVRIAS.

QVando aliquis mihi conuitiatur, laceſſit, ad violentiam prouocat, ad iurgium vocat, tunc ſilentium exerceo, tunc mutus fieri non erubeſco. Peccator eſt enim, qui me prouocat, qui iniuriam facit, & me ſimilem ſui fieri deſiderat. Si retulero contumeliam, dicetur: Ambo conuitiati ſunt. Vterque condemnatur, nemo abſoluitur. Iuſti eſſe iudico diſſimulare, nihil loqui, tenere fructum bonæ conſcientiæ, contentum eſſe grauitate morum ſuorum. Occurrit mihi exemplum Dauid, quando maledixit ei Semei. Denique recordor impium ſibi ipſi pœnam eſſe, iuſtum verò ſibi ipſi gloriam, ac vtrique aut bonorum aut malorum operum mercedem ex ſe ipſis ſolui.

CAPVT TERTIVM.

Varia progreſſus ſpiritalis impedimenta.

PRIMVM *impedimentum, offerens ſe animæ cupienti in via Domini progredi, defectus eſt humilitatis; quam Orthodoxi religioſiſque Patres fundamentum ceterarum virtutum atque cuſtodem indicant. Cui enim hæc deeſt, vt in ſuperbiam impingat neceſſe eſt; quæ peruicacia ſua omne opus bonum impedit atque perturbat. Ad quod vitium reducitur ſui æſtimatio, amor ſcilicet proprius, aut metus humani reſpectus, ſtudioſaque Deo ſimul ac mundo placendi voluntas. Deinde*

præſum-

præsumptio, qua quis existimat se officio suo perprobè functum, ac ad perfectionis culmen peruenisse. Huic defectui coniunctum est proprium iudicium, quo quis seipsum sibi regulam statuit, flocci faciens consilia, quæ Seniores suggerunt.

2. *Ingratitudo, quæ fontem Diuinæ largitatis exsiccat, Deoque summopere displicet.*

3. *Nimia loquacitas, qua tota cordis deuotio, vt fumus euanescit; & Spiritus sanctus, si ita loqui licet, contristatur: succedunt quæ distractiones ac varia peccata, quietem animi mirum in modum perturbantia.*

4. *Voluntas tepida, aut frigidum proficiendi desiderium. Vnde & inconstantia mentis prodit, in prosequendis virtutum actibus, ac extrema quædam negligentia, eis intermittendis.*

5. *Horror molestiarum, quæ in virtutum semitis plerumque occurrunt.*

6. *Neglectus orationis: sicut enim fructum non colligit, qui sementem facere spernit, ita totus inops est, qui se ab orationis exercitio quòd semper subeundum Saluator præcipit, subtrahere audet.*

7. *Conscientia angusta nimis, aut scrupulis dedita, neque acquiescens spiritalis magistri consiliis.*

8. *Temporis transactio inutilis, dum otiosè viuitur, & nulla linea ducitur.*

9. *Rerum ignorantia ad animarum salutem spectantium. Quales sunt, bona orandi ac meditandi forma, modus ritè ac integrè confitendi peccata, & quàm demississimè se humiliandi.*

10. *Exigua passiones domandi cura: nisi enim*

frumenti granum, siue per intemperiem aeris, siue per terræ mollitiem humiditatemque, emortuum planè fuerit, nullum vel non solidum fructum proferet.

11. *Nimius quidam mundanæ rei amor, vt sunt diuitiæ, dilectio inordinata prolium, ambitio honorum, ac similia, quæ spirituali vitæ miras tricas & molestias pariunt.*

12. *Præsentiæ Diuini Numinis omni in loco, & nouissimorum crassa oblivio.*

13. *Negligens conscientiæ perscrutatio: exiguusque timor offendendi Creatorem.*

14. *Imperfecta ac minùs sincera de animæ negotiis cum spirituali Præfecto tractatio: & instabilis eius vsus, dum nunc hic, nunc ille, absque vlla necessitate consulitur, dum semper discitur, & numquam ad solidam scientiam pertingitur.*

15. *Tepida animi intentio atque conatus, vt praui habitus repellantur, ac rebelles impetus ratione domentur.*

16. *Tenuis præparatio animæ, in percipiendis Ecclesiæ Sacramentis, præsertim Confessionis & sacrosanctæ Communionis. Quod impedimentum, vnum inter maxima iudico reponendum. Quemadmodum enim præparationem cordium nostrorum (vt Psaltes canit) ac desiderium pauperum exaudit Dominus, ita eam negligentes, aut tepidè aggredientes repellit. Quare vt & hunc obicem, ceteraque tollamus obstacula, proderit non parum frequens per meditationem, atque orationem (præsertim eam, cuius auctor est* CHRISTVS) *mentis in Deum eleuatio; atque auxilij eiusdem,*

exem-

exemplo officij Ecclesiastici, indefessa quædam cum hoc versiculo (DEVS IN ADIVTORIVM MEVM INTENDE) *inuocatio. Cuius praxim qui discere volet, legere poterit Cassiani prolixum commentarium Collat.* 10. *cap.* 10. *vt clariùs cernat, quanti referat à Diuini Numinis ope perpetuò dependere. Ait enim ille, hunc versum omnes affectus recipere, quicumque inferri humanæ possunt naturæ, & ad omnem statum atque vniuersos incursus propriè satis & competenter aptari. Habet siquidem aduersus vniuersa discrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis, habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis semperque astantis præsidij. Qui enim iugiter suum inuocat protectorem, certus est eum semper esse præsentem, &c. Hic versiculus, omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica ac munitissimus clypeus. Quare, vt cum auctore prænominato concludam, suadeo vt hunc versiculum meditanti tibi somnus irrepat, donec incessabili eius exercitatione formatus, etiam per soporem eum decantare consuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrat, is te euigilante cogitationes anticipet vniuersas, iste te de tuo surgentem cubili curuationi genuum tradat, atque illinc deinceps ad omne opus actusque deducat, hic te omni tempore prosequatur, &c.*

OCTO BEATITVDINES

de quibus CHRISTVS apud Matth. Cap. 8. Modus quoque ac ratio dictas BEATITVDINES acquirendi.

PRIMA BEATITVDO.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Pauperem ſpiritu faciunt
- *Peccata cognoſcere,*
- *Seipſum contemnere,*
- *Neminem ſpernere,*
- *Omnes honorare.*

SECVNDA.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.

Mitem efficiunt
- *Dulcis reſponſio,*
- *Suauis admonitio,*
- *Benigna reprehenſio,*
- *Pia condonatio.*

TERTIA.

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

Lugentem reddunt
- *Excluſio à gloria,*
- *Detentio in miſeria,*
- *Proximorum mala,*
- *Peccata propria.*

QVARTA.

Beati qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

Eſurientem & ſitientem faciunt
- *Horror vitiorum,*
- *Feruor virtutum,*
- *Faſtidium temporalium,*
- *Deſiderium æternorum.*

QVINTA.

Beati mũdo corde, quoniã ipsi Deum videbũt.

Mundum corde faciunt
- *Sinceritas intentionis,*
- *Rectitudo operationis,*
- *Exclusio praua cogitationis,*
- *Assiduitas contemplationis.*

SEXTA.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Misericordem efficiunt
- *Compassio in tribulatione,*
- *Humanitas in necessitate,*
- *Largitas cum hilaritate,*
- *Benignitas cum affabilitate.*

SEPTIMA.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Pacificum faciunt
- *Silentium & solitudo,*
- *Frequens & deuota oratio,*
- *Contemplatio & meditatio,*
- *De nulla re intromissio.*

OCTAVA.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniã ipsorum est regnum cęlorum.

Patientem reddunt
- *Timor æterni supplicij,*
- *Amor feruens Dei,*
- *Memoria passionis Christi,*
- *Spes præmij æterni.*

CONCLVSIO.

Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

THESAVRI Precum & Exercitiorum Spiritualium

PARS SEPTIMA.

Apologeticæ defensiones quarumdam huius THESAVRI partium.

DEfensiones sequentes nõ modò hæreticorum calumniis, quibus Catholicorum pia exercitia carpunt, procul amouendis, sed etiam bonorum animis inflammandis seruient, dum in iis & antiquitatem & vtilitatem, & virorum sanctorum ita olim facientium exempla considerabũt.

Defensio & explicatio COROLLÆ siue ROSARII SACROSANCTÆ TRINITATIS.

VM *anno Domini* D. LXXXIX. *in Toletano Concilio* III. *Hispaniarum Rex Reccaredus, & Regina Badda, cum totius regni proceribus, subditisque omnibus, ex hæresi ad Catholicam fidem reuerterentur, sic ab exultantibus, & in Domino gaudentibus Patribus acclamatum est:* Gloria Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto,

cui

cui cura est, pacem & vnitatem Ecclesiæ suæ sanctæ Catholicæ prouidere. Gloria Domino nostro IESV Christo, qui pretio sanguinis sui Ecclesiam Catholicam ex omnibus gentibus congregauit. Gloria Domino nostro IESV Christo, qui tam illustrem gentem vnitati fidei veræ copulauit, & vnum gregem & vnum pastorem instituit. *Ipsi verò proceres inter alia multa, subiunxerunt*: Quicumque non dixerit, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, anathema sit, Amen. *Ecce vides Lector celebrem horum versuum auctoritatem ac vsum introductum diu antè à Damaso Pontifice in officio Diuino Ecclesiæ Catholicæ, nempe anno 366.*

Primò autem continet Corolla ista fidei de summo & primo credendorum articulo professionem, contra omnes SACROSANCTAM TRINITATEM *negantes & oppugnantes, Paganos, Iudæos, Turcas, & generatim omnes hæreticos, cuiuscumque ij dogmatis aut secta sint: quia Diuo Paulo & Augustino teste, in sola Ecclesia Catholica, vera Dei gloria est. Hæc autem professio speciatim fit contra veteres Sabellianos, qui & Noëtiani, Hermogeniani, Praxeani, Samosateni, Photiniani: contra Arianos, Macedonianos, Tritheitas seu Philoponianos & Peratas: item contra nouos eosque apertos, Michaëlem Seruetum, Georgium Blandratam, Zosimum, & alios.* Ephes. 1. L. de vnit. 8.

2. *Continet Dei laudationem & glorificationem, ad quam nos perpetuò & Scripturæ & Patres, & ratio ipsa hortatur; siue intueamur Diuinæ ipsius naturæ præstantiam infinitam, siue innu-*

merabilia quæ ab ea in nos beneficia proficiscuntur: quorum alia sunt communia, vt creatio, conseruatio, redemptio; alia his connexa infinita: propria alia, vt vocatio, vel reuocatio ad fidem Christianã & Catholicam, in eadem conseruatio, & cetera pænè infinita corpori vel animæ præstita.

Dan. 3. 3. *Continet imitationem omniũ creaturarum, quæ omnes suo singulæ modo Deũ assiduè laudãt.*

4. *Continet imitationem Ecclesiæ militãtis, quæ singulis diebus, vt est in* C. Quoniam in defer. *dicit,* GLORIA PATRI, *&c. & dicit per suos ministros, in Ecclesiasticis precibus quotidie amplius quinquagies, & aliàs perpetuò Deum laudat.*

5. *Continet imitationem sanctorum Patrum, qui toties, tam libenter, tanto cum pietatis sensu, doxologiam vel istam, vel aliam, si non verbis, sententia certè quàm simillimam vsurparunt: vt sunt S. Dionysius Alexand. S. Gregor. Thaumaturgus, S. Basilius, S. Chrysost. S. Flauianus, S. Hieron. S. Damasus, Nicena Synodus, Vasensis, Toletana 3. & inprimis ipsi Apost. D. Petrus 1. Epist. c. 4. & 5. 2. c. 3. D. Paulus Rom. 11. 16. Gal. 1. Ephes. 3. Philip. 1. Timoth. 1. 2. Timoth. 4. Heb. 13. Ceteri apud Clementem lib. 8. Const. cap. 15. 16. 18. 20. 22. 29. 37. & 38.*

6. *Continet imitationem etiam sanctorum Angelorum, & Beatorum omnium, qui hymnum gloriæ sine fine concinunt, & dicunt voce magna, sedenti in throno, & Agno,* BENEDICTIO, ET HONOR, ET GLORIA. *Apoc. 5. 19. Isaiæ 6.*

7. *Imò verò imitationem cõtinet ipsarum Sanctissimæ Trinitatis personarum. Nam Pater glo-*

rificat

rificat Filium, Ioannis 8. 12. 16. 17. Filius Patrem, Ioan. 7. & 12. Spiritus sanctus vtrumque, Ioan. 16. 1. Cor. 12. Quàm sancta igitur, augusta, Deoque accepta doxologia hæc!

8. *Continet eadem Corolla finem & scopum vitæ nostræ, summam omnium orationum, & desideriorum nostrorum. Huc enim preces, vota, studia, labores, verba, facta, cogitationes, omnia denique nostra tendere semper debent, vt gloria Patri, Filio, & Spiritui sancto semper reddatur; Eccl. 17. Deuteron. 26. 1. Cor. 6. Vnde & Ecclesiasticus cap. 39.* In omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.

9. *Gloriam tandem nobis ipsis affert maximam, æternam, in cælis; si expediat, etiam in terris.* Τὰς δοξάζοντάς με, *ait Dominus*, δοξάσω. i. Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum. 1. Reg. 2.

DEFENSIO ROSARII B. VIRGINIS MARIÆ.

RITVM *precandi Rosarium Beatissimæ* VIRGINIS MARIÆ, *iam olim à Christianis Catholicis receptum, non esse vel blasphemum & satanicum, vel superstitiosum, vt fabulantur Sectarij, sed pium & religiosum, breui hoc epicheremate demonstramus. In Rosario quinque sunt*, Nomen, Orationes, Repetitio, Numerusque earumdem, & Calculi precarij; *quæ constat omni superstitione vacare: ritus igitur precandi Rosarium, non est superstitiosus.*

Nomen rosarij *suauissimum est: nec enim aliud significat, vti vox quoque Germanica* **Rosen crantz** *indicat, quàm sertum quoddam spirituale, mysticis vocibus ex Euangelio depromptis, tamquam rosis contextum, quod Virgini virginum Dei matri offerimus. Serta enim virginum capitibus ornandis propriè adhibentur.*

Orationes *sine controuersia sunt sanctissimæ. Nam Dominicæ orationis auctor est Christus; Salutationis Angelicæ Gabriel Angelus, & S. Elisabeth. Quam Ecclesia Catholica, vt formam quoque precandi haberet, hac clausit oratiuncula à veteribus vsurpata:* Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ. Amen.

Repetitio Orationum, *quia maximè valet ad excitãdum inflammandumq. precantis affectum, non potest nõ esse religiosa. Legimus tres pueros in fornace hemistichium quoddam singulis in collaudando Deo repetiuisse versibus religiosissimis. Et orator Dauid in Psalmis suis sæpè repetit, nunc verbum vnum, nunc plura, nunc integrũ versum.*

Psal. 106. Psal. 117. Psal. 148.

Dominus quoque alicubi non obscurè hanc repetitionem in orante postulauit. Nam Lucæ 11. cùm orandi modum suis traderet, parabolam mox subiecit de eo qui ab amico tres panes extorquere non potuit, nisi identidem eius fores pulsando. Et in cap. 18. cùm docuisset suos oportere semper orare, & non deficere, aliam parabolam addidit de vidua, quæ quoniam idem sæpiùs petendo etiam molesta fuerat, iudicem tandem in suam sententiam traxit.

Dices, Parabolas illas non aliud efficere, quàm perseuerantiam in oratione in primis esse necessariam. Non diffiteor. at efficiunt quoque illud, repetitione fieri vt perseueremus & non deficiamus.

Rursum dices, Dominum in ea ipsa institutione Matth. 6. monuisse, ne orantes multum loquerentur; *vbi Græca vox est* βαττολογεῖν, *inaniter idem repetentium propria. Respondeo, Christum ibi tantùm reprehendere vanam loquacitatem Ethnicorum, qui existimabant Deum æquè ac homines capi verborum copia & lenociniis: nam addit,* Sicut Ethnici faciunt, putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.

Locus illustris pro vindicanda hac repetitione ab omni superstitione est apud Lactantium lib. 4. Instit. c. 28. vbi discrimen inter superstitiosos & religiosos (quòd illi totos dies deprecarentur Deos, hi moderatè id facerent) à M. Tullio allatum, his verbis refellit: Quid causæ est, cur precari pro salute filiorum semel religiosi, & idem decies facere sit superstitiosi? Si enim semel facere optimum est, quanto magis sæpiùs? &c. *vide ibidem plura.*

Ex quo perspicuè efficitur, non modò superstitiosos non esse, qui crebriùs easdem preces in Rosario iterant, verùm etiam melius esse, Deoque gratius, sæpiùs quàm semel eas iterare. Ad hæc, repetitione ea nihil esse iustius aut honestius. Denique Rosarij oratores propriè esse religiosos, vt qui diligentissimè ex assiduitate relegant retractentque ea quæ ad cultum Dei pertinent.

Numerus Orationum Rosarij, *est ab eadem*

nota

nota superstitionis immunis. Nam Angeli apud Isaiam, & in Apocalypsi animalia quæ requiem non habebant, nec nocte nec die, tertiò eamdem vocem in laudibus Dei iterant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Dauid Propheta septies in die laudem Deo dixit. Cuius exemplum secuta Ecclesia diuinum Officium septem diurnis nocturnisque horis absoluit. Christus in horto orans, tertiò eumdem sermonem repetiuit. Paulus ter Dominum rogauit, vt Angelus Satanæ ab eo discederet. D. Bartholomæum nixum genibus centies noctu diuque orasse, testis est eius auditor Abdias Babylonius. Ex vetustissimis Anachoretis apud Palladium & Socratem, S. Macarius centum, Paulus Ægyptius trecentas, virgo quædam septingentas quotidie fundebat ad Deum orationes.

Iam si pia mysticáve significatio à numero non abfit, vt certè non abest, nec in numero Rosarij, nec in allatis exemplis (ternarius enim SS. Trinitatis, septenarius donorum Spiritus sancti symbolum est) nihil erit in numero quod probari non possit. Nam quinquies Orationem Dominicam repetimus, vt quinque Christi vulnerum memoriam refricemus. Salutationem verò Angelicam cuique Orationi decies subiicimus, vt in mentem nobis veniat decem Dei mandatorum. Eamdem quinquagies toto Rosario iteramus, vt plenam peccatorum remissionem, quæ quinquagenario numero Iubilæi in Scripturis diuinis significatur, interceßione Beatissimæ Virginis per merita passionis Dominicæ consequamur.

Calculi precarij *restant, in quibus aliquid su-*

persti-

perſtitionis hærere imperitis fortaſſe videatur, ſed reuerà nihil hæret. Licet enim illis Chriſti fideles nunc laudabiliter vtantur tamquam ſymbolo manifeſto Romanæ religionis; vſus tamen eorum Patrum memoria in Eccleſiam non alia de cauſa primùm inductus eſt quàm vt ne in numero orationum perſoluendo ſenſili tactu aſpectuque calculorum facilè aberraremus.

Scribunt veteres Hiſtorici, Palladius, Sozomenus, Caſſiodorus, celeberrimum Anachoretam Paulum de Lybia quingentorum Monachorum patrem, ſolitum in dies 300. orationes Deo quaſi tributum perſoluere; & ne numero dilinqueret, lapillum ad ſingulas orationes in ſinum iactare. CLARAM *quoque ſanctiſſimam feminam Orationes Dominicas congerie lapillorum Domino annumeraſſe, res ab ea geſtæ teſtantur. Breuiter quàm vetus calculorum ſit vſus, ſaxa ſepulchrorum antiquiſſima loquuntur.*

Non alio igitur fine primùm vſurpati videntur calculi illi, quàm ab Oratoribus olim loci & imagines ad retinendam verborum rerumque memoriam, quàm à mercatoribus nummi ærei ad annumerandas ingentes pecuniarum ſummas, quàm ab Eccleſia Catholica cruces imagineſque Chriſti & Sanctorum, ad conſeruandam vitæ Chriſti Sanctorumque recordationem.

Numerus certus calculorum *commonitorius eſt: nam ſicut Ioſue ſacri dux exercitus, filiis Iſrael Iordanem ſicco veſtigio tranſeuntibus, duodecim lapides grandes ex alueo in caſtra piè & religiosè deferri mandauit, vt nempe apud poſte-*

ros percontantes, quid sibi vellent lapides isti, *perpetua miraculosi transitus extaret memoria: sic maiores nostri piè & religiosè quinque grandiores calculos Rosariis inseruerunt, vt hæreticis ea ridentibus, percontantibusque*, quid sibi velint quinque calculi isti, *quid Rosarium totum, respondeatur esse Symbola quinque vulnerum, quæ Christo pro nostra ipsorumque salute sunt inflicta. Rosarium verò esse compendiũ quoddam noui testamenti, doctrinaque Christianæ. Nam qui multiplicem Rosarij vsum norũt, sciunt eumdem calculorum numerum seruire ad renouandam memoriam omnium mysteriorum vitæ* CHRISTI, *&* B. VIRGINIS, *capitumque præcipuorum fidei Catholicæ, vt* SS. TRINITATIS, *Incarnationis Passionisque Christi, cultus Dei & Sanctorum, præceptorum decalogi, iustificationis & vitæ æternæ. Quod sanè compendium hoc vtilius est in vulgus, quo latius eius vsus patet quàm librorum. Legi enim potest etiam ab litterarum imperitis, à cæcis, in equis & curribus, in tenebris densissimis.*

Benedictio Pontificis *calculos alioquin profanos solemnibus precationis verbis in pium & salutarem vsum Fideliũ destinat: sicut ritu Ecclesiæ peruetusto, aqua, sal, calices, cerei, herbæ, templa ipsa, benedictione sacerdotis ad sacrũ vsum destinantur.* Sanctificatur enim, *inquit Apostolus*, omnis creatura per verbum Dei & orationem.

Indulgentias *benedictioni coniunctas fructum afferre maximum, certum est: his enim allecta plebs fidelis numero maiore, studio ardentiore, ad*

oran-

orandum Deum concurrit, pro rebus maximis, pro Ecclesiæ Catholicæ incremento, pro concordia Christianorum Principum, pro exstirpatione hæresum. Horum enim capitum ferè indulgentiarum formulæ meminerunt.

Imagines *verò aureæ, argenteæ, ligneæ, Rosariis appensæ, nec mysticum significatum nec vsum habent alium, quam imagines in templis; vt videlicet memoriam nobis renouent rerum à Christo Sanctisque gestarum, & vt in vel coram illis prototypum veneremur & inuocemus.*

DEFENSIO APPARITIONVM QVÆ AB ANGELIS SANCTIS FIERI CONSVEVERVNT.

CAPVT I.

Bonos ANGELOS verè nonnumquam apparere.

NGELOS *bonos rebus nostris in assumptis corporibus quandoq. interesse certum est: id enim Scriptura clarissimis verbis docet, testatur experientia, ratio certissima confirmat; denique probat omnium rectè philosophantium consensus.*

Scri-

Scriptura apparitionum Angelicarum non vno in loco, sed varijs, mentionem facit. Et omni tempore, omni loco, omniq́ue hominum generi ipsos apparuisse, tot probat exemplis, vt possint sufficere ad hanc rem etiam Barbaris persuadendam.

Stutim ab orbe condito Dei personam sustinuerunt, & variis rationibus cum Patriarchis egerunt [a]. *Lex Dei non hominum tantùm, sed & Angelorum ministerio ad Iudæos perlata est. Denique Actuum Historia* [b] *atque Euangelia* [c] *(quæ principium temporis gratiæ explicant) docent, plurima per Angelos præstita esse, & perfecta.*

Et nunc quidem ruri apparuerunt [d], *nunc inter priuatos parietes domi* [e], *nunc in templo* [f], *nunc in hortis* [g], *nunc in fornace accensa* [h], *nunc in carceribus* [i], *nunc in sepulchris mortuorum* [k], *nunc in locis desertis, & ab omni hominum frequentia separatis* [l].

Sed & omnium generum hominibus sese spectandos exhibuerunt. Gentibus inquam [m], *Iudæis* [n], *& Christianam fidem profitentibus* [o] *mulieribus* [p] *& viris* [q], *hominibus inculpatæ vitæ* [r] *& barbaris* [s], *ætate proiectis* [t], *& quorum adhuc tenerior ætas* [u], *generis splendore claris* [x] *atque ignobilibus* [y].

Confirmãt etiam hanc rem non ex sacris solùm fontibus hauſtæ, verùm etiam aliunde petitæ historiæ. GELASIO *primo Pontifice, in Apulia ad radices Gargani montis (quem locum incolunt Sipontini) Archangeli Michaëlis fuit illustris apparitio* [z]; *eumq́ue sapiùs hominibus visum, veteri Sanctorum traditione comprobat Romana Eccle-*

sia,

[a] Gen. 18. 28. 32.
[b] Act. 8.
[c] Luc. 1. 2.
[d] Genes. 32
[e] Iudic. 6.
[f] Luc. 1.
[g] Lucæ 22.
[h] Daniel 3.
[i] Actuũ 12.
[k] Mat. 28.
[l] Gen. 21.
[m] Act. 10.
[n] Lucæ 1.
[o] Act. 12.
[p] Mat. 28.
[q] Act. 13.
[r] Luc. 1.
[s] 2. Mach. 3
[t] Gen. 18.
[u] Dan 3.
[x] 2. Mac. 3.
[y] Gen. 21.
[z] Surius Tom. 5. in Michaele.

ſia. CÆCILIA *Angelorum viſione fruens, roſarum liliorumque media hieme vernantium odoramentis, quæ ipſi de Paradiſo allata fuerant, Valerianum & Tiburtium conuertit.* MARIAM MAGDALENAM *ab Angelis in cœlum tolli, & iterùm loco ſuo reſtitui, ſolitarius quidam vidit Presbyter.* PRÆTEXTATA *nobiliſſima quondam femina, iubente viro Hymetio, qui patruus Euſtochij virginis fuit, habitum eius cultumq. mutauit (verba ſunt Hieronymi) & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propoſitum & matris deſiderium. Et ecce tibi, eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tu ne auſa es, viri imperium præferre Chriſto? tu caput virginis Dei, tuis ſacrilegis attrectare manibus? Quæ iam nunc arescent, vt ſentias excruciata, quid feceris; & finito menſe quinto ad inferna ducêris. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam velox ſignauit interitus. Neque res hæc vires Angelorum excedit; vt qui in corpora vim habent ſummam: neque minuit dignitatem, ſed illuſtrat maximè; quando hac ratione primùm illorum poteſtas, deinde ſtudium benè de nobis merendi eluceſcit: neque rebus humanis incommodat; quando grauiſſimæ cauſæ ſunt (vt dicemus) cur hoc Angelorum miniſterio Deus vti decreuerit.*

Marulus Lib. 6. c. 16

Hier. ad Lætam de inſtitutione filiæ.

CAPVT SECVNDVM.

Qui ANGELI apparere soleant.

REbus igitur humanis Angelos interesse posse, atque identidem in aspectabili forma interfuisse, extra controuersiam est. Omnibus verò num hoc conueniat, ex missionibus, quas Scriptura ipsis tribuit, colligi posse videtur. Certè cùm ad externa munia obeunda non mittantur omnes, sed quidam in vnica Dei contemplatione atque fruitione occupentur; alios apparere posse putamus, alios verò omnino mortalium conspectum fugere.

Exod. 23.

Et quidem inferioris ordinis omnes, atque etiam medij seu secundæ Hierarchiæ mitti, præter illos quos Dominationes vocamus, ratio nominum, quibus compellantur, insinuat: quæ, quòd quædam in his inferioribus exerceant, & mortalium causa occupentur, importat: reliquos autem ab hoc officij genere immunes esse, tum eadem nominis ratio, tum grauissima B. Dionysij commonstrat auctoritas.

Dion. c. 8. cælestis Hier.

Quamobrem ex superiorum quatuor ordinum Angelis nulli corpora assument. Sed neque ex inferioribus ordinibus omnes. Licet enim nullos assumere putemus, quos non item mitti sit necesse, non tamen quicumque mittuntur, corpora assumere dicendi sunt: quoniam & rebus nostris adesse possunt, & pro officio suo illas administrare, licet se mortalium oculis non offerant.

Angelos apparuisse legimus atque Archangelos: Principatus verò, Virtutes atque Potestates

non

non item. Et Angelos quidem communiora magis officia subiuisse, secretiora autem Dei consilia per Archangelos patefacta esse & perfecta, Sacra perhibent eloquia. Luc. 1. Daniel. 10.

Quòd si (quo diuinius nullum opus habet Christianitas) incarnationis mysterium Archangeli ministerio, qui se Virgini in humana specie exhibuit, Deus voluit reuelare: quid opus est asserere, ad inferiora minusque excellentia munia subeunda, superiorum ordinum spiritus in humanis corporibus apparere? Greg. Homil. 34. in Exod.

Nisi fortè, quia Seraphim missus dicitur ad Prophetæ labia purganda: idcircò etiam supremos quis mitti, & externa specie se spectandos exhibere arbitretur. Verùm doctissimus vir Dionysius hunc etiam inferioris ordinis Angelum fuisse confitetur, nomenque superiorum consequutum, aut ab officio, quòd ad incendendum Prophetæ labia accesserit; aut quòd superioris ordinis Angeli auctoritate in hoc negotio functus sit. Isaiæ 6. Dion. c. 13. cæleſt. Hierar.

Verùm quod quibusdam tribuimus, vt nostris rebus interſint, non ita de aliis negamus, quasi hoc vel viribus ipsorum repugnet, vel conditionem nequaquam deceat. Possunt profectò omnes apparere: vt tamen omnes appareant, diuinæ prouidentiæ ratio rebus insita permittere non videtur.

CAPVT TERTIVM.

Modi & rationes, quibus boni ANGELI apparuerunt.

MOdus quo apparent Angeli, varius est. Nam vel in assumpto corpore se exhibent,

vel propria vi, qua pollent maxima, sui species in sensibus efficiunt, & in iis se nobis offerunt.

Fuerunt qui primum apparitionis genus reijcerent, nullamque putarent contigisse per corpoream visionem, qua id quod cernitur, extra videtem est. At vera fuisse corpora, in quibus quandoque spiritus cælestes, hominum se sensibus obtulerunt, docet B. Augustinus illorum exemplo, qui Abrahæ in conualle Mambre, & item Loth in Sodomis apparuerunt; & ab illis hospitio excepti, Dei consilia patefecerunt.

Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei, c. 23. Genes. 18. Ibid. 19.

Confirmatur; quia quæ sub imaginationem cadunt, ita illi cui reuelatio contingit, exhibentur, vt ad aliorum notitiam peruenire non sit necesse. iam verò Abrahæ ita se exhibuerunt Angeli, vt & tota familia ipsos intueretur: & qui Loth auctores fuerunt, vt Sodomorum consuetudinem relinqueret, impiorum conspectum non fugerunt.

Vtrùm verò ex inferioribus elementis peregrina corpora assumant, eaque in quaslibet corporales species vertant; an potiùs propria quædam sua transforment, & ad id quod agunt, accommodent, à se non vult quæri D. Bernard. mauultque ignorantiam suam fateri, quàm temerè in re difficili quippiam definire. Sed & id vires ingenij sui excedere putat B. Augustinus, vt qui grauissimos auctores secutus, tam bonos quàm malos spiritus subtilia corpora, & quæ magis ad agendum quàm patiendum sint apta, dicat habere.

Ber. Ser. 5. in Cătica.

Aug. l. 3. de Trinit. c. 1.

Verùm qui ab hac sententia cum non minùs insignibus auctoribus discedunt, & idcirco omni corpore exuunt Angelos, quia neque subsistendi,

neque

neque intelligendi, neque se ipsos mouendi gratia, vllo indigent: non ipsorum tenuiora indensari, & sic ad hominum sensus accommodari, sed aliena siue peregrina ex elementis formari magnis rationibus commonstrant.

Vera igitur, licet peregrina fuerunt corpora, in quibus spiritus Angelici hominibus visi sunt. His autem non eo coniunguntur modo, quo se noster animus corpori vnit, tamquam ipsorum essent formæ (non enim corpora, sed spiritus diximus esse Angelos) neque in vnitatem hypostasis, quo modo Christus humanam naturam, illa assumunt (non enim Angelos dicimus esse homines, quando in humana specie apparent:) sed neque ita naturaliter illis adhærent, vt vicem naturæ quasi subeant, quemadmodum Intelligentias cum cælo coniungimus. Adde, quòd neque vt motor tantùm ei quod mouetur adsunt; nisi omnia ab Angelis assumi velimus dicere, quæcumque ab ipsis mouentur corpora. Vniuntur vt motor, quem ipsum quod mouetur, quodam modo repræsentat & cognoscendum exhibet. Dion. cæl. Hier. c. 1. Chrysost. hom. 22. in Gen. Cyril. l. 4. comm. in Ioannem, cap. 10. Thess. 3.

Assumpta verò corpora non priùs ea specie atque forma fuerunt, qua postquam assumpta sunt exhibentur: sed simul & assumuntur & figurantur; atque ab eo eodem à quo assumuntur, formas figurasque recipiunt. Thom. 1. p. q. 51. ar. 2. ad 3.

Figurantur autem & efficiuntur plerumque non ex aqua & terra, quia non ita subitò ex hominum sensibus se subducere possent, quemadmodum se nostris sensibus subtrahunt Angeli; neque ex igne, quia circumquaque cuncta depascerent:

sed ex aëre, quem sua virtute condensant, & ad quascumque formas volunt, componunt.

Vbi verò semel assumpta fuerunt corpora, non perpetuis temporibus retinentur; sed statim, postquam munia sua expleuerunt, deponuntur: & in priorem formam, non iam Angelorum aut Dei virtute, sed naturali prorsus, redeunt; non secùs, atque calefacta aqua infrigescit.

Potest nihilominùs fieri, vt perpetuis temporibus illa retineant. possunt & ex aliis elementis assumere. possunt quoque talia assumere, quibus ipsi non sua virtute formas dent, sed à quibus mutuentur. Hic primus modus.

Alter modus quo se non in assumptis corporibus exhibent, sed sensibus tantùm insinuant, duplex est: quemadmodum & duplex sensuum, in quos vires suas exercere possunt, ratio est. Quandoque interioribus sensibus (imaginationem intelligo) quandoque exterioribus percipiuntur.

Cum enim in corpora potestatem habeant Angeli, & apparitiones imaginarias, & horum motu frequentissimè oriri etiam Aristoteles doceat: cumque sensus non solùm ab eo moueatur, quod extra ipsum est; verùm etiam à variis formis, quæ simul cum perturbatis spiritibus atque humoribus in sensus illabuntur: sequitur Angelorum vires non excedere, vt & in imaginationem hominis se insinuent, & item in humoribus sui formas imprimant, sicque sensus exteriores occupent.

Thom. 1. p. q. 111. art. 3. & 4.

In imaginationem nunc dormientibus nobis se insinuant; cuius exemplum ille præbet, qui Ioseph apparuit, eique vt Herodis furorem declinaret,

auctor

auctor fuit: nunc vigilantibus; vt docetur illorum exemplo, qui phreneſi capti res miras præſentes eſſe ſibi certiſſimè pollicentur. At in exteriores ſenſus numquam illabuntur, niſi omnis procul abſit ſomnus. Auguſt de cura pro mortuis agenda, cap. 12.

Quandocumque verò & quomodocumque in aſſumptis corporibus apparent, ſuamque & non Dei perſonam ſuſtinent, dignam ſemper ſe ſuoque munere exequendo formam aſſumunt; humanam dico, & non aliam. Conuenit hæc ipſis, quia inter omnes præſtantiſſima eſt: conuenit & ipſorum officiis, quia in corporibus talia exercent, quæ aut per ſolos homines debent, aut per ſolos poſſunt optatos fines conſequi.

Eamdem officiorum rationem eſſe putamus, cur non in ſpecie muliebri, ſed virili, non infantis aut pueri, ſed maturioris ætate, ipſos ſemper apparuiſſe legamus.

Quando verò in viri figura ſe aſpectabiles exhibent, non ſimili ſemper forma vtuntur; nunc hanc habent, nunc illam, prout officiorum diuerſitas requirit. Huius argumentum eſt, quòd alios obſtupuiſſe legamus ad primum Angelorum intuitum, alios nihil commotos, alios non ferentes ipſorum conſpectum in terram corruiſſe, licet etiam leonibus fuerint formidabiles. Lucæ 1. Dan. 10.

Angelus qui apparuit Ezechieli, videbatur vir indutus lineis, & atramentarium ſcriptoris habere in lumbis; qui mulieribus poſt glorioſam Chriſti reſurrectionem, in veſte fulgeti; qui Machabæo, in veſte candida, auream haſtam vibrans; qui ſalutaturus Virginem intrauit (ſi Auguſtino Ezech. 9. Lucæ 24. 2. Mach 1. Auguſt de Nat. Domini Ser. 14.

credimus) facie rutilanti, veste coruscante, ingressu mirabili, aspectu terribili.

Genes. 19. Greg Homil. super Matth. 16.

Scilicet hoc ipso habitu muneris sui atque officij nos commonefacere videntur. Sic Loth in habitu peregrini volunt mutare solum: sic festiuitatis nostræ gaudia annuntiant (verba sunt B. Gregorij) quando ipso resurrectionis die in candida stola apparent.

CAPVT QVARTVM.

Quid boni ANGELI in assumptis corporibus operentur.

MVltiplices sunt operationes Angelorum in assumptis corporibus: quædam in ipsis, sed non per ipsa; quædam etiam per ipsa exercentur corpora. Illæ liberæ sunt, nec corporum indigent ministerio; hæ non item.

Prioris generis sunt visio Dei, sui ipsorum rerumque naturalium omnium continua contemplatio, quorumdam diuinorum consiliorum cognitio; & vt vno verbo dicam, illæ omnes, quæ voluntatis atque intellectus opera perficiuntur: posterioris sunt, cum hominibus sermocinari, itineri socios se præbere, sumere cibum, legationes suas quadam lucis claritate cohonestare; aliæque huiusmodi, quibus se viuis exhibent.

Non enim quia nobiscum conuersantur Angeli, felices esse desinunt, & de suo, quod illis vel gratia vel natura contulit, exercitio quidquam remittunt: neque propterea à procul à diuino sunt conspectu, quia nostris rebus intersunt. Angeli,

inquit

inquit Saluator, eorum semper vident faciem Patris, qui in cælis est. Matth. 18.

Ad liberas operationes nihil prorsus confert corpus assumptum, sed nec quidquam impedit. Quamobrem non tunc ratiocinantur more nostro: non phantasmatum inspectione rerum cognoscunt naturas: non agētis intellectus operam requirunt: non cunctantius de rebus definiunt. quæ in nobis ob corporis molem fieri obseruamus omnia.

Sunt præterea hæ operationes verè viuentis naturæ, vitalesque dici debent, & quidem multò magis quàm nostræ, quarum animus est principium & causa. At aliæ illæ neque sunt neque dici debent vitales: propterea quòd principium sui non in se, sed extra se habeant, non secus atque lapis qui à proijciente impellitur. Thom. 1. p. q. 51. ar. 3.

Est tamen inter has non vitales discrimen. Quædam, si naturam ipsarum conditionemque in se spectes, non nisi animante principio efficiuntur: vt sunt videre, audire, &c. quædam ex se animans quidem principium habent; sed tamen ex parte, earum rationem subeunt, quæ sine anima possunt perfici: quales sunt cibum sumere, ambulare, & his similes. hæ Angelis tribui quodammodo possunt, illæ nequaquam. Ibid.

Quocirca Angeli in assumptis corporibus possunt dici sonos formare, locumque mutare; videre autem, audire, loqui, gustare, non item. Et motus reuerà in ipsis est, quæ moueri videntur corporibus; visio autem atque auditio, visque loquendi & audiendi, nequaquam. Cùm essem vobiscum, *inquit illorum quidam*, videbar quidem Tobię 12.

manducare & bibere, sed ego potu inuisibili & cibo vtor.

Neque tamen ob id putare debemus, oculos aliorumque sensuum organa suum munus non habere in Angelis. quoniam non hæc vt per illa sentiant, consequuti sunt; sed partim propterea, vt intelligeremus illis non deesse vim cognoscendi, aliaque opera, quæ nos sensuum ministerio exequimur, perficiendi; partim ne si absque his membris apparerent, nescio quæ monstra Angelos esse suspicaremur.

Ex iam dictis sequitur, nec sitim nec famem in assumptis corporibus Angelos pati. nec contrà satiari posse. sed nec fatigantur longitudine difficultateque itinerum: nec difficilius est ipsis breue spatium longo, quàm longissimum breuissimo tempore conficere; licet & reuerà corpora moueantur, atque ipsi item in corporibus non secùs atque motor cum mobili ferantur.

Sequitur & illud, non esse necesse, eamdem prorsus illorum corporum constitutionem esse, quæ est nostrorum: scilicet vt interiorum viscerum eadem sit necessitas, ratio, atque compositio. Sufficit vt quæ sensibus se offerunt membra à nostris non discrepent.

CAPVT QVINTVM.

Causæ apparitionum.

CAusas restat inquiramus, ob quas Angeli in peregrinis se corporibus exhibent.

1. *Placet S. Thomæ, vt veteris Legis apparitiones*

tiones quoddam inditium esse dicamus assumendæ olim per Dei filium naturæ humanæ: quasi his tamquam obscuris signis antiquitas illa fuerit instruenda; vt de filio Dei crederet, quod Angelici spiritus quodã modo effingerent & demonstrarent. Thom. 1. p. q. 51 ar. 2. ad. 1. & S. Aug. lib. 3. de Trinit.

2. *Sed & futuræ societatis, quæ nobis in illa vita communis esse debet cum Angelis, non leuia fuerunt argumenta: ne impossibile iudicaremus, quòd cum Angelis communem quandoque in cælis vitam acturi essemus immortalem; quando & ipsi cum hominibus eamdem quasi vitæ conditionem in hoc infelici rerum statu subire voluerunt.*

3. *Quid, quod naturæ nostræ conditio id postulare videbatur, vt mens nostra corpori tamquam carceri inclusa, corporeis etiã argumentis promoueretur; eoq; duceretur & assurgeret externo Angelorũ ministerio, quò per se vix penetrare posset.*

4. *Accedit, quod & religionẽ & sinceram pietatem hæc ratio apparendi non parum promoueat, diuinamque clementiam & erga genus humanum liberalitatem egregiè commonstret; quando naturæ ordo quasi interturbatur, vt rebus nostris commodiùs consulatur.*

Vide quæso, quot quantisque de causis, spiritus illi, quædam quasi (vt ita dicam) corpora esse voluerunt. Visi sunt in corporibus (vt ex multis pauca afferam) vt afflictos erigerent & consolarentur: vt itineris se duces & comites præberent: vt vim elementorum, ne piis obessent, frangerent: vt impiorum conatus retardarent, & peccata vlciscerentur: vt Dei voluntatem hominibus reuelarent, &c. Genes. 21. Tobiæ 6. Daniel. 3. 4 Reg. 16 Lucæ 1. Act. 8. &c.

Et

Et tamen hæc omnia per se potuit Deus. Potuit & occulto quodam Angelorum ministerio, potuit animos nostros ingredi, informare, & quocumque libêret impellere; sed quod potuit, noluit: ne fortè mens humana sibi tribueret, quod Deo erat tribuendum; aut tardiùs negligentiúsve aduigilaret, quando non externis quasi machinis impelleretur, sed interno solùm spiritu ageretur.

CAPVT SEXTVM.

Ratio & modus ANGELOS pingendi, vel sculpendi.

IN bonorum Angelorum imaginibus, & exterior forma, & corporis habitus, & cum ipsis coniuncta, aduertenda sunt.

Forma *duplex est, quoniam aut integro perfectoque corpore depinguntur, aut solo & quidem alato capite figurantur, vtrobique verò speciem humanam referunt, fulgentique aspectu & liberali, atque adolescentis forma, animos intuentium ad se rapiunt.*

Habitus corporis *quandoque omnino nullus est, vt cùm sine vestibus nudi exhibentur; quandoque ipsis dignus. Et hic nunc militaris est, & ad pugnandum accommodatus, nunc qui pacis sit argumentum: vt cùm vestitu candido induti, zonis circa pectus & lumbos præcincti, lapidibus pretiosis ornati, duabus alis pennati, & nubibus circumdati, sed tamen discalceati conspiciuntur.*

Coniuncta *cum his sunt, gladius versatilis, crux, flagella, cithara, aliaque cùm dominicæ passionis,*

sionis, tum musica instrumenta ; virga item regia, bilibris, thuribula, & his similia.

Omnibus his occasionem dedit partim Scriptura, quæ ipsos hoc ferè modo apparuisse demonstrat, partim totius antiquitatis consensus; partim ratio, quæ vel ornatum in his quærit, vel mentem instituit, aut confirmat.

Perfectæ ipsorum formæ *auctoritatem identidem dant Sacræ litteræ; quæ quotiescumque spiritus illos oculis nostris obyciunt, sub humana & quidem perfecta apparuisse multis argumentis insinuant. Sed & perfectam habuisse speciem videntur, quos in ipso templi sacrario asservari voluit Deus: & quos ex lignis oliuarum fabrefactos atque auro tectos, in medio interioris templi constituit Salomon.* Exod. 25. 3. Reg. c. 6.

Imperfecta forma *ex sola videtur ratione pendêre. Docet non membra in Angelis esse quærenda, ne ipsos corpora suspicaremur: sed duplici virtute excellere, vi scilicet intelligendi, cuius argumentum caput est, & promptitudine quàm celerrimè diuina mandata exequendi, quod quidam in alis obseruant.*

Sed & alarum leuitas *Dionysio significat, quòd terreni corporis sarcina liberi, toti absque vlla admixtione vel pondere ad cælestia ferantur, & in diuinarum rerum contemplatione iugiter occupentur.* Dionys. cap. 15. de cæleſt. Hierar.

Fulgentem aspectum *obseruatum esse in ipsis apparitionibus, trepidatio illorum quibus se exhibuerunt, demonstrat; sed & ratio eumdem postulare videtur, siquidem in illorum olim societatem* Luc. 1. Marc. 16. Matth. 28.

assu-

Daniel 12. *assumendi, fulgebunt sicut splendor firmamenti*

Aug. serm. 14 de Natiuit Domini. *& B. Augustinus, non alio quàm fulgenti aspecti Gabrielem ad Virginem salutandam ingressum esse, apertè fatetur.*

Mar. 16. Iuuenilis ætatis *plurima argumenta præbe Scriptura, quæ iuuenes vocat. Sed & officiorun ratio & vitæ conditio hanc postulare videbantur vitæ quidem conditio, ne tempore putares senesce re, & ætate consumi; officiorum verò ratio, ne si in fantis aut senis personam referrent, ad munia sui exequendum iudicarentur inepti.*

Nuditas *in hominibus verecundiam parit; in Angelis virtutis argumentum est; sanctitatis, in quam, castitatis, immortalitatis atque innocentiæ quibus etiam primi illi parentes vestiti, nec ipsi nuditate confundebantur, cùm non esset in corpore cui verecundia deberetur; nec quicquam putabant velandũ, quia nihil sentiebant refrenandum*

2. Mach. c. 2. *In* habitu militari *Angelum proponit historia Machabæorum.* Apparuit *(inquit)* precedens eos eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans. *Simili modo iam olim ante annos octingentos, & eo amplius, depictum fuisse possumus credere, qui Assyriorum centum octoginta quinq. millia vna nocte trucidauit; quam ex cera fusilem picturam, pietate plenam, se vidisse testatur & amasse B. Chrysostomus.*

4. Reg. 14. Chryst. in Oratione quòd veteris & noui Test. vnus sit legislat. vid. princ. act 4. sept. Synodi. Vestitus candidus, *& innocentiæ & gaudij signum est: quocircà & Angeli hoc ipso vitæ suæ integritatem testantur; atque item gaudium, quod tum ipsi habuerunt, tum homines concipere oportebat, si quando in hoc habitu conspecti sunt.*

Appa-

Apparuerunt in vestibus albis, & animos addunt Iudæis, luctum interdicunt mulieribus; & mortalium genus, in primis verò Apostolos; ob lætissimam Christi ascensionem recreant. 2. Mach. 2. Marci 16.

Neque tamen ita candidum ipsis habitum tribuimus, vt quemcumque alium damnemus. Seuerum quemdam hæresiarcham arguit Ioannes Gabalon Episcopus, quòd putauerit non decere Angelos purpureas sed albas vestes. Ignorat (*inquit*) sanctis potestatibus non esse curæ, quo vestitu vtantur. Molanus de picturis.

Et candido quidem habitu non quocumque, sed sacerdotali *pinguntur, quia scilicet sacerdotum quasi munus subeunt: quando & pro nobis preces fundunt, & nostram causam apud Deum agunt, & hominum salutem variis rationibus & modis promouent.*

Zona, *qua præcincti hominibus apparent, expeditos & aptos ad ministeria exequenda declarat, sed & continentiæ atque castitatis est argumentum: quæ quia non corporis solùm, verumetiam mentis inuenitur in Angelis: sit, vt & circa pectus & circa lumbos præcincti conspiciantur.* Greg. lib. 28. Moral. c. 8.

Lapidum & pretiosarum gemmarum ornatus, *partim ex ipsa antiquitate, sed tamen ex ratione præcipuè videtur esse profectus. Constantinus enim Magnus in Basilica Constantiniana, quæ Lateranensis modò dicitur, inter ceteras imagines quatuor Angelos ex argento in quinis pedibus posuit, qui pensabant singuli libras centum quinque cum gemmis Alabandenis.* Teste Damaso in Pontific.

Et hæ quidem gemmæ non parum ad ornatum

facie-

faciebant: sed tamen variarum quoque virtutum splendorem testabantur; non secùs, atque duodecim illæ, quatuor ordinibus distinctæ, & Rationali infixæ, Sacerdotem summum sui officij commonefaciebant Nempe (vt pauca de pluribus assignemus) Saphirus cærulei coloris ipsorum castitatis argumentum est: Crystallus, qui, vt habet Basilius, cum aëre contendit, & ei similis in perspicuitate videtur, purissimæ substantiæ: Hyacinthus rubeus, cælestis conuersationis: Smaragdus viridissimus, virentis semper & numquam deficientis naturæ.

Exod. 28.

Basilius in opere hexa. Homil. 2.

Alarum *iam olim meminit Chrysostomus; monetque Gabrielem volitantem à pictoribus delineari, nobisque repræsentari: non quòd Deus illum pennatum condiderit, sed ob sublimes & excelsas cælestis naturæ vires; atque vt illum è supremo domicilio & cælesti collegio ad terram nostra causa deuenisse, gratis animis reputemus.*

Chrysost. Hom. 3. de incomp. Dei natura.

Nubibus *plerumque circumdantur; vel quia in cælis eorum propria est sedes, vel quòd Dei in nubibus aliquando personam sustinuerunt: vel, quia sicut solis splendor ad humanum aspectum per interpositas nubes transfertur; ita lux diuinæ veritatis, quam illi reuerenter suscipiunt, in mortales, pro cuiusque captu, secunda deriuatione transfunditur. Etenim non solùm Angeli ab Angelis illuminantur & informantur; verùm etiam diuinæ prouidentiæ ratio postulat, vt homines per ipsos in multorum veniant cognitionem. Et Angelis quidem per partes offerunt, quod ipsi quasi vniuersim perspiciunt; hominibus verò res*

Exod. 16. Deut. 31. Mat. 17. & 24. Luc. 22. Actuum 1.

Thom. 1. p. q. 111. art. 1. in cor.

diuinas

diuinas in simulachris quibusdam à se effictis obiciunt, & non paruas vires intellectui ipsorum afferunt.

Discalceati *figurantur. Nam sic Patriarchis olim apparuisse credi potest. Sed & Dei ministris familiare est, hoc modo mitti, quemadmodum docent exempla Isaiæ, Moysis, Apostolorum. Accedit quòd sanctos viros, quorum studium est in terris Angelicam vitam ducere, calceis abstinuisse legamus. Denique hoc significatur, eos qui commune cum Angelis officium habent, solutos esse debere à prauis affectibus, vt facilius spirituale iter gradiantur.* Genes. 18. Isaiæ 20. Exod. 3. Matth. 10. Epiph. l. 2. tom. 1. hær. 52. & l. 3. tom. 2. hær. 28.

Instrumenta *quoque sanctis spiritibus ars pictorum affinxit. Illa verò partim Dei vel iram, vel misericordiam, vel iustitiam ad mentem nobis reuocant; partim Angelorum testantur auctoritatem, officium, & vitæ conditionem. Passionis insignia, testes sunt diuinæ misericordiæ; gladius versatilis, iræ; iustitiæ, libra, cum qua S. Michaël pingitur. Ipsorum verò potestatem declarat virga regia; officium, tuba; instrumenta musica, conditionem & cæli lætitiam.*

Omnibus his auctoritatem Sacræ litteræ dare videntur. Videbimus signum Filij hominis in illo die, vtique Angelorum ministerio deferri. Postquam eiectus Paradiso fuit primus parens, constitutus est Cherub, qui gladio flammeo atque versatili aditum ad ipsum prohiberet. Appensus in statera dicitur Balthasar, & inuentus minus habere. Virga vsus est Angelus, qui Gedeoni auctor fuit belli cõtra Madian suscipiendi. Tuba canet, Matth. 24. Genes. 3. Daniel 5. Iudicum 4

Matth. 15 loan. 3 & 12.

qui à quatuor mundi partibus, mortales ad ſtudiorum ſuorum fructus percipiendos euocabit.

Thuribula *illis tribuuntur, vt intelligamus noſtras Deo preces offerre; & in columnis altarium conſtituuntur, vt ſignificetur tremendis Miſſæ ſacrificiis præſentes aſſiſtere: quemadmodum egregiè declarant* [a] *Ambroſius,* [b] *Chryſoſtomus,* [c] *& Innocentius Tertius. Hæc de bonorum ſpirituum imaginibus.*

[a] Ambroſ. Lucæ 1. [b] Chryſoſt. Ho. 21. in Act. & 23. in Epiſt ad Epheſ. & 3. contra Ar. & li. 6. c. 7. de Sacerdot. [c] Innocēt. lib. 2. de ſacro altaris miniſt. 1. cap. 24.

DEFENSIO LITANIARVM CATHOLICARVM.

HABENT *ſuis in precationibus nouam quamdam Lutherani Litaniam, eamdemque ſuis in concionibus cantillant, quam correctam vocāt. Sed, ſi æquiore quis animo rem totam perpēdat, multo veriùs illam ipſi deprauatam appellarent. Dum enim Lutherus, aliique à ſeipſis nati Cenſores, veterem, quæ optima erat, precandi formam corrigere voluerunt, ea in correctione, tria, quæ meritiſſimò caſtigentur, commiſerunt. Nonnulla quæ ſanctiſſima ſunt, ſuſtulerunt: flagitioſa quædam addiderunt: aliqua non mala malè immutarunt. De quibus omnibus antequam ſpeciatim agam, priùs de re, quam ſe ipſi correxiſſe iactant, de ipſiſque Correctoribus dicendum.*

Libelli precum Lutheranarū editi VVittembergę, Norinbergæ, Auguſtæ, &c. Latinus Hymnorū correctorum editus Lipſiæ, anno 78 per Chriſtoph Cornerū. Argentinenſis Latinus liber anno 67. in officina Theobaldi Berger.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De nomine LITANIARVM.

LItania precationem, & quidem seriam cordatamque significat. Vnde apud Homerum, οἱ λιτανέυοντες *eius, quem precantur, genua amplectuntur, in puluere ac sordibus volutantur.* Iliad. ω Iliad. χ

Posset igitur ista vox quamlibet Ecclesiæ precem, cùm ea numquam non seriò & ardenter instituatur, denotare: vsu tamen & consuetudine receptum est, vt vnum tantùm certum genus, in quo precandi ardor & contentio insit, exponat.

Est verò hoc genus Orationis bipartitum, ideoque & LITANIA *bipartita. Vna liturgica: sic enim in Græcorum liturgiis, ipsum Kyrie eleison inscribitur. Altera non liturgica, quæ extra sacrosanctum Missæ Officium. Hæc verò vel pro solo Kyrie accipitur, vt apud D. Benedictum; vel cum aliis etiam precibus adiunctis, & quidem vel in aliqua processione, vel sine processione. Et quidem olim, si ad peccatorum veniam impetrandam* LITANIA *instituebatur, exomologesis vocabatur; si ad aliud quippiam, simpliciter Litania, vti in Moguntino Cõcilio refert Rabanus.* D. Basil. D. Chryf. D. Iacob. Reg. c. 9. 12. 13. Can. 32. & 33.

CAPVT SECVNDVM.

De antiquitate LITANIARVM.

MVltò ante annos mille, ipsiusque Gregorij Magni tẽpore, viguerunt in Ecclesia Christiana LITANIÆ, *prout manifestè ostendunt, cùm*

[a] alij, tum qui ante eadem tempora floruerunt, [b] S. Auitus, [c] Sidonius Apollinaris, [d] Asclepiades Trallianus, [e] Cincianus, [f] Felix Rom. [g] Cyrillus Euthymianus, [h] Gennadius, [i] D. Basilius, Concilium primum [k] Aurelianense, & [l] Gerundense.

Vt autem ex hoc tam insigni antiquitatis testimonio elabatur [m] Kemnitius, fingit nullam in Litaniis illis Sanctorum appellationem fuisse. Sed tam mendaci cuniculo plura sacræ antiquitatis vestigia oppono. Primò enim, dum primum Francorum regem Christianum Clodoueum D. Remigius baptizaret, Litaniam fecit, Sanctosque nominauit, vti disertè narrat [n] Hincmarus. Illo igitur ipso sæculo, quo Gerundense & Aurelianense Concilia celebrata sunt, quoque plures antè citati scriptores floruerunt, iam in Litania Diuorum inuocatio erat.

Deinde narrat [o] VValfridus Strabo, post Eusebiani martyrologij epitomen, à D. Hieronymo Latinè factam, credi Sanctorum Litaniam in vsum assumptam. Tertiò [p] Hildebertus Turonensis, cùm Litanias retinendas hæretico cuidam ostenderet, ait vniuersalem Ecclesiam in Litaniis dicere consuesse: S. Maria, ora pro nobis. Est, quartò, sermo quidam apud [q] V. Bedam, in quo non solum asseritur, in Gregorianis Litaniis dictum fuisse; S. Petre, ora pro nobis: sed idem etiã de Mamertinis, quæ priores sunt, indicatur.

Et, vt à notioribus, ad ea quæ ignotiora sunt, progrediamur; constat in Litaniis ante annos 700. 800. 900. Sanctorum nomina inuocata fuisse. Ita enim habet Litania, quam è vetusto

Corbe-

[a] Ado in anno 196. & 412. Greg. Turon lib. 2. hist. c. 34. Niceph. lib. 14. cap. 3 & 46. Theodor. lector de Marciano Imp.
[b] Ser. de Rogat.
[c] lib. 7. ep. 1. ad S. Mamertum, & lib 5. epist. 14. ad Aprum.
[d] Act. 1. Synodi 5. Constant.
[e] lib. in ep. ad Petrũ.
[f] tom. 2. Conc. ep. ad Pet.
[g] lib. de S. Euthymio
[h] cap. 99. catal.
[i] epist. 63.
[k] an. 20.
[l] Can. 3.
[m] Par. 3. exam. fol. 218.
[n] Lib. de S. Remigio.
[o] de reb Eccl. c. 28.
[p] Epist. 43.
[q] Tom. 8. Ser. de maiore Litan. licet Bedæ esse non videatur.

Corbeiensis Monastery codice se descripsisse refert[a] *Kemnitius, quæ Imperatoris Arnulphi temporibus in vsu fuit. Ita*[b] *Caroli Magni Litania, quam à Tigurinis accepimus. Ita Litania, quæ in vetere ordine*[c] *Romano*, [d] *quem Amalarius, Albinus & alij citant.*

Et, ab his altiùs adhuc ascendendo, tempore Gregorij Magni, circa Domini annum 600. *fatetur*[e] *Kemnitius fuisse in Litaniis Sanctos inuocatos. Idque liquere etiam potest ex Turonensi Gregorio, qui à fideli quodam ea Angelorum nomina inuocata*[f] *scribit, quæ sacræ docerent Lectiones. Vocat autem sacras lectiones, vti & alibi, eas precationes, quæ in Ecclesia tum celebrabantur: quo modo*[g] *Sigebertus dixit posteà, S. Sigeberti regis nomen in Litaniarum codice fuisse. Ideoque apud vtrumque hunc Gregorium, & apud alios eiusdem sæculi*[h] *Isidorum*[i]*, Eustachium & alios, Litaniæ voce, Sanctorum deprecationem includi, planum est. Faciamus igitur ab hoc sæculo, quod ante annos* 1000. *fuit, gradum ad tempora superiora, & inueniemus id quod Kemnitius negabat. Cur enim sic ascendere non liceat? cùm causa nulla proferri possit, cur in Litania anno* 600. *Sancti iam insederint, anno verò* 500. 400. *& deinceps exularint. Quòd si hodierni etiam temporis Litanias cum iis, quæ ante annos* 1000. *fuerunt, Mamertinis conferamus; cetera omnia congruere inueniemus, tempus ante ascensionem Domini triduanum, processionem ab Ecclesijs ad Ecclesias, crucis vexillorum gestationem, cleri populique frequentiam. Cùm igitur alia*

a Par. 3. f. 2 9.
b Lib. prec. quem Florolanus Germ. cõuertit.
c In Bene. Eccles.
d Vide Hittorp. in præfat. de diuin. Offic.
e 3. p. f. 218.
f Lib. de gl Cõfess. c. 1.
g Lib. de S. Sigeb.
h Lib. 6. Orig.
i Lib. de S. Eutych. Constantinopol.

omnia, quæ in nostris hodie Litaniis videmus, in vetustioribus illis videamus, quidni de Diuorum inuocatione idem sentiamus?

Iam cur Litaniæ ad Sanctorum templa instituebantur, nisi vt illorum implorarentur auxiliũ? Sic enim à viris sanctissimis [a] *Gallo Aruerno,* [b] *Euthymio,* [c] *Hereberto, Ildephonso* [d]*, aliisque factum legimus, & verò clarissimè à Theodosio Imperatore optimo ac integerrimo. Ita enim de eo, cùm Eugenio Tyranno bellum inferre vellet, scribit* [e] *Rufinus*: Præparatur (*Theodosius*) ad bellum non tam armorum telorumque, quàm ieiuniorum orationumque subsidiis; nec tam excubiarum vigiliis, quàm obsecrationum pernoctatione munitus circumibat cum Sacerdotibus & populo omnia orationum loca: ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus; & auxilia sibi fida, Sanctorum intercessione poscebat.

a Gregor. Tur. lib. 4. c. 5.
b Eusta. in vita.
c To. 2. Surij.
d In capitular. Franc. l. 2. c. 85.
e Hist. lib. 2. cap. 33.

CAPVT TERTIVM.

De Auctore LITANIARVM.

DE Litaniæ, vt Dei Sanctorumque precatio est, auctore, tria hæretici nostri mendacia scripserunt. Primum est Kemnitij, Inuocationis Sanctorum auctorem esse Gregorium Magnum. Sed voluit Kemnitius Philippicum Augustanæ Apologiæ mendacium imitari, quod à tot Catholicis, toties, tam apertè iam confutatum est, & quidem vetustioribus Gregorio scriptoribus 24. à doctissimo quodam non ita pridem allatis. Et

f. 217. 218 par. 3. & Peucer. lib. 48. chron.

Lib. Iud. Concord. mend. 51.

sanè

sanè cùm plerique omnia Gregorij facta diligentissimè notarint, adeò vt paucula etiam verbula, canoni ab eo inserta non omiserint, quomodo tantam ab eo rem inuectam siluissent?

Alterum mendacium eiusdem, apud Græcos, eius, qua de agimus, inuocationis, hæreticum Petrum Gnapheum auctorem fuisse, circa Domini annum 470. Sed hoc à Patribus illis, qui Gnapheo vetustiores sunt, & Sanctos in publico Ecclesiæ cœtu implorant, apertè confutatur. Interim tamen eo ipso fatetur Kemnitius peruetustum in Litania esse Sanctorum cultum, vtpote quem ante annos 1119. agnoscit.

Tertium Nigrini & aliorum, qui, diu post Gregorium, id ab Honorio primò inuentum aiunt. Verùm hisce ipsum, qui eos damnat, Kemnitium, opponere satis fuerit.

CAPVT QVARTVM.

De vtilitate LITANIARVM.

SVmmam esse Litaniarum vtilitatem, ex capitibus quatuor intelligi potest. Primò, ex eorum, quæ ad orationem ipsam concurrunt, intuitu. Quorum primum est, quis oretur. Is verò in Litaniis est solus Deus, tamquam summus & verus gratiarum omnium auctor & largitor. Deinde Sancti, tamquam Oratores, qui nobiscum Deo Opt. Max. nostro suoque Domino pro nobis supplicent. Alterum est, quinam orent. Ij nostris in Litaniis sunt homines & Angeli, miseri & beati, Ecclesia militans & triumphans. Tertium, quid

oretur. Id in Litanijs varium est. Petuntur enim omnis generis bona diuina & humana; spiritualia, corporalia; publica, priuata. Quartum, pro quibus oretur. Hic igitur pro viuis & mortuis oratur, pro Ecclesiasticis & sæcularibus, pro Principibus & subditis, pro sanis & ægris, pro præsentibus & absentibus, amicis & inimicis. Quintum est, quonam modo oretur. Varij, qui ad impetrandum valere possint, in Litanijs modi adhibentur. Oratur Deus vt Deus absolutè, & vt in personis distinctus: idque vel singulas singillatim personas compellando, vel simul omnes; ipsam tamen personarum distinctionem, & essentiæ vnitatem significando. Oratur item Deus mediatè & immediatè.

2 2 quæst. 93. a. 4. *Oratur ita, vt, quemadmodum D. Thomas iam olim notauit, apertè significetur summum à nobis cultum Deo adhiberi; latriæ scilicet: Sanctis verò nequaquam, sed longè inferiorem, qui dulia dicitur. Denique, ita in Litanijs oratur, vt ex omnibus Ecclesiæ precibus optima quæque delibata, &*

1. Timoth. 2. *vno veluti fasce deuincta, hic habeantur: & vt omnes à D. Paulo traditæ orationes, vel orationis conditiones, & quidem secundùm quamlibet quorumlibet bonorum interpretum expositionem, in*

Vide Cabasilam c. 13. exposi. Litur. *Litanijs cernantur: vt iam de ordine, qui à misericordiæ postulatione incipit, taceam.*

Alterum vtilitatis caput, è maiorum & minorum comparatione duci potest. Si enim vtile est,

2. Cor. 1. *Deum per nos solos orare; quanto magis quando etiam per alios? Si Deo honorem maximum deferimus, quando, vt immensam ipsius maiestatem venerari nos significemus, eum per Sanctorum*

aliquem

aliquem alloquimur; quantò magis, quando per tot tantosque deprecatores? Si demissionis, quam coram Deo summam præ nobis ferre debemus, indicium maximum est, nos nobis ipsis indignos videri, qui eius maiestatem soli & quasi familiariter conueniamus; quantò maius humilitatis argumentum fuerit, dum tot ac tantos nobis adiungimus, qui & ipsi supplicabundi sacrum illius numen propitient? Poterit, qui volet, eodem in aliis modo ratiocinari. Luc. 7.

Tertium vtilitatis caput, ex tam diuturno & tam frequente Litaniarum in Ecclesia Catholica vsu colligi potest. Si enim fructum ex iis Ecclesia nullum vel exiguum perciperet, nequaquam eas tanto hactenus studio, neque toties celebrasset. Et verò Græcam Ecclesiam, suo etiam modo, cum Sanctorum inuocatione, Litanias obire, cùm ex aliis, tum ex anniuersario quodam ritu, qui iam à primis fidei Christianæ doctoribus, apud Batauos, ad hæc vsq. tempora hæsit, coniici potest. Vltraiecti enim, Rogationum diebus, Litania non Latinè tantùm, sed Græcè etiam plateatim cantata est. Lindanus par. 2. Apol. c. 54.

Quartum caput est ab effectis. Litaniis *enim D. Basilius clausam obseratamque Ecclesiam, quam Valentis Imperatoris concessu Ariani deposcebant, sine vllis aut vectibus aut clauibus aperuit, magnoque Catholicorum applausu, & insigni miraculo, reseruit.* Litaniis *Theodosius Imperator, dum habitu priuato, vnà cum clero & plebe vniuersa, Deum oraret, imbribus perpetuis & densissimis finem imposuit; ita vt summam rei frumentariæ inopiam* ingens frugum copia & S. Amphiloch. lib. de S. Basil. Zonaras tom. 3. Ann. Nicephor. lib. 14. c. 3.

vbertas cõsequeretur. Litaniis *Imperator*[a] *Marcianus, iram diuinam, dum ad eas religiosissimè decernendas Anatolium hortatus est, placauit.* Litaniis[b] *Proclus Constantinopolitanus, hymno trisagio cælitus accepto, Constantinopolim à funestissimis terræ fragoribus, propter quos extra vrbem in campo ipsemet Imperator ciuitasque tota morabatur, liberauit.* Litaniis *D.*[c] *Mamertus horribiles terrores à Viennensi sua ciuitate depulit, terræ motus grauissimos, ignes cælitus delapsos, immanium in vrbem ferarum irruptiones, aliaq. pericula quàm plurima.* Litaniis *ad S. Iuliani Martyris Basilicam per stadia 360 institutis, egit S.*[d] *Gallus diuinæ bonitati gratias, ob luem illam coërcitam, quæ Arelatensem prouinciam totam depopulabatur.* Litaniis[e] *Pelagius ante Gregorium Pontificem Rom. vnà cum Narsete, populoque Romano vniuerso, intenta diuini furoris flagella remouere studuit.* Litaniis[f] *Gregorius Magnus, iterùm iterumque virulentissimam aëris contagionem, qua quotidianis cadaueribus Roma complebatur, omnesque ciuium domus exhauriebantur, auertit.* Litaniis,[g] *eiusdem Gregorij hortatu, formidabile quoddam dæmonis quasi cornuti spectrum, quod certo cuidam loco ita infestum erat, vt in eo commorari nullus posset, abactum tandem & expulsum est.* Litaniis[h] *S. Augustinus, eiusque socij, dum illas, pro sua, eorumq. propter quos & ad quos in Angliam venerant, æterna salute, identidem concinerent, diuinam misericordiam ita conciliarunt, vt breuissimo tempore idola passim comminuerentur, & Christi*

Iesu

a Theodorus lector, & ex eo Kem. pa. 3. fol. 117.
b Synod. 5. Constãtinop. Act. 1. Niceph. lib 14. cap. 46 Euag. lib. 1. cap. 17. Zonar. to. 3 Glycas 4. par. An.
c Ado Turon. Auitus.
d Turon l. 4 hist. c. 5.
e In decretis Pelagij, tom. 2. Conc.
f Turo. lib. 10. hist. Sigonius l. 1. de regno Ital. Paulus Diac. l. 3. cap. 11.
g Io. Diac. l. 4. vitæ c. 93. Simile Moguntiæ an. 858. Sigeb.
h V. Beda l. 1. hist. c. 25.

Iesu fides longè ac latè propagaretur. Litaniis *S. Euthymius, in summa qua deflagrabant omnia siccitate, copiosissimos à Deo imbres felicissimè impetrauit*. Litaniis *Constantinopolitana ciuitas, suo cum Patriarcha Eutychio, pestem dirissimam, qua hominum myriades non paucæ delebantur, compescuit*. Litaniis *quadam ex parte pronuntiatis, potio, quæ sitibundis ac fessis messoribus perexigua erat, tanta & tam affluens extitit, vt è vasculo, quasi è petra, nouum Moysis miraculum scaturire videretur*. Litaniis, *non ita diu pòst, Gregorius alter, vir sanctissimus, & de Germania, cùm ad eam prædicandi fidei Christianæ caussa S. Bonifacium misisset, optimè meritus, Tiberis inundationem, qua, mortalibus pluribus submersis, ipsa pæne Romana tecta natabant, in alueum pristinum reuocauit*.

Cyrillus eius discipul. lib. de ipso.

Eustath. Presb. l. de Eutych.

Turon. l. 1. Conf. c. 1.

Tomo 3. Conc. in eius actis.

Platina in eodem.

Litaniis *S. Herebertus pestem ac famem, quæ Vbios vehementissimè affligebant, ita sedauit, vt egredienti è S. Pantaleonis candidissima columba latissimo circumuolatu applauderet ac gratularetur*. Litaniis *Anglorum Regis soror, virgo integerrima Tetta, virgini sorori defunctæ, & ob nonnullas peccatorum labeculas pœnas adhuc luenti, veniam obtinuit; ita quidem vt ipsius tumuli terra, quæ subsederat, rursum assurgeret, hiatumque inanem repleret*. Litaniis *S. Kunigundis, cùm Angelos, Apostolos, ceteraque cælorum mentes suum in auxilium vocasset, placidissimè vitam cum morte, vel mortem potiùs cum vita commutauit*. Litaniis *quas quotidie precari solita erat, præsentissima in itineribus latronum*

Rupert. Tuitiensis l. de S. Hereb.

Rudolph. Radamdisc. l. de Char.

Tom. 2. Sur.

Steph. Iul. lib. de ipsa.

peri-

pericula, impudentissimamque militum quorumdam petulantiam illæsa penitus S. Coleta euasit. Litaniis, *nostra & Patrum memoria felicissimi* [a] *dæmonum ex humanis corporibus exorcismi, diuino beneficio, perfecti sunt. Imò verò* Litaniarum [b] *libello, quem sua ipse manu Iaponum Apostolus Xauerius descripserat, quemque in munitissima viri cuiusdam Principis Hexandoni arce Christianis nouis abiens reliquerat, ægrorum hominum corporibus impositio, complures, & in iis Hexandonus iam desperatus, sanati fuerunt. Tantùm Catholicis opera danda, vt in tam salutari, tamque vtili comprecatione vera deuotio, & quod Litaniæ vox ipsa requirit, studium adhibeatur.*

a Eisengr. de exorcis. Oeting. Gerasf. Tornac. l. de 4. energ. Iacob Rabus libr. cõtra Marpach. c. 6.

b Lib. 3. epist. de reb Iapon. f. 320.

CAPVT QVINTVM.

De correctoribus vel corruptoribus LITANIARVM.

CVm in Ecclesia Christiana tam sint LITANIÆ *antiquæ, tam vbique in orbe Christiano solennes, tanto clarissimorum sanctissimorumq; virorum vsu approbatæ, tot ac tantis à Deo Opt. Max. beneficiis nobilitatæ, quid sibi nunc nouelli earum correctores volunt? Publicos & approbatos ritus corrigere vel antiquare, hominum eorum est, qui auctoritate publica excellunt. Quæ verò in Luthero auctoritas publica fuit, vt pro libito publicas Ecclesiæ preces mutilaret? Concionatur, Catholicos Christum non orare;* Litanias *nostras, in quibus Sanctos inuocamus, esse oratio-*

nem

nem Gentilium, Turcarum, Iudæorum. Quem ergo voces hæ alloquuntur: Kyrie eleiſon, Fili redemptor, Agnus Dei? *Quem accuſatiuum verba hæc poſtulant*: S. Michaël, ora pro nobis? *Nónne Deum? nónne Ieſum? Hoccine dicant Gentiles, Turcæ, Iudæi? Atque hoc vnum, tria etiam conſequentia mendacia refellit. Caluinus*, In ſuis, *ait*, omnibus Litaniis, Hymnis & Proſis, vbi Sanctis mortuis nihil non honoris defertur, nulla Chriſti mentio. *Kemnitius*: Pontificij in publicis Eccleſiæ ſuæ precibus inuocationi Sanctorum primarium locũ tribuunt. *Et alibi adhuc craſſiùs & impudentiùs*: In Litania, *inquit*, ne vno quidem verbulo, mẽtio fit interceſſionis Chriſti. *Octauum mendacium eſt Centuriatorum, qui* à nobis Sãctos λατρευτικῶς *adorari aiunt. At Deo dicimus*; Miſerere nobis: *Sanctis*; Orate pro nobis. *Hoccine idololatria? Nũquid Deo dicere liceat*; Sancte Deus, ora pro nobis?

lib. 3. c. 20. par. 21. in fine.

par. 3. exa. 1. 236.

par. 2. in præfat.

Cent. 5. pag. 613.

Sed iam ad præclaram ipſorum correctionem veniamus, qua ſuſtulerunt, vt alia nonnulla omittam, iſta ſex. Primò, Trinitatis inuocationem: Secundò, Sanctorum. Tertiò, precem pro ſummo Pontifice. Quartò, precem pro vita defunctis. Quintò, precem pro pœnitentia vera impetranda. Sextò, Collectas.

CAPVT SEXTVM.

De ſublata per hæreticos TRINITATIS inuocatione.

TRibus modis immediatè Deus oratur. Primò, ſub eſſentiæ diuinæ vel eſſentialis ali-

Halenſis. 4. p. q. 92. m. 2. a. 3.

cuius

cuius attributi nomine: Secundò, sub personæ vel personalis alicuius proprietatis ratione: Tertiò, vtroque modo simul. Ab hisce tribus modis, ad eximium quēdam Deo cultum adhibendum, Litaniam Ecclesia orditur. Sed tertium Lutherani deraserunt: qui sanctissimis hisce verbis comprehenditur; Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis. *Quæro causam. Peto, quid in prece illa vitij est? Cur ita corrigi Litania debuit, vt sacrosancta hæc vnius & indiuiduæ Trinitatis inuocatio tolleretur? Fuit hæc à quodam Lutheranis omnibus non ita pridem posita quæstio; sed cùm respondere non possent, Tubingani Iesuitas maledictis figere cœperunt. Modestiùs quidam Caluinista. Cùm enim sibi quod responderet, nihil esse vidit; se nescire dixit, an hic è Litaniis versus exemptus sit, & à quo. Vix tamen credibile est, tantum Magistrum in Israel ignorasse, quid in Lutheranorum templis, ante vel post conciones, fieri soleat; quid Lutheri precum enchiridion habeat; quid tot Lutherani, qui vbique volitant, libelli. Ideoque tam frigida excusatio, aperta criminis confessio est.*

Iudic. Cōcor. lib. cōtra iud. fo. 125.

V Vitakerus l. contra Campian. fol. 442.

An. 1543. editum.

Causa verò mendosissimæ huius emendationis alia nulla est, quàm quòd Satanas iam tum per Lutherum, sicut & aliàs, semina quædam horrendarum contra SS. Trinitatem hæresēon spargebat; quas ipsius discipuli ab Ario, Sabellio, aliisque damnatis hæresiarchis acceptas, strenuè nunc, quaqua possunt, disseminant. Non enim breuitas caussa esse potuit, cùm non Litaniarum compendium, sed correctionem ille profiteretur. Et verò, si

compen-

compendium instituisset, adeò tamen hæc precula breuis est, vt cetera ferè omnia potiùs, quàm ea, tollenda fuissent: certè non quædam sæpiùs repetenda, neque vlla prorsùs adiungenda. Dicerent, suis quibusdam metaphoris, Arius, Sabellius, & qui superiore anno repentina morte noctu sublatus est, Blandrata: Pater de cælis, Fili Redemptor, &c. *Sed iis omnibus sudes (vt aiunt) in oculo est*, S. Trinitas, vnus Deus.

16. Maij Albæ Iuliæ.

Scripsit quidem Lutherus vocem hanc, Trinitas, *frigidam esse*; *sed hoc iam Arianizare est, ipso etiam Caluino iudice, qui odium huius similiumque vocum in Serueto, Vbiquetariorum parente, aliisque (Lutherum intelligere videtur) vehementissimè accusat. Et meritò, cùm Trinitate Græci & Latini hactenus omnes libentissimè vsi sint, totque de ea volumina inscripserint.*

In maiore Postilla Dom. Trinit. Lib. 1. c. 13. par. 3. §. 22.

Neque hæc modò vox, sed huius etiam vocis cum Vnus Deus *coniunctio, veteribus Patribus vsitata fuit, vti videre est, cùm apud alios, tum verò apud* [a] *D. Augustinum; cuius hæc precatio, huic nostræ, quã Lutherus corrigit, simillima est:* [b] Domine Deus, vnus Deus Trinitas, quęcumque dixi in his libris de tuo, agnoscant & tui; si qua de meo, & tu ignosce & tui, Amen. *Et in* [c] *antiquitate tota creberrimæ sunt huiuscemodi S. Trinitatis inuocationes.*

Areopag. cap. 2. de di. nom. Auctor lib. de fide ad Petrũ. cap. 5. & 7.

[a] Epist. 57. lib. 1. de Trin. c. 2. [b] c. vlt. lib. vlt. de Trinit. [c] Areo. initio l. de mystic. l Theol. & cap. 3. de Diu. nom. S. Ignatius apud Socrat. lib. 6. cap. 8. Nazianzen. 3. orat. pro pace.

CAPVT SEPTIMVM.

De sublata SANCTORVM inuocatione.

QVàm benè Diuorum è Litania interpellationem sustulerint Lutherani, docet hæc è

Patrum

Patrum monumentis contexta Litaniola.

S. Maria, ora pro nobis. *S. Iac. in Liturg. S. Athan. in Euang. de S. Deipara, Nazianzenus in Carmine de Christo patiente, & apud eumdem S. Iustin. Orat. in Cypr. S. Ephrem Orat. ad Mariam, Chrys. in Liturg. Orat. 8. apud Beurer. S. Method. Orat. ob Hypop. Bas. Seleuc. Orat. in Annunt. D. August. Serm. 2. de Annuntiat. vbi* Ora pro deuoto femineo sexu. *Fulg. Serm. de laudib. Mariæ. Synod. sept. Act. 6. Nic. secunda, Act. 4. Canon vniuersalis Æthiopum.*

S. Michaël, S. Gabriel, Omnes SS. Angeli, orate pro nobis. *S. Bas. in Psal. 33. Hil. in Psal. 129. Ambros. l. de viduis. Vict. Vtic. l. 3.*

S. Iob, o. p. n. *Orig. lib. 2. comment. in Iob.*

S. Ioannes Baptista, o. p. n. *Theod. Imp. apud Nic. lib. 12. cap. 39. Theodoret. lib. 5. hist. cap. 24. Sozomen. lib. 7. cap. 24. S. Basil. in Liturgia S. Iac.*

Omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ, orate pro n. *Orig. super Num cap. 21. Cyrill. catech. 5. myst. Hilar. in Psal. 124. Victor lib. 3. Paulinus natali 2. 3. 6. 8. S. Leo Serm. de Epiphan.*

S. Petre, o. p. n. S. Paule. *Chrys. Hom. de Natali Petri & Pauli, Orat. in S. Pet. & Paul. Hom. 22. in epist. ad Rom. Hom. 66. ad populum, Hom. post reditum, S. August. Ser. de S. Paulo. Ser. 4. de S. Pet. & epist. 42. S. Amb. l. 1. de vid. S. Leo Ser. 1. de SS. Petro & Paulo.*

Omnes sancti Apostoli & Discipuli Domini, orate pro nobis *Chrysost. in Liturg. Orat. 8. & Homil. 66. ad pop. Hilar. in Psal. 124. Gregor. Nyss. Orat. in Theod.*

S. Ste-

S. Stephane, o. p. n. *D. Augusti. Serm. de ipso, & l. 22. de Ciuit. cap. 8. Nicetas narrat. de inuent. reliq. Auitus Presb. epist. ad Balc. Lucian. Presb. epist. ad Eccles.*

S. Dionysi Areopagita, o. p. n. *Michaël Syngelus lib. de S. Dionys.*

S. Ignati, o. p. n. *S. Hero, eius discipulus & successor, in precat. post epist. S. Ignatij, apud Cæsarem Baronium in Annalibus.*

S. Laurenti, ora pro nobis. *S. Ambros. orat. de ipso, Amb. orat. in fratrem, & l. de exhortatione ad Virgines, vbi & de alio Laurentio. S. Augusti. Ser. de ipso. Prudent. in Hymnis.*

SS. Geruasi & Protasi, o. p. n. *Ambr. lib. 10. epist. 85.*

SS. Nazari & Celse, orate pro nobis. *Idem Ambr. Serm. de ipsis, Maximus Serm. de iisdem, Paulinus in fine Panegyrici.*

SS. Cosma & Damiane, orate pro nobis. *Georg. Presb. l. de Theodosio Sycæo.*

S. Theodore, ora pro nobis. *S. Greg. Nyss. orat. in ipsum, Nect. orat. 11. Sanctorum Patrum.*

S. Flauiane, ora pro nobis. *Concil. Chalced. Act. 11.*

S. Proteri, ora pro nobis. *Epist. Episc. ad Leonem Imp. post Concil. Chalced.*

S. Cypriane, ora pro nobis. *D. Aug. lib. 5. contra Donatistas cap. 1.*

S. Babyla, o. p. n. *Chrysostomus oratione in ipsum.*

S. Mama, o. p. n. *D. Basilius oratione in Mamantem.*

SS. Iuuentine & Maxime, orate pro nobis. *D. Chryſoſtomus orat. in ipſos, Niceph. lib. 10. cap. 12.*

SS. Caſſiane & Hippolyte, orate pro nobis. *Prudentius in Hymnis.*

Omnes ſancti Innocentes, orate pro nobis. *Cyprianus Ser. de ſtella & Magis.*

Omnes ſancti Martyres, orate pro nobis. *Baſ. orat. in 40. Martt. Euſeb. lib. 13. Præpar. c. 7. Theodoret. lib. 8. ad Græcos, & l. relig. hiſt. cap. 28. Cyrill. Hier. Myſt. 5. Cyrill. Alex. lib. 6. cõtra Iul.*

S. Gregori, o. p. n. *Ioan. Diac. præfat. in vitam.*

S. Athanaſi, o. p. n. *Nazianz. orat. in ipſum.*

S. Baſili, ora pro nobis. *Idem Nazian. orat. in ipſum.*

S. Gregori Nazianzene, ora pro nobis. *Georgius Presb. oratione in ipſum.*

S. Nicolae, ora pro nobis. *Chryſoſtomus in Liturg. & Ioan. Diac. præfat. in eius vitam.*

S. Ioan. Chryſoſtome, ora pro nobis. *Theodoſius Iunior apud Theodoretũ, lib. 5. hiſt. cap. 36.*

S. Epiphani, ora pro nobis. *Sabinus epiſt. ad Polybium.*

S. Simeon, ora pro nobis. *In Theodoreti hiſtoria religioſa, cap. 26. Euagr. lib. 1. cap. 13.*

S. Hilarion, ora pro nobis. *apud Hieron. in vita.*

S. Antoni, ora pro nobis. *Nicetas oratione in ipſum.*

S. Malachia, ora pro nobis. *D. Bern. epiſt. ad fratres Hiberniæ.*

S. Martine, ora pro nobis. *Seuerus Sulp. ad*

Aurel.

Aurel.& epist.ad Bassulam, Fortunatu præf. in ipsius gesta, & l.2.3.& 4. Greg.in hist. Francorum passim,& l.De glor.Conf.

Omnes sancti Confessores, Monachi & Eremitæ, orate pro nobis. *Vide Theodoret. in relig.hist. singulis ferè capitibus vsq. ad 21. S.Tarasi.epist. ad Ant. & Alex. Rampertus Brix. in S. Philastrium. Theoph. Presbyt.in S. Niceph. Constant.*

S. Agnes, ora pro nobis. *Maximus Sermone de ipsa, Prudent.in Hymnis.*

S.Euphemia, ora pro nobis. *Constant. Tyus in narrat.de inuent. Concil Chalced.*

S.Maria Ægyptiaca, ora pro nobis. *Zozymus apud Paulum Archid. Neap.*

S.Paula, ora pro nobis. *Hier.in epitaphio.*

S.Blęsilla, ora pro nobis. *Idem Hier.de obitu Blæsillæ.*

Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, orate pro nobis. *S. Ambrosius exhortat.ad Virgines.*

OMNES SANCTI ET SANCTÆ DEI, intercedite pro nobis. *Orig.super Nu.c.31.Basil.epist.ad Iulian.D.Hier.l. contra Vigil.& l.4. in Ezech.c.1.Chrysost. Hom.5.& 27.in Matth. Hom.1.in primam Thes.Hom.42.S.Amb.orat. de non tradendis Basilicis.V.Beda in cap.7. Luc. & lib.3.hist.cap.12. Damasc. lib.4. de fide c.16. Primas. lib.2.in Apoc.Honorius August. Ser.de Sanctis.Berengosus Serm.1. Dedicationis. Theofrid.Ser.2.de SS.vener.S.Bern.Ser.de vigil.Petri & Pauli,4.Serm.de S.Vict.Ser.5.in festo Omniũ Sanctorum,& Serm.66.in Cantica; vbi veteribus*

hæreticis, quos Kemnitius parentes agnoſcit, vir ſanctiſſimus ait: Videte detractores, videte canes. Irrident nos, quia baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorum ſuffragia poſtulamus.

Par. 3. exã. fol. vlt.

CAPVT OCTAVVM.

De ſublata oratione pro ſummo Pontifice.

VBi Litania, vt Deus Eccleſiam ſuam ſanctam regere & cõſeruare dignetur, vniuerſè rogauit, adiungit pro ipſius Eccleſiæ Patribus orationes: & quidem primò pro ipſo capite, primi ſcilicet ac ſummi capitis Vicario, hanc; Vt Domnum Apoſtolicũ & omnes Eccleſiaſticos ordines, *&c.* conſeruare digneris, Te rogamus audi nos. *Quid hîc peccati?* Obſecro (*ait D. Paulus*) primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. *Non eſt Pontifex Romanus, homo? Marloratus hunc in locum docet, etiam pro Turcis & Barbaris orandum. Eſtne his Pontifex deterior? Certè, is vel bonus eſt, vel malus: ſi bonus, ne à bonitate excideret, ſolito precum ſubſidio ſpoliandus non fuit; ſi malus, etiam oratione, vt conuerteretur, iuuandus. Fuit hæc iam pridem in Eccleſia, quæ pro S. Petro tam diligenter orauit, conſuetudo, vt in publicis precibus, Rom. Pontificis mentio fieret, teſte ante an.* 800. *Alcuino*, & *ante* 1100. *Concilio Vaſenſi*; *adeò vt hoc etiam in liturgia ſua Græci facitarint. Quin, & in ea,*

1. Tim. 2.

Act. 12.

Lib. de Of. cant. 4. aliàs 6 Chryſ. lit.

quam

quam è vetustis Corbeiensis Collegij monumentis promit Kemnitius, Litania, primo statim loco dicitur: Stephano summo Pontifici salus & vita. Saluator mundi, tu illum adiuua.

Neque erat cur Pontificem Romanum Dominum Apostolicum *appellare formidarent. Nam etsi Domini vox ita aliquando grauis fuit, vt eam etiam*[a] *Imperatores refugerent: ipsa tamen dominādi libidine, quæ vt ab aliis, sic à Pontificibus*[b] *remota esse debet; verè possunt ipsi Pontifices Domini appellari, licet hunc in iis titulum indignissimè olim tulerit*[c] *Mahometes. Sed apud nos pluris vnus Augustinus, quàm Turcicus iste Pseudopropheta valere debet: sic enim ille cum toto Mileuitano concilio ad Roman. Pontificem scribit,*[d] Domino Beatissimo, meritóque Venerabili, & in Christo Honorando Papæ Innocentio, *&c. Et posteà idem Augustinus*[e]; Domino Beatissimo meritoq. Honorandissimo, *&c.* Apostolicus *porrò vocatur, quia Principis Apostolorum D. Petri successor, eam sedem & Ecclesiam obtinet, quam passim*[f] *Patres Apostolicam vocant.*

a Sueto. in Octauio c. 53. & in Tiber. c. 28 Oros. lib. 6. c. 21. Tertul. in Apol. Lāpridius in Alexan. Seuero.
b Mat. 20. Mar. 10. Luc. 22. 1. Pet. 5. Aug. 19. de Ciuit. c. 4. D. Bern. ad Eugen. l. 2. c. 6.
c Vide Cusanum in cribratione Alcorani l. 2.
d Epist. 92.
e Epist. 95.
f Constātinop. Syno. Act. 4. Chalcedo. Epist. ad Leon. Synod. 7. Act. 2. Iren. l. 2. c. 3.

CAPVT NONVM.

De sublata oratione pro fidelibus Defunctis.

SAncta, *inquit canonicus*[g] *Machabæorum liber (talis enim à D.*[h] *Augustino aliisque*[i] *Patribus habetur)* & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. *Neque,*

g l. 2. c. 12.
h lib. 18. de ciuit. Dei, c. 36. & l. 2 cōtra epist Gaudentij cap. 23.
i Cypri. de exhort. Mart. c. 11 & l. 1. ep. 3 S. Gregor. Nazian.

Orat. de Machab. S. Amb. l. 2. de Iob, cap. 10. 11. 12. Isidor. lib. 6. etym. cap. 1.

vt ibidem dicitur, vllo modo id vanum aut superfluum est. *Sed Lutherani Aristarchi, cùm SS. Trinitati, Angelis, totique cælestium concilio, & Ecclesiæ hac in terra depugnantis capiti, tot ac tantas in Litania iniurias intulissent, mortuis in cælum nondum receptis nullo modo parcendum existimarunt. Ideoque contra Scripturæ auctoritatem, veterum omnium vsum & sententiam, omnem pro iis orationem sustulerunt.* Non sunt, Lib. de cura pro mort. c. 4. *ait D. Augustinus*, prætermittendæ supplicationes pro spiritibus defunctorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; vt quibus ad ista desunt parentes aut filij, aut quicumque cognati vel amici, ab vna eis exhibeantur matre communi.

CAPVT DECIMVM.

De sublata oratione pro vera pœnitentia.

Deberent Lutherani meritò orationem retinuisse, Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rogamus, audi nos. *Eam tamen è Litania eiecerunt. Veram enim è Sacramentorum numero pœnitentiam iam remouerant, & quam hodie verbotenus pœnitentiam laudant; ea non vera, sed falsa & inanis pœnitentia est: adeò vt ipsum etiam pœnitentiæ nomen perhorrescant, idque in resipiscentiam libentiùs commutent. Sed fortasse, quia sola fide omnes iusti, pœni-*

a Luth. in ep. ad Vicarium sui Ordinis, & Sermon. de pœn. & in resolutionib. suarũ propositi. Beza in annot. ad cap. 3. Matth.

tentia

tentia non egent. Non sic Carolus Magnus, qui sua in Litania fontem lacrymarum potebat. Non sic Prophetæ qui toties clamabant, Conuerte nos Deus. Psal. 79. & 84. Ierem. 31. Thren. 5.

CAPVT VNDECIMVM.

De sublatis Collectis.

COllectarum mentionem hîc nullam facerem, cùm Litaniarum finis in trina illa Agni obtestatione & misericordiæ obsecratione fieri rectè posit, nisi duo notanda forent. Vnum, Collectas aliò translatas, istos eâdem fide correxisse, qua de Litania iam dictum. Alterum, ex iis Collectis, quæ Litaniam nostram vsitato iam more concludunt, apertè Caluini & Kemnitij mendacia, quæ antè adduxi, arguì. Harum enim clausula est, Per Christum Dominum nostrum; *vt aduocatum illum vnum, mediatorem & interessorem verum ac primarium, per quem nos & Sancti omnes omnia petunt, significemus, digitoque quasi intento monstremus, vt iam olim monuit Alcuinus.* Vide Lipsicam Litan. Lutherum tom. 7. de correct. Missæ. Tubing. lib. contra Iudic. Cõcord. fol. 417. Lib. de Offic. fol. 86.

Nonnulla præterea in Litaniis nostris corrigere voluerũt Nouatores isti, de quibus consule P. Nicolaum Serarium fusè omnia prosequentem.

FINIS.

INDEX

CAPITVM AC RERVM PRÆCIPVARVM

Quæ THESAVRO *hoc in septem partes distributo continentur.*

PRÆFATIO.

De Meditatione & eius partibus.
Adiumenta quædã & documenta ad rectè meditandum.
De modis orandi.
De modo quo Sancti debent honorari.
De requisitis ad Sanctorum cultum.

PARS PRIMA DE DEO.

CAPVT PRIMVM de sanctissima Trinitate. 1
Exercitium de cultu sanctissimæ Trinitatis. 1
Exercitium alterum de SS. Trinitate, & Deo Patre. 11
Oratio ad SS. Trinitatem. 15
Oratio Dominica paraphrasticè explicata. 16
Exercitium de Deo Filio. 19
Exercitium de Spiritu sancto. 25
Exercitium aliud de Spiritu sancto. 29
Oratio ad Spiritum sanctum ex D. Augustino. 32
Oratio ad Spiritum sanctum ex Scripturis. 33
Hymnus ad Spiritum sanctum. 33
Oratio ad Patrem. 34
Oratio ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. 35
Oratio ad inflammandum animum in Deum. 36
Hymnus ad SS. Trinitatem. 39
Corolla seu Rosarium SS. Trinitatis. 41
CAPVT SECVNDVM de Verbo incarnato. 47
Exercitium de IESV Christo. 47

De variis titulis ac nominibus IESV Christi. 52
De nomine IESV. 56
Litaniæ IESV CHRISTI Domini nostri. 68
Canticum de nomine IESV. 72
Petitiones deuotæ ad Dominum IESVM. 75
Oratio D. Bernardi ad IESVM. 76
Preces Horariæ de æterna Sapientia. 79
CAPVT TERTIVM de Venerabili Eucharistiæ Sacramento. 103
Elogia Patrum de SS. Sacramento. 104
Orationes tres ante sacram communionem. 111
Considerationes perutiles ante S. communionem. 115
Aspirationes famem SS. Sacramenti excitantes. 118
Orationes duæ post sacram communionem. 121
Rythmus B. Thomæ. 123
Oratio sancti Bonauenturæ. 124
Oratio qua petitur vnio animæ cum Deo. 125
Oratio ad B. Virginem post S. communionem. 126
Oratio de S. communione ex concilio Trident. 127
CAPVT QVARTVM de Passione Domini. 127
Vita & Passio Christi ex Scripturis collecta. 129
Rythmica oratio D. Bernardi ad membra Christi patientis. 134
Oratio de Christi humilitate. 135
Oratio de Christi mansuetudine. 137
Oratio de Christi patientia. 140
Oratio de Christi obedientia. 142
Oratio de Christi benignitate. 144
Oratio de Christi charitate. 147
Oratio de Christi liberalitate, & compassione. 149
Officium de Passione. 151
Hymnus de Passione Domini à B. Virgine edoctus. 169
CAPVT QVINTVM de diuinis beneficiis. 171
De beneficio creationis. 171
De beneficio gratificationis. 172
De beneficio iustificationis. 173
De beneficio dotationis. 174
De beneficio gubernationis. 175
De beneficio glorificationis. 175

Oratio qua pro beneficiis aguntur gratiæ. 176
Oratio qua homo se & sua offert Deo. 179
Oratio ad sanctam lætitiam à Deo petendam. 184
Oratio de laudibus Dei. 185
CAPVT SEXTVM, Septem Psalmi pœnitētiales. 189
Litaniæ Sanctorum. 197
Oratio ad impetrandum fidei donum. 206
Oratio ad petendam virtutem spei. 207
Oratio ad petendam confidentiam. 207
Oratio in qua petitur amor Dei. 209
Oratio qua excitatur animus ad Dei timorem. 212
Oratio ad sanctum mœrorem à Deo petendum. 217
Oratio ad pœnitentiæ spiritum petendum. 217
Oratio ad petendum contritionis donum. 218
Oratio præparatoria ad Sacramentalē confessionem. 219
Oratio ante confessionem. 221
Oratio post confessionem. 222
Oratio ad petendam à Deo virtutem prudentiæ. 222
Oratio ad mundi contemptum à Deo petendum. 222
Oratio ad silentij virtutem à Deo petendam. 224
Oratio ad petendum vitæ spiritualis studium. 225
Oratio ad petendum contemplationis donum. 225
Oratio ad maturitatis virtutem à Deo petendam. 226
Oratio ad iustitiæ virtutem petendam. 227
Oratio ad liberalitatis virtutem obtinendam. 228
Oratio ad fortitudinem à Deo impetrandam. 229
Oratio ad temperantiam obtinendam. 229
Oratio ad carnis castigationem obtinendam. 230
Oratio ad petendam humilitatem. 231
Oratio ad petendam virtutem concordiæ. 231
Oratio ad compassionis affectum petendum. 232
Oratio ad pacis virtutem obtinendam. 232
Oratio ad impetrandam patientiam. 233
Oratio ad petendam castitatem. 234
Oratio ad petendam veram libertatem. 235
Oratio qua petitur obedientia. 236
Oratio alia pro virtute obedientiæ. 237
Oratio ad petendam virtutem misericordiæ. 239
Oratio pro obtinendo spiritu paupertatis. 239

Oratio ad petendam virtutem manſuetudinis. 240
Oratio ad impetrandum zelum animarum. 241
Oratio ad confidentiæ donum impetrandum. 242
Oratio ad perſeuerantiæ donum obtinendum. 243
Oratio D. Thomæ ad varias virtutes obtinendas. 243

PARS SECVNDA
DE BEATA VIRGINE.

CAPVT PRIMVM, Exercitia ſpiritualia de myſteriis vitæ B. Virginis. 247
Exercitium de dotibus B. Virginis in genere. 247
Exercitium de conceptione B. Virginis. 249
Exercitium de natiuitate B. Virginis. 251
Exercitium de præſentatione B. Virginis. 252
Exercitium de Annuntiatione B. Virginis. 254
Exercitium de Viſitatione B. Virginis. 256
Exercitium de Purificatione B. Virginis. 258
Exercitium de Aſſumptione B. Virginis. 259
CAPVT SECVNDVM, Salutationes B. Virginis. 263
Salutationis Angelicæ explicatio paraphraſtica. 263
Salutatio B. Virginis ex B. Ephræm. 265
Salutatio B. Virginis ex Andrea Ieroſol. 268
Salutatio B. Virginis ex D. Epiphanio. 272
Salutatio B. Virginis ex Chryſippo. 274
Salutatio B. Virginis ex Methodio. 275
Salutatio ad ſingula B Virginis membra. 278
Modus piè recitandi roſarium. 282
CAPVT TERTIVM, Litaniæ & Orationes Patrũ. 285
Litaniæ Lauretanæ. 285
Litaniæ ex Scriptura ſacra. 287
Oratio D. Ephræm. 293
Oratio alia ex eodem. 296
Oratio Germani Conſtantinop. 298
CAPVT QVARTVM, Elogia B. Virginis varia. 301
Elogia B. Virginis à vita. 301
Elogia B Virginis à pulchritudine. 302
Elogia B. Virginis à SS. Trinitate. 304
Elogia B. Virginis à priuilegiis & virtutibus. 306
Elogia B. Virginis à gloria. 310

Elogia B. Virginis à nobis. 311
CAPVT QVINTVM, Hymni & pia carmina de B. Virgine. 317
Quem terra, pontus, æthera. 317
O gloriosa Domina. 317
Alma Redemptoris mater. 318
Aue Regina cælorum. 318
Regina cæli. 319
Salue Regina. 319
Eiusdem explicatio paraphrastica. 319
Aue maris stella. 321
Eiusdem explicatio paraphrastica. 322
Hymnus Iacobi Pontani de B. Virgine. 324
Veneratio B. Virginis per eumdem. 325
Epigramma Francisci Remondi. 326
Appellationes B. Virginis per I. Pontanum. 326
Hymnus Basilij Zanchij in B. Virginem. 326
Oratio D. Gregorij Nazian. in B. Virginem. 327
Exercitium ex Psalmis in honorem nominis MARIA. 329
Versus I. Pontani in nomen MARIA. 332
Oratio ad petendã constantiam in cultu B. Virginis. 333

PARS TERTIA
DE ANGELIS.

CAPVT PRIMVM de Angelis in genere. 335
Exercitium de splendore militiæ cælestis. 335
Exercitium de officio SS. Angelorum. 339
Hymnus ad SS. Angelos. 341
Exercitium de SS. Angelis in genere. 341
Psalmus ad SS. Angelos. 345
CAPVT SECVNDVM de 1. Hierarchia. 347
Exercitium de 1. Hierarchia ex D. Bern. 347
Exercitium de eadem B. Aloysij. 349
Exercitium de S. Michaële. 350
CAPVT TERTIVM de 2. Hierarchia. 355
Exercitium de 2. Hierarchia B. Bern. 355
Exercitium aliud ex B. Aloysio. 356
Exercitium de sancto Gabriele. 357
CAPVT QVARTVM de 3. Hierarchia. 361

Exercitium de 3. Hierarchia ex B. Bern. 362
Exercitium aliud ex B. Aloysio. 365
Exercitium de S. Raphaele & Angelo custode. 367
Hymnus ad Angelum custodem. 376

PARS QVARTA
DE SANCTIS.

Exercitium de sanctis Apostolis, & Innocentibus. 379
Hymnus ad sanctos Apostolos, & Innocentes. 382
Exercitium de SS. Martyribus. 385
Hymnus ad SS. Martyres. 387
Elenchus Sanctorum qui pro fide decertarunt, vel certantibus adfuerunt. 388
Oratio ad SS. Milites, D. Bernardi. 391
Oratio belli tempore. 392
Notæ historiales in Elenchum Sanctorum. 392
Exercitium de SS. Confessoribus, &c. 401
Hymnus ad SS. Confessores. 403
Elenchus Sanctorum qui gentes docuerunt. 404
Elenchus Sanctorum Belgij. 407
Oratio ad Sanctos pro provincia afflicta. 410
Oratio de SS. Anachoretis & Cœnobitis. 415
Hymnus ad SS. Religiosos, & Eremitas. 418
Exercitium de SS. Virginibus. 421
Hymnus ad SS. Virgines. 422
Exercitium de SS. Viduis. 425
Hymnus ad SS. Viduas. 429

PARS QVINTA
DE MISERIIS ET NOVISSIMIS.

CAPVT PRIMVM, Exercitia varia. 431
De miseriis hominis ex parte corporis. 431
De miseria ex parte animæ. 432
De effectibus peccati. 432
De punitione peccati. 433
De morte corporis. 434
De morte animæ peccatricis. 435
De morte animæ iustæ. 436
De signis iudicium præcedentibus. 437

De generali iudicio. 438
De inferno. 439
De gloria paradisi. 440
Consideratio animæ corpore abeuntis. 441
Exhortatio ad pœnitentiam Dom. Carthusiani.
Querela animæ & corporis damnati. 44
Hymnus B. Damiani de gloria paradisi. 460
CAPVT SECVNDVM, Exercitia in afflictione. 465
Exercitium tempore afflictionis. 465
Canticum Ezechiæ. 466
Oratio ad Christum. 468
Oratio ad Christum cruci affixum.
Testamentum hominis Christiani.
Alia Catholici protestatio.
Oratio ad B. Virginem ex D. Chrysost. 477

PARS SEXTA.

EXERCITIA HOMINIS CHRISTIANI AD VIRTVTEM ADSPIRANTIS.

CAPVT PRIMVM, Exercitium quotidianum. 479
Exercitium matutinum. 479
Exercitium diurnum. 481
Examen conscientiæ. 482
Exercitium nocturnum. 484
Modus excitandi affectum animi in Deum. 485
Exercitium quotidianum B. Franc. Borgiæ. 486
CAPVT II. Remedia contra peccata. 491
CAPVT III. Varia progressus spiritalis impedimenta. 49[illegible]
Octo beatitudines. 500

PARS SEPTIMA.

DEFENSIONES APOLOGETICAE.

Defensio Rosarij SS. Trinitatis. 502
Defensio Rosarij B. Virginis. 505
Defensio Apparitionum Angelicarum. 511
Defensio Litaniarum Catholicarum. 530

SVMMA PRIVILEGII
REGIS CHRISTIANISSIMI.

HENRICVS *Dei gratia Galliarum & Nauarræ Rex Christianissimus, singulari priuilegio sanxit, nequis per vniuersos Regnorum suorum fines, R.P.* Thomæ Saillij Thesaurum Precum & Exercitiorum Spiritualium *excudere intra sexennium præter voluntatem ipsius possit, nec alterius editionis exemplaria habere venalia, quàm quæ typis Plantinianis Ioannes Moretus Antuerpiæ excudit : quem vnum libro suo edendo Typographum Auctor elegit. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & aliâ pœnâ arbitrariâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris, datis ad Fontem bellæ-aquæ,* XIV. *Iunij,* M. D C. IX.

Signat.

Du fos.

Summa Priuilegij Sereniſſimorum Belgij Principum initio libri apponitur.

Cor. Mirrh. Ep. Bit.

AVE

@ 1533.

O noua Eua

MARIA.

Stella maris hominibus
Mare amarum dæmonibus.

GRATIA PLENA

In omnes Generationes
In omnes homines.

DOMINVS TECVM.

Tuus olim sponsus,
Tuus hodie filius.

BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS.

O Mater, O Virgo
O Sponsa, o Innupta

ET BENEDICTVS FR: VENTRIS TVI

Saluator mundi
Benedictio omnium Gentium.

SANCTA MARIA

Tota pulcra, Tota munda
qua post Deum nihil sanctius

MATER DEI.

Fons Fontis, Sol Solis.
Monstra te esse Matrem

ORA PRO NOBIS PECCATORIBVS.

Vt filij mortis vinamus obozatiam tui

NVNC ET SEMPER.

In præcipiti sumus,
Tua ope semper egemus.

AMEN.

Fiat o Aduocata nostra,
Fiat o Domina nostra.
~~Vt qui dixit tibi Aue,~~
Dicat tandem nobis Anete.

LITANIAE

Ad SS. Virginem & Martyrem CATHARINAM.

Kyrie eleyson etc.
S. Maria. S. Dei Genitrix.
S. Virgo Virginum.
Patrona nostra singularis
Fortitudo Martyrum.
Corona SS. Virginum.
S. CATHARINA.
Martyr praeclarissima.
Virgo castissima.
Costi Regis filia.
Nobilis sanguine.
Nobilior fide et constantia.
Gemma Graeciae.
Virgo Alexandrina.
Amica et Sponsa Dei Electa.
Castitatis vernans lilium.
Rosa Martyrio rubicunda.
Virago fortissima.
In scientiis humanis versatissima.
Quae virtuti divinae innixa Maxi=
mianum obiurgasti.
Quae blanditiis emollori, et
minis superari nequivisti.
Quae vitam potius profundere
quam fidem Sponso tuo Jesu
datam violare elegisti.

Ora pro nobis

Ora pro nobis

Quae vanis hominum machinamentis
et conclusionibus cuinci potuisti.
Quam Philosophorum sophismata solid
mentis proposito deturbare potuerunt.
Quae Philosophos confundens et in fide
instruens tandem per martyrium Xpo genuisti
Quae Reginam cum porphyrio post
constantissimam fidei professionem
ingenti militum numero comitato
ad caelestis regnum promisisti.
Quae ne impurissimo maximini amori
consentires terribili te rotae
subiicere non dubitasti
Quae a spurcissimis illis nebulonibus denu
dandas in tenello corpore flagel-
lationes sustinuisti.
Quae magis de virginei corporis de
nudatione quam tormentorum acerbitate dolu
Quae incessanter mortis sententiam excepisti
Quae flentibus matronis hilari vultu
et laeto animo instar veras passionum
Reginae supplicii locum adiisti
Quae sub securi collum extendisti et
ictum excepisti, et respiciens
per SS. Crucis apparitionem con-
solativam et confortationem meruisti.

Ora pro nobis

Ora pro nobis

Ora pro nobis

Ex cuius collo in vera virginitatis exemplar
lac pro sanguine manavit.
Quae iam caelestis sponsi thalamum
ingressa laetis eius fruitur amplexibus.
Quae angelorum manibus (nefas enim erat
ut impollutum illud corpus pollutis trac-
taretur manibus) in montis Sinai tulari meruisti
Cuius ossa stillant oleum plurimis coruscantia miraculis

Ora pro nobis

Ut Deus sit nobis propitius
Ut in prosperis modestiam in ad-
versis patientiam nobis largiri dignetur.
Ut cum mundi et Sathanae machinationes
generosam mentem inspirare dignetur.
Ut infatigabilem zelum animarum nobis donet.
Ut nos verbi sui dispensatores fruimus
et opere effectores efficiat.
Ut ad martyrii coronam pro gloriosi
ipsius nominis honore post ingens
lucrum animarum nos perducere dignetur.
Ut vos aeternique sapientiae nos studiosos efficiat
Ut in humana per quae ad divinam cognitionem
devenimus nos proficere concedat.
Ut si forte nostra scientia damnationem foret,
hebefaciat et obscuret illum nostrum.
Ut quo magis efficientes eo humiliores cuncta
ad ipsius honorem referentes efficiat
Ut tandem sic humanam pertransire faciat ut aeternam
invenire mereamur.

Te rogamus intercede pro nobis

Ut tuis precibus ad verum Sinai qui Xpus
perveniret valeamus.
Per SS. nomen tuum quo puritatem designas.
Per desponsationem tuam quâ caelesti sponso fidem dedisti.
Per eum qui te in sponsam suam praelegit.
Per eum qui te incarceratam et penuriâ
ciborum ~~[illegible]~~ laborantem visitavit, cibavit,
et divino lumine illustravit.
Per magnanimitatem quâ Mag. idololatriam exprobrasti.
Per denudationes et flagellationes tuas.
Per victoriam quam à Philosophis reportasti, dum
eos confunderes et Xpo lucrifaceres.
Per generositatem tuam quâ gladio collum submisisti.
Per triplicem tuam in caelo, doctoratus,
martyrii et virginitatis coronam.
Per admirandam tuam sepulturam.
Per proximam tuam quâ sapientiss. fuisti.

Agnus Dei qui tollis peccata etc.

Ego amus inter caedes pro caelis.

F. V. Steus Fraei

1624 pridie S. Catharinae

LITANIA IN HONOREM S. P. N.
NOBERTI.
ARCHIEPISCOPI. E SACRIS
litteris compilatae
Per R. P. ac Eruditiss. D. F. Fied.
Romelium. Ordinis

Kyrie eleyson Chrie eleison
Kyrie eleison Chrie audi nos
Chrie exaudi nos.

Pater de Caelis Deus
Fili Redemptor mundi Deus
Spiritus Sancte Deus
Sancta Trinitas unus Deus
Tutrix Religiosorum
Mater Monachorum
Advocata Praemonstraten.
Patriarcha Praemonstraten.
Abyssus congregata in medio mari
Acerius tritici vallatus lilijs
Agnus pascens iuxta ordinem tuum.
Ager frumenti hordei Dei et mellis
Byssina stola castitatis vestite.
Bonas faciens vias tuas
Brachium paratum Ecclesiae militanti.
Buccina convocans domum Abiathar.
Campus repletus ubertate.
Candidus et rubicundus.
Canis albus lateans de francia.
Clipeus sperantibus in te.
Diademate speciei insignitus.
Dies diem superans et lux lucem.
Digitus plenus myrrha probatissima
Dilectus pascens inter lilia
Eburneum solium vestitum auro.

E

Eques in veste candida nobis viam [illegible].
Exemplum nrum in verbo [illegible] conversatione,
in charitate, in fide, in castitate.
Electum lignum forte & incontribile.
Fauus distillans labia Ecclesiae.
Florens flos & quasi lilium dans odorem.
Fons de domo Dni egrediens ad irrigandum
torrentem spinarum.
Fluuius aquae viuae splendidus tamquam crystallus.
Germinans quasi virens folium.
Gloria libani decor Carmeli & Sacon.
Gaudium nrum & vrbe perfecti decoris.
Gladius exacutus & limatus.
Hasta aurea exercitus nostri.
Humus producens lignum pulcrum visu.
Hyacinthus fundamentum [illegible] ecclesiae.
Humanus pullorum [illegible].
Imitator Dei & forma omnibus credentibus.
Ignis missus in terram vt arderet.
Imago bonitatis, candor lucis aeternae
& speculum sine macula.
Innocens manibus & mundo corde.
Lac, & sal, & panis vitae nostrae.
Lucerna, lex, lux & via status nostri.
Lampas ignis atq flammarum.
Lana sicca ius pluuijs mundi.
Magister verax viam Dei in vitam
docens.
Medulla oleis vini et [illegible] frumenti.
Mel & [illegible] & balsamus &
oleum mercatus nostri.
Mensura aedificij nostri.
Nauis institoris de longe portans panem.
Nine candidior, lacte nitidior, rubicundior ebore antiquo.

Noua lux nobis vita gaudium et tripudium.
Nubes candida Ecclesiae.
Oliua pulcra, uber fructifera, speciosa.
Odor agri pleni cui benedixit Dominus.
Oculus lucidior super solem tuis.
Ouis fœtosa abundans in egressibus.
Palma cœlata in pariete Ecclesiae.
Petra refugium Erinaceis.
Pontifex innocens, impollutus et
segregatus à peccatoribus.
Puteus aquarum viuentium.
Quadriga Ecclesiae cum equis albis.
Quasi luna plena in diebus tuis.
Quercus extendens ramos tuos.
Quasi lilium in transitu aquae.
Radix aperta secus aquas.
Rami salbus Ecclesiae.
Regula pondus et mensura nostra.
Ros refrigerans Dodem.
Sacerdos sine macula.
Sal terrae, lux mundi.
Stella splendida et matutina.
Semita in aquis torrentibus et
in mari via.
Torrens inundans Fons Sapiae.
Templum Dei sanctum.
Tamtruum loquens voces Dni.
Tuba quasi aquila super Dominum Dni.
Vinea fructificans in palmites
Et emittens propagines.
Vas pretiosum sapientiae.
Vir fortis et miles Domini.
Vitis abundans in latitibus
Domus Dni.

Propitius esto. Parce nobis Dne
Propitius esto Exaudi nos Dne
Ab omni malo. Libera nos Dne.
Ab omni peccato.
A Subitanea & a tuna morte.
A Spiritu Rebellionis.
A Concupiscentia Carnis.
A Concupiscentia Oculorum.
A Superbia Vitae.
A Transgressione Regulae & Statutorum nostrorum.
Per merita Sancti P. N. Norberti.
Per gratiam illam qua famulum tuum in materno utero Archiepiscopum praeordinasti.
Per ardentissimum amorem quo Matrem tuam est amplexus.
Per privilegium illud quo candidum habitum de Caelo illi misisti.
Per profundissimam humilitatem eius.
Per nitidissimam Castitatem eius.
Per B.mam Vm tuam ord. n. Protectricem.
Per defensorem nrum Norbertum.
In die Judicij.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas.
Ut nobis imitationem Sancti Norberti concedas.
Ut ordinem nrum regere, augere & conservare digneris.
Ut Generalem ordinis nri
&

Et omnes reliquos Prælatos conser-
uare, Viuificare, & Beatos facere
in terra digneris.
Vt monasterium nrum totumque
Conuentum in pace conseruare
Vt errantes à via Morberti in
religiosam sanctam reducere digeris.
Vt nosmetipsos in tuo sancto
seruitio confortare & conseruare
digneris.
Vt mentes nras ad bonas
desideria erigas.
Vt ad exactum votorum nrum
pensum nos erectes.
Vt omnibus benefactoribus
ordinis nri sempiterna bona
retribuas.
Vt aias nras Frum sororum
propinquorum & benefactorum
nrorum ab æterna damnatione eripias.
Vt fructus terræ dare & con-
seruare digneris.
Vt nos exaudire digneris.
Fili Dei.
Agnus Dei qui tollis peccata
mundi. Parce nobis Domine
Agnus Dei &c. Exaudi nos Dne
Agnus. Miserere nobis.
Kyrie eleison
Ehre Eleison
Kyrie Eleison. Pr. nr.

℣ In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum.
℟ Et elegit eum ex omni carne.

Oremus

Perfice quaesumus Dne primum in nobis Religionis effectum et ad obtinendam tuae gratiae caritatem Beatus Norbertus Confessor et Pontifex Egregius suis semper apud te meritis et precibus pro nobis intercedat. Per Christum Dnum nrum.

A° 1647. Bruxellis Impressi ab Sermo S. P. N. Norbertiqui habetur in Diurnali et alibi Item Litaniae cum quibusdam orationibus ad eundem SS. P. N. N. ex Norbertiso triumphante R. P. Matini Mertz f. 359 et seqq.

Oremus

Da nobis famulis tuis Domine per intercessionem S. Norberti in tua fide et sinceritate constantia ut in charitate divina firmati, nullis tentationibus ab eius integritate vellantur. Rc.

Ante oculos tuos Domine culpas nostras ferimus & plagas quas accepimus confitimus.
Si pensemus malum quod fecimus; minus est quod patimur, maius est quod meremur.
Grauius est quod commisimus, Lenius est quod toleramus.
Peccati pœnam sentimus & peccandi pertinaciam non vitamus.
In flagellis tuis Infirmitas nostra teritur & Iniquitas non mutatur.
Mens ægra torquetur & ceruix non flectitur
Vita in dolore suspirat & in opere non se emendat.
Si expectas non corrigimur, Si vindicas non duramus.
Confitemur in correctione quod egimus, obliuiscimur post visitationem quod flebimus.
Si extenderis manum facienda promittimus, si suspenderis gladium promissa non soluimus.

Si ferias clamamus vt parcas
Si pepercieris iterum prono-
camus vt ferias.
Habes Domine confitentes reos
nouimus quod nisi dimittas
recte nos pecimas.
Praesta Pater Omnipotens sine
merito quod rogamus. qui fecisti
ex nihilo qui rogarent. Per
Christum Dnum nrm Amen.

Haec est Oratio
Quam inter Africa mala Deo con-
sueuisse S. Augustinum fundas tradimus
Quam Cardinalis Serrandus Et
refert P. Rinus Vitae S. Augustini
Cap. 11. §. 2. Ja libi repertam probaret
in Concilio Tridentino.
Quae ab Vrbano VIII. non. Nimis
sit cognita nostris calamitosis
temporibus admodum opportuna.
Est q talis vt senotata
Vbi scriptis in vita
S. Aug. Epitome
fol. 117